Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Omnia quotquot extant D. Ambrosij Episcopi Mediolanensis opera

https://hdl.handle.net/1874/428934

TERTIVS TOMVS

DIVI AMBROSII OPERVM, CONTINENS ORATIONES, EPISTOLAS, ET SERMONES AD POPVlum habitos.



BASILEAE M. D. LV.

ERASMVS ROTERODAMVS PIO LECTORI S D.

TErtius hic Tomus exhibebit orationes, epistolas, & cõciones ad populum breues: quas suppositicias esse nihil addubito, nihil enim in his Ambrosianæ uenæ. Videntur eiusdem cuius multos habemus sermones Augustini titulo, ad fratres Eremitas, de tempore, &c. Quin hic non pauci sunt quos uidemus inter eos qui Augustino tribuuntur, ueluti qui hic est nonus Ambrosii, illic est XXV. Augustini de uerbis Apostoli. Rursum qui hic est XXXVII. illic est inter sermones de tempore LXXVIII. Et qui hic LXIX. illic est de sanctis XXVI. Et qui hic LXXII. illic de sanctis est XXXI. Rursus idem sermo bis habebatur in hoc uolumine sub numero IX. & LIX. & idem habebatur inter Augustinianos. Sermo de Agne cuius sit, nescio. Appendix in fine indicat artificem: Hæc ego Ambrosius, &c. Quis enim unquam appellauit diuina uolumina, præter scripturas canonicas? Vltimus de baptismo diui Augustini, citra controuersiam impostoris est ac blateronis, adeo nihil est illic Ambrosianum.

IOANNES COSTERIVS LECTORI S. D.

SErmones isti mirum in modum deprauati erant, neq; uidebãtur posse sanari, nisi antiquorum codicum præsidio adiuti fuissemus. Porrò quod multi horum Ambrosii non sint, quum ipsa dictio euidenter docet, tum quod in manuscriptis & excusis libris, Maximi Taurinensis, uel ut alij habent, Mediolanensis Episcopi titulum præferant. Cuiuscunq; certe sint, & eiusdem omnes authoris uidentur, & à uiro non indocto, & in declamandis homilijs probè exercitato conscripti. Singulis uero titulum suum dedimus, quem manuscripti libri præferunt. Porro sermonem de baptismo Augustini omninò reiecimus, quòd neq; in aliquibus exemplaribus scriptis, neq; etiã in eo quod ante annos multos Mediolani excusum est, inuenitur, & ipsa quoq; res clamet, ab insulso & audaci impostore esse confictum. Vale.

CATALOGVS.

Oratio funebris de obitu Valentiniani Imperatoris.
De excessu fratris sui Satyri, funebris.
De fide resurrectionis, de eodem.
De fide resurrectionis fragmentum nomine Ambrosii.
Funebris de morte Theodosii Imperatoris.
Epistolæ ad diuersos, uarijs argumentis.
Conciones ad populum breues.

DIVI AMBROSII ME-
DIOLANENSIS EPISCOPI ORATIO
FVNEBRIS DE OBITV VALENTINIANI IMPERATORIS



TSI incrementum doloris sit, id quod doleas scribere: quoniã tamen plerunq; in eius quem amissum dolemus commemoratione requiescimus, eo quod in scribendo dum in eum mentẽ dirigimus, intentionemq; defigimus, uidetur nobis in sermone reuiuiscere: signare aliquid de Valentiniani iunioris ultimis cordi fuit: ne aut obliteraſſe silentio bene meriti de nobis pignoris memoriã uideremur, atq; inhonoratam reliquiſſe, aut refugiſſe incentiuum dolẽdi, cùm doluiſſe, plerunq; solatium sit dolentis: simul ut cùm de ipso aut ad ipsum loquor, tanquam de præsente mihi uel ad præsentem sermo sit. Quid igitur primum defleam? Quid primum amara conquestione deplorem? Conuersi sunt dies nobis uotorum nostrorum in lachrymas. Siquidem Valentinianus nobis, sed non talis qualis sperabatur, aduenit. Et iste quidem uel morte sua uoluit implere promissum, sed nobis acerbissima est facta eius, quę exoptabatur, præsentia. Vtinam adhuc nobis abesset, ut sibi uiueret. Sed ille nõ passus, cùm audiret alpes Italiæ hoste infestari Barbaro, maluit periclitari se, si Gallias derelinqueret, quàm nostro deesse periculo. Magnum crimen agnoscimus Imperatoris, quod Romano uoluit subuenire imperio. Hęc causa mortis, quę plena laudis. Soluamus bono principi stipendiarias lachrymas, quia ille nobis soluit etiam mortis suæ stipendium. Nec tamen flendi admonitio necessaria. Flent omnes, flent ignoti, flent & timentes, flent & inuiti, flent & Barbari, flent & qui uidebantur inimici. Quãtos iste de Gallijs usq; huc totius tractu itineris populorum egit gemitus? Omnes enim non tanquam Imperatorem sibi, sed tanquam parentem publicum obisse domestico fletu doloris illachrymant, suaq; omnes funera dolent. Amisimus enim Imperatorẽ, in quo duo pariter acerbant dolorem: annorum immaturitas, & consiliorum senectus. In his ergo fleo, sicut dixit propheta: Oculi mei caligauerunt à fletu, quia elongauit à me qui cõsolabatur me. Oculi mei non solum corporis, sed etiam mentis hebetati sunt, & quadam cæcitate omnis sensus obductus, quoniam ereptus est mihi qui conuertit animã meam, & ad spem maximam de summa rerum desperatione reuocauit. Audite omnes populi, & uidete dolorem meum. Virgines meæ & iuuenes mei abierunt in captiuitatẽ: sed cognito quod de Valentiniani essent partibus, liberi sunt reuersi. Militauit hostis Barbarus Imperatori adolescenti, & suæ oblitus uictoriæ, memor fuit imperialis reuerentię. Laxauit sponte quos ceperat, excusans quod ignorasset Italos. Nos adhuc murum Alpibus addere parabamus. Valentiniani gratia non expectauit Alpium uallum, fluenta amniũ, aggeres niuium, sed Alpes & fluuios supergressus, muro nos sui imperij protexit. Vnde propheticí Threni mihi utendum uidetur exordio. Quomodo mœret Italia, quæ abundabat gaudijs? Plorans plorauit in nocte, & lachrymæ illius in maxillis eius. Non est qui eam consoletur ab omnibus qui diligunt eam. Omnes qui amant illam, despexerunt eã. Omnis populus eius ingemiscens. Et quia de Hierusalem dictum est, plorauit, plorauit & nostra Hierusalem, id est, Ecclesia, & plorauit in nocte, quoniam qui eam splendidiorem fide sua & deuotione faciebat, occubuit. Merito ergo plorans plorauit, & adhuc lachrymæ eius in maxillis eius. Vbertatem quidem fletuum solet uultus humescentis declarare infusio, cum lachrymis genę rorant. Sed quia scriptum est: Genæ eius sicut phialæ aromatis gignentes unguentaria, labia eius sicut lilia distillantia myrrham plenã, mystice Ecclesiæ gratia deflentis accipitur, quæ in obitu Valentiniani bonum doloris sui effudit unguentum, & uitam eius prædicando concelebrat. Cui mors obesse nõ potuit, eò quod odor prædicationis uniuersorum ore celebris, fœtorem omnem mortis abolebit. Flet igitur Ecclesia pignus suum, & lachrymæ eius in maxillis eius. Quæ sit maxilla, audi: Qui te percusserit in maxillam, præbe ei & alteram: eo quod in dolore sit patiens,

Thren. 1

ibid.

Cant. 5

Luc. 6

ut pœniteat uerberantem. Percussa eras Ecclesia in maxilla tua cùm amitteres Gratianum: præbuisti & alteram, quando tibi Valentinianus ereptus est. Merito tibi non in una maxilla, sed in utraq; sunt lachrymæ, quia piè germanũ utrumq; deploras. Ploras igitur Ecclesia, & fletu genę tuæ uelut fluentibus quibusdam stillicidijs pietatis exundant. Quæ sunt istæ genæ Ecclesiæ? De quibus alibi ait scriptura: Vt corium malorum grana
Cant. 6 torum genæ tuæ. Istæ sunt genæ in quibus solet nitere uerecũdia, pulchritudo fulgere: in
3 quibus aut flos iuuentæ, aut perfectæ ætatis insigne est. In obitu igitur fidelium Imperatorum quidam fidei pudor, quædam Ecclesiæ uerecundia est, & in tam immatura morte piorum principum omnis Ecclesiæ mœstior pulchritudo est. Plorat Ecclesia in sapiẽ-
Eccl. 2 tibus suis, qui uelut caput Ecclesiæ sunt. Oculi enim sapientis in capite eius. Plorat in o-
Cant. 4 culis, hoc est in suis fidelibus, quia scriptum est: Oculi tui sicut columbæ, extra taciturnitatem tuam: eo quod & uideant spiritualiter, & nouerint ea quæ uiderint tacere mysteria. Plorat in sacerdotibus suis, qui sunt sicut genæ Ecclesiæ, in quibus est barba Aaron,
Psal. 132 hoc est barba sacerdotalis, in quem de capite descendit unguẽtum. Isti sunt in quibus est pulchritudo Ecclesiæ, in quibus flos eius gratior, in quibus ætas perfectior, qui uelut cortices malorum punicorum decorem foris præferant abstinentia corporali, intus autem commissam sibi plebem diuersæ ætatis & sexus foueant sapientia spirituali: obiecti
4 quidẽ seculo ad iniurias, sed intus mysteria diuidẽtes. Plorat in uirginibus suis, quæ sunt sicut lilia, & myrrha prima, cãdorem integritatis, & mortificatæ corporalis illecebrę gloriam præferentes. In his ergo flet, sicut scriptum est: Vię Sion lugent, sacerdotes eius in-
Thren. 1 gemiscunt, uirgines eius abductæ, & ipsa indignatur intra se. Et intra se quidem indigna
Cant. 8 tur, ad Valentinianum autem dicit: Assumam te & inducam in domum matris meæ, & in secretum eius quæ concepit me. Potum tibi dabo à uino operosi unguẽti, hoc est multi operis, multi odoris, à fluxu malorum granatorum meorum: ut bibat uinum quod lætificat cor hominis, & defluat in eum malorum granatorum fluxus, in quibus multus & diuersus est fructus. Sermo enim multorum sensuum, & de diuersis scripturis abundans,
5 sermo Angelorum, sermo Apostolorum ac prophetarum, quos uno uelut corio Ecclesia sancta complectitur, malorum fluxus est granatorum. Videns hæc Valentinianus in
Thren. 3 tegræ plena gratiæ respondet: Misericordiæ domini quod non defecimus, quia nõ sunt consummatæ miserationes eius. Renouabit illa sicut lux matutina. Multi sunt gemitus mei, & cor meum defecit. Sors mea dominus, dixi ideo sustinebo eum. Bonus est dominus sustinentibus eum, animę quę quęrit eum. bonum est sperare in salutare domini: Bonum est uiro cùm portauerit iugum graue in iuuentute sua: sedebit singulariter, & silebit, quia tulit iugum graue. Et ille quidem se suarum uirtutum remuneratione solatur, eo quod in iuuentute sua labores absorbuit, pericula multa tolerauit. Iugum maluit graue emendationis proposiri, quàm molle illud ac plenum deliciarum inuida mentis ceruice portare. Beatus planè qui uel in senectute correxit errorem, beatus qui uel sub ictu
Psal. 31 mortis animum conuertit à uitijs. Beati enim quorum tecta sunt peccata, quia scriptum
Ibid. 36 est: Desine à malo & fac bonum, & inhabita in seculum seculi. Quicunq; ergo desierit à peccatis, & fuerit ad meliora in quacunq; conuersus ætate, habet superiorum indulgentiam peccatorum, quæ fuerit uel pœnitendi confessus affectu, uel corrigendi auersatus ingenio. Sed huic cum plurimis uenię societas emerendę. Plurimi enim sunt qui se à peccatis & lubrico iuuentutis in senectute reuocare potuerunt: rarus autem qui in iuuentute graue iugum seria sobrietate portauerit. Hoc est illud iugum de quo dominus in Euã-
Matt. 11 gelio ait: Veníte ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego uos reficiam. tollite iugum meum super uos. Si quis ergo antequam graui oneretur peccatorum sarcina tulerit iugum in iuuentute, singulariter sedebit, non cum plurimis conferendus, sed cum il-
Psal. 4 lo qui potest dicere. Quoniam tu singulariter in spe cõstituisti me. Sed forte dicas. Quomodo iugum graue dicit Hieremias, cùm in Euangelio dominus dixerit: Iugum meum suaue, & onus meum leue est? Primum disce, quia Græcus iugum tantummodo posuit, non addidit graue. Tamen & illud aduerte: quia etsi ita esset in Threnis, in Euangelio tamen iugum suaue dixit, & onus leue, non iugum leue. Potest enim graue iugum uerbi esse, sed suaue. Graue adolescenti, graue iuueni, cuius ætas est florulentior, ut nolit iugo uerbi subijciendam animi præbere ceruicem. Potest & graue uerbi iugum uideri, præ-

pon-

pondere disciplinæ, austeritate correctionis, pondere abstinentiæ, restrictioneq; lasciuiæ, suaue tamen esse fructu gratiæ, spe remunerationis æternæ, purioris conscientię suauitate. Tamen iugum uerbi suaue dixit, onus obedientiæ leue: quoniam ei qui iugũ uerbi patienti ceruice susceperit, disciplinæ onus graue esse non poterit. Qui ergo tulerit à iuuẽtute iugũ, singulariter sedebit, & silebit, reuelata sibi gaudẽs diuinæ remuneratiõis æterna mysteria. Aut certe silebit, nõ opus habens excusatione peccati: quod matura cõfessione præuenit, & propera correctione deposuit. Non enim dicetur huic: Quæ in iuuentute non congregasti, quomodo inuenies in senectute? Potest autem & sic intelligi: Quoniam qui cito portauerit iugum uerbi, hoc est à iuuentute non se miscebit cum iuuenibus: sed sedebit seorsum & silebit, donec plena se perfectiõe uirtutis erudiat, & magnam induat animo patientiam, dabitq; percutienti maxillam suam, etiam cædis contentus iniuria, ut mandatis obsequatur cœlestibus. Magnum est enim uel abstinere à uitijs iuuentutis, uel ea in ipso iuuentutis uestibulo derelinquere, atq; ad saniora conuerti. Lubricæ enim & perplexæ uiæ sunt iuuentutis. Deniq; Salomon ait: Tria mihi impossibilia sunt intelligere, & quartum quod non cognosco: Vestigia aquilæ uolantis, & uias serpentis in petra, & semitas nauis nauigantis, & uias uiri in iuuentute. Dauid autem ait: Delicta iuuentutis meæ & ignorantiæ meæ ne memineris. Iuuenis enim non solum fragilitate lubricæ ætatis prolabitur, uerumetiam ignorantia cœlestium mandatorũ plerunq; delinquit. Cito autem meretur ueniam, qui prætendit ignorantiam. Propheta itaque dicit: Delicta iuuentutis meæ & ignorantiæ meæ ne memineris. Non dicit, delicta senectutis meæ & scientiæ meæ ne memineris, sed quasi propheta qui cito correxerit & emendauerit uitia iuuentutis, ætatem ignorantiamq; prætendit. Valentinianus quoq; in delicto Prophetæ similis ait: Delicta adolescentię & ignorantiæ meæ ne memineris. Nec solum dixit, sed etiam antè correxit errorem, quàm disceret esse lapsum alicuius erroris. Itaq; dicit: Correctionẽ iuuentutis meę ne memineris. Error in pluribus est, in paucis correctio. Et quid iam de alijs dicam, qui etiam ludo iuuentutis putauerit abstinendum, resecandam ætatis licentiam, seueritatis publicæ duritiem molliendam, lenitatẽ senectutis in alienis annis deferendam ei, qui in periculum conuicti criminis uocaretur? Ferebatur, primò ludis Circensibus delectari. sic istud absterfit, ut ne solẽnibus quidem Principum natalibus, uel imperialis honoris gratia Circenses putaret esse celebrandos. Aiebant aliqui ferarum eum uenationibus occupari, atq; ab actibus publicis intentionem eius abduci. Omnes feras uno momento iussit interfici. Audire in cõsistorio negocia, & Danielis spiritu, in quibus dubitarent senes, uel personæ alicuius contuitu ducerentur, congruam adolescentem uideres senilem ferre sententiã. Iactabant inuidi, quòd præmature prandium peteret. cœpit ita frequẽtare ieiunium, ut plerunq; ipse imprãius conuiuium solenne suis Comitibus exhiberet: quo & religioni sacrę satisfaceret, & principis humanitati. Scenicę cuiusdam forma ac decore deperire Romę adolescentes nobiles nunciabatur. Iussit eam ad comitatum uenire. Missus, precio deprauatus sine mandati effectu rediit. Alterum misit, ne uoluisse emendare uitia adolescentũ, & non potuisse uideretur. Datus est obtrectandi aliquibus locus. Deductam tamen nunquam aut spectauit aut uidit. Postea redire pręcepit: ut & omnes agnoscerent irritum eius nõ esse mãdatũ, & adolescentes doceret ab amore mulieris tẽperare, quàm ipse qui potuit habere in potestate, despexerat. Et hęc fecit cùm adhuc non haberet uxorem, & tamen exhiberet sui tanquam uinctus coniugio castitatem. Quis tam dominus serui, quàm ille sui corporis fuit? Quis tam aliorum arbiter, quàm ille suæ censor ætatis? Quid de pietate eius loquar? qui cùm homines nobili ortos genere, & locupleti prosapia, quæ cito mouere inuidiam solet regiæ cupiditatis, accusator urgeret, Præfectus insisteret, respondit nihil cruentum sanctis præsertim diebus statueretur. Et cùm post aliquot dies accusatoris legeretur libellus, calumniam pronunciaturus, accusatum libere donec Præfectus cognosceret, obuersari iussit. Neq; antè aut postea quisquam tanti criminis sub adolescente Imperatore formidauit inuidiam. Risit adolescens, quod robusti metuũt Imperatores. Miserat propter recuperanda templorum iura, sacerdotiorum prophana priuilegia, cultus sacrorum suorum Roma legatos, & quod est grauius, Senatus nomine nitebantur. Et cùm uniuersi qui in consistorio aderant Christiani pariter atque Gentiles dicerent esse

Eccl. 25

Prou. 3

Psal. 24

6

reddenda, ſolus uelut Daniel excitato in ſe dei ſpiritu arguebat perfidię Chriſtianos, Gē
tilibus obuiabat, dicens: Quod pius frater eripuit, quomodo à me putatis eſſe redden-
dū? cùm in eo & religio lædatur & frater, à quo ſe nollet pietate ſuperari? Et cùm pater-
no conueniretur exemplo, quod ſub patre ſuo ea nullus abſtulerat, reſpondit: Patrē me-
um laudatis quia non abſtulit, nec ego abſtuli. Nūquid pater meus reddidit, ut me debe-
re reddere poſtuletis? Poſtremo & ſi pater reddidiſſet, frater abſtulerat, imitatorem in ea
parte fratris eſſe me mallem. Aut nunquid meus pater Auguſtus fuit, & frater non fuit?
Par utriq; debetur reuerentia, & par utriuſq; eſt circa rempublicam gratia. Vtrunq; imi-
tabor: ut & non reddam, quod pater reddere non potuit, quia nullus abſtulerat: & ſeruē
quod à fratre eſt conſtitutum. Poſtulet parens Roma alia quęcunque deſiderat. Debeo
affectum parenti, ſed magis obſequium debeo ſalutis autori. Quid de amore Prouincia
lium loquar, uel quo eos ipſe complectebatur, uel qui ab ijs conſultori ſuo rependeba-
tur, quibus nihil unquam indici paſſus eſt? Præterita, inquit, non queunt ſoluere, noua
poterunt ſuſtinere? Hoc laudant prouinciæ Iulianum. Et ille quidem in robuſta ætate, i-
ſte in proceſſu adoleſcentiæ. Ille plurima reperit, & exhauſit omnia: iſte nihil inuenit, &
omnibus abundauit. Audiuit in tranſalpinis partibus poſitus, ad Italiæ fines Barbaros
propinquaſſe. ſolicitus ne alieno hoſte ſuum regnum attentaretur, uenire properabat,
cupiens dimittere Gallicana ocia, & pericula noſtra ſuſcipere. Hæc mihi cum alijs com
munia. Illa priuata, quod ſæpe me appellabat abſentem, & à me initiatum ſe ſacris myſte
rijs præferebat. Quinetiam cùm rumor quidam ad Viennenſem pertuliſſet urbē, quod
inuitandi eius ad Italiam gratia eò pergerem, quàm gaudebat, quàm gratulabatur me
ſibi optato affore? Mora ei aduentus mei prolixor uidebatur: atq; utinam aduentum ip-
7 ſius nullus præueniſſet nuncius. Iam promiſeram me profecturum, reſpondens uel ho-
noratis petentibus, uel prefecto ut tranquillitati Italiæ conſuleretur, me ſicut ſuperfluo
ingerere non poſſem, propter uerecundiam, ita neceſſitatibus non defuturum. Confir-
matum hoc erat. Ecce poſtridie literæ de inſtruendis manſionibus, inuectio ornamento
rū regalium, aliaq; eiuſmodi quę ingreſſurū iter Imperatorē ſignificarent. Quibus rebus
ab ipſis à quibus fuerat poſtulata, intermiſſa legatio eſt. Reus mihi uidebar ſperatæ meę
preſentię, nec impletę: ſed utinam uiuenti tibi hunc deberem reatum. Excuſarem quod
nulla tua audiſſem pericula, nullas tuas accepiſſem literas, quod nō potuiſſem propriis
animalibus occurrere, etiam ſi iter ingreſſus eſſem. Itaq; ſecurus ueniæ, dum dies ſubdu-
8 co, aduentus tui iter lego, ecce reſcriptum accipio, ut ſine mora pergendum putarem, eo
quod uadem fidei tuæ haberc me apud comitem tuum uelles. Num reſtiti? Num mora-
tus ſum? Additur eo, ut properarem ocyus, nec arbitrarer cauſam itineris mei Synodum
Gallorum eſſe epiſcoporum, propter quorum frequentes diſſenſiones crebro me excu
ſaueram, ſed ut ipſe baptizaretur in ipſo egreſſu. Geſtarum iam rerum indicia potui cog
noſcere, ſed properādi ſtudio nihil aduertere poteram. Iam ſuperabam Alpium iuga, &
ecce nuncius amarus mihi & omnibus de tanti morte Imperatoris. Reflexi, & iter fleti-
bus meis laui. Quibus ego uotis omniū proficiſcebar? Quo gemitu omniū reuertebar?
Non enim Imperatorem ſibi, ſed ſalutem ereptam putabant. Quanto ipſe angebar dolo
re? Primum quod tātus Princeps, quod dulce pignus meum, quod ita mei cupidiſſimus
occidiſſet. Quos ego æſtus eius illo biduo fuiſſe comperi, quo literis quas ad me miſerat
ſuperuixit? Veſperi profectus eſt ſilentiarius, tertio die mane quærebat iam ne remeaſ-
ſet, iam ne uenirem. Ita ſibi ſalutem quandam uēturam arbitrabatur. O iuuenis optime,
utinam te uiuentem inuenire potuiſſem, utinam te dilatio aliqua meo reſeruaſſet aduen
tui. Nihil de aliqua mei uirtute polliceor, nihil de ingenio atq; prudentia: ſed quāta ego
cura inter te & Comitem tuum, quanta ſedulitate concordiam & gratiam refudiſſem?
Quàm meipſum pro tua obtuliſſem fide, quàm in meipſum eos recepiſſem, quibus ille
ſe timere dicebat? Certe ſi Comes non eſſet inflexus, tecū remanſiſſem. Præſumebam de
te, quod ipſe me audires: ſi pro te nō eſſe auditū uideres. Multa habuerā quæ tenerē, nūc
nihil habeo præter lachrymas & fletus. Quotidie mihi maior ad dolorem, creſcis ad ge-
mitum. Omnes quanti me feceris proteſtantur. Omnes abſentiā meam cauſam tuæ mor
tis appellant. Sed non ſum Helias, nō ſum propheta, ut potuerim futura cognoſcere: ſed
ſum uox clamantis in gemitu, quo poſſim deflere præterita. Quid enim habeo quod me

lius

lius faciã, & ut tibi lachrymas pro tãto tuo in me affectu rependã? Ego te suscepi paruulũ, cùm legatus ad hostem tuũ pergerem, ego lustinæ maternis traditũ manibus amplexus sum, ego tuus iterum legatus repetiui Gallias, & mihi dulce illud officium fuit pro salute tua primo, deinde pro pace atq; pietate qua fraternas reliquias postulabas: nondũ pro te securus, & iam pro fraternę sepulturę honore sollicitus. Sed reuertamur ad Threnos, & ipsa doloris ingrediamur uiscera. Quid testabor, inquit, tibi, aut quid assimilabo tibi filia Hierusalem? quis saluam te faciet? & quis consolabitur te uirgo filia Siõ? Quia magna facta est super te contritio tua. Quis sanabit te? Quis autem me consolabitur, à quo alij petunt consolationis officium? Impleuit me amaritudine, inebriauit me felle. Vẽtrem meum doleo, uentrem meum doleo, ut prophetico utar eloquio, quoniã quem in Euangelio eram generaturus, amisi. Sed ille non amisit gratiam quã poposcit, qui mihi in sermone quo utebar ad plebẽ, hodie resurrexit. Nã cùm in tractatũ incidissem propositæ lectionis, quod populus pauper benediceret deũ: quærere cœpi quis esset hic populus, & distinguere quod esset populus, alter diues, alter pauper: diues Iudæorũ, pauper Ecclesiæ. Diues ille eloquijs sibi creditis, iste pauper aliena eloquia mutuatus. Merito pauper, quia cõgregatus à paupere est: illo uidelicet, qui pauper factus est cùm diues esset, ut nos eius inopia ditaremur. Exinaniuit enim se, ut oẽs repleret. Sed quõ pauper, qui habebat æternitatis diuitias, & plenitudinem diuinitatis? Denicq; in carne erat, & dicebat: Amodo uidebitis filium hominis sedentem ad dexteram uirtutis. Et alibi ad Petrum dicit: Tibi dabo claues regni cœlorum. Hic ergo pauper, qui regnum cœleste donabat? Sed audi quomodo pauper. Tollite, inquit, iugum meum super uos, quia mitis sum, & humilis corde. Ideo & populus eius pauper est, non indigentia, quem diuite illo populo uideo ditiorem. Non solum enim oracula Prophetarum, sed etiam Apostolorũ meruit diuino fusa spiritu habere præcepta. Non ergo inopia pauper, sed spiritu, cui dictum est: Beati pauperes spiritu, ipsorum est enim regnum cœlorum. Verè beati pauperes, qui acceperunt quod diuites nõ habebant. Ex hoc numero est ille propheticus pauper, de quo scriptum est: Iste pauper clamauit, & dominus exaudiuit eum. Ex hoc populo ille qui ait: Argentũ & aurum nõ habeo, sed quod habeo, hoc do tibi: In nomine Iesu Nazareni surge & ambula. Ille ergo pauper author populi pauperis dicit: Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est. Locuti sunt super me lingua dolosa, & sermonibus odij circundederunt me, & expugnauerũt me gratis. Pro eo ut me dilígerent, detrahebant mihi, ego autem orabam. Bonum scutum oratio, quo omnia aduersarij ignita spicula repelluntur. Orabat ergo dominus Iesus, & eius imitator Valẽtinianus orabat. Sed forte dicatur: Quid ei profuit sua oratio? Ecce in primo uitæ occidit cursu. De celeritate mortis non de genere loquor. Non enim accusationis uoce utor, sed doloris. Sed etiam dominus orabat, & crucifixus est. Hoc enim orabat, ut peccatum mundi tolleret. Audiamus ergo quid oret Christi discipulus: utique quod magister docuit. Docuit autẽ ut uigilemus & oremus, ne intremus in tentationẽ, hoc est, ne incidamus in peccatum. Hæc est enim tentatio Christiani, si in suæ animæ periculũ prolabatur. Mortem autem timere nõ est perfectionis. Rogare aũt quis debet & pro inimicis suis, orare etiam pro persequentibus, sicut dominus orabat dicens: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Vide clementiam magnam. Illi suum persequebantur authorem, ipse aduersarijs etiam grauia peccata donabat, quin etiam ignorantię uelamine excusabat admissum, dicens: Quia nesciunt quid faciunt. Nam si scirent, dominum non persequerentur suum, in cuius potestate ac iure salutem esse suam arbitrarentur. Et quia non sola Christi persecutores eius erant morte contenti, addebant maledicta atq; conuitia, ut ait ipse: Maledicẽt ipsi, & tu benedices. Docuit nos quod timere maledicta persequentium minime debeamus, cùm habeamus benedictionis authorẽ: nec mouere nos conuitia debeant, ubi præsul est qui possit auferre maledicta. Quid illud qd mori non timuit? Imò pro omnibus se obtulit, dicens quod frustra innoxij in inuidiã uocarentur, quod frustra propter se alij periclitarentur: sibiq; potius mortem optabat, ne ipsa alijs causa mortis esset. Hoc est illud Euangelicum domini in ipsa sui captione dicẽtis: Si me quæritis, sinite hos abire. Occidit itaque pro omnibus quos dilígebat: pro quo amici sui parum putabant si omnes perirent. Aduertimus quem circa amicos suos

Thren. 2

Hier. 4

2. Cor. 8

Matt. 26

ibid. 16

Matt. 11

Matt. 5

Psal. 33

Act. 3

Psal. 108

Matt. 26

Luc. 23

ibid.

Psal. 108

Ioan. 18

habuerit animum, quem erga germanas suas habuerit affectum cõsideremus. In ipsis requiescebat, in ipsis se consolabatur, in ipsis relaxabat animum, & fessa curis corda mulcebat. Rogabat eas, ut si quo puerilitæ suæ lapsu, si sermone aliquo offensæ à fratre uiderentur, ignoscerent, ueniam sibi à domino deprecarentur. Manus, caput sororibus osculabatur, immemor imperij, memor germanitatis: & quo magis alijs potestatis iure præstaret, hoc se magis humilem sororibus exhibebat. Rogabat ut nõ meminissent iniurię, meminissent gratiæ. Acciderat, ut quoddã de earum possessiõe audiret negociũ. Tantus enim erat, ut etiam in causa sororũ æquus fore arbiter à Prouincialibus existimaretur: quod etsi circa sanctas necessitudines suas charitate propenderet, tamen pietatem suam iustitia temperaret. Audiuit negociũ non de iure, sed de possessione prædij. Hinc pietas pro sororibus, inde misericordia pro orphani causa certabat, ut pro eo apud ipsas interueniret sorores. Remisit ad iudicẽ publicũ negocium, ne aut ius, aut pietatem læderet. Priuatim tamen, quantum ex proposito nobilium puellarum aduertimus, pium sanctis sorori bus impressit affectum, ut concedendi prædij uoluntatem haberent, indiciũ darent. Vere dignæ tanto fratre germanę, quæ quod mater sibi reliquerat, mallent de suo potius iure laxare, quàm fratrẽ in sua causa uerecundiã sustinere. Hæc est uobis sanctæ animæ hæreditas preciosior fraternę laudis & glorię, his uos pius frater nobiliores & ditiores reddidit, qui caput uestrum non gemmis onerabat, sed osculis: manus uestras non tam regalibus ambiebat insignibus, quàm Imperatorio ore lambebat. In uestræ fructu prę sentiæ omne ponebat solatium, ut nec ipsam nimie desideraret uxorem. Ideo nuptias differebat, quia pius eũ uestrę gratię pascebat affectus. Hęc uobis desiderio amplius quàm dolori sint: ut fraterna gloria plus reficiat mentẽ, quàm dolor torqueat. Pascunt frequenter & lachrymę & mentẽ alleuãt: fletus refrigerant pectus, & mœstum solantur affectũ. Du-

Ioan. 19 rũ quidẽ funus uidetis, sed stabat & sancta Maria iuxta crucẽ filij, & spectabat uirgo sui unigeniti passionem. Stantem illam lego, flentem non lego. Vnde dixit ei filius: Mulier, ecce filius tuus. Et discipulo dixit: Ecce mater tua. hæreditatem illis charitatis suæ & gratiæ derelinquens. In quo uobis pia pignora, quoniam fratrem uestrum seruare propter mea peccata non merui, affectũ paternum exhibere desidero. Illũ intueor in uobis, illum teneo, illum puto esse mihi præsentem, imò utrumq; germanum, quos uelut oculos mihi effossos doleo. Felicius episcopos persequuntur Imperatores quàm diligũt. Quanto mihi beatius Maximus minabatur: In illius odio laus erat, in horum amore supplicij fe-

9 ralis hereditas. Vtinam filij pro uobis licuisset hunc spiritum fundere. Compendiũ doloris inueneram, & glorioſius mihi fuerat pro tantis obire pignoribus. Sed ad uestram sanctę filię consolationem reuertar, quamuis rerum gestarum acerbitas uim omnem consolationis absorbeat. Quę si breuis sit, nihil afferet quo mœstum affectum demulceat: sin prolixior, lõgiorem afferet admonitionem doloris. Quo enim prolixior fueris, hoc magis in consolando afficies eum, quem cõsolari uelis, & diutius mœrorẽ eius tenebis.

10 Nõ igitur uelut penicillo quodam sermonis mei uestras abstergã lachrymas: Neq; enim id facere uellem, etiam si possem. Est enim pijs affectibus quędam etiam flẽdi uoluptas, & plerunq; grauis lachrymis euaporat dolor. Sed id postulo, ne uel infixum pectori uestro fratrẽ duris gemitibus releuetis, uel auertatis planctibus, uel requiescentẽ excitetis.

11 Ille uobis maneat in corde, ille uiuat in pectore, ille amplexibus pijs hęreat ut solebat, ille fraterna osculapremat, ille semper in oculis sit, semper in osculis, semper in alloquijs, semper in mẽtibus: ille iam talis, ut ei nihil timeatis sicut ante. Obliuiscamini eius ærumnã, teneatis gratiã. Ille uobis auxiliaturus speretur, ille noctibus præsul assistat, illũ à uobis nec somnus excludat. Propter ipsum delectet quies, ut uobis gratior reuertatur. In uobis est filiæ, ut fratrẽ uobis iam nemo possit auferre. Sed corpus eius tenere desideratis, tumulum circumfusę tenetis. Ille tumulus fratris uobis habitatio sit, ille sit aula palatij, in quo chara uobis mẽbra requiescunt. Quod si me ad illum reuocatis dolorem, quod cito excessit è uita: nec ego abnuo immatura obisse ætate, quem nostrę uitę tẽporibus fulcire cuperemus, ut de nostris annis uiueret, qui fungi nõ potuit suis. Sed quero utrum aliquis sit post mortem sensus, an nullus? Si est, uiuit? imò quia est, uita iam fruitur æterna. Quomodo enim non habet sensum, cuius anima uiuit & uiget, & remeabit ad corpus, & faciet illud cùm refusa fuerit, reuiuiscere? Clamat Apostolus: Nolumus uos ignorare

fratres

fratres de dormientibus,ut non contristemini,sicut & cæteri qui spem non habẽt. Nam si credimus quod Iesus mortuus est,& resurrexit:ita & deus illos qui dormierunt per Iesum,adducet cum eo.Manet ergo eorum uita,quos manet resurrectio. Quod si gentes qui spem resurrectionis non habent, hoc uno se consolantur quo dicunt quod nullus post mortem sensus sit defunctorum,ac per hoc nullus remaneat sensus doloris:quanto magis nos consolationem recipere debemus, quia mors metuenda non sit,eo quod finis sit peccatorũ:uita autem desperanda non sit,quæ resurrectione reparatur? Iob quoq; docet nec mortem timendam, & potius optandam pijs, dicens: Vtinam in inferno me custodires,& absconderes me donec mitigetur ira tua, & cõstituas mihi tempus in quo memor sis mei.Si enim mortuus fuerit homo,uiuet.Consummans dies uitæ meę sustinebo donec iterum fiam. Tunc uocabis,& ego tibi obediam. Opera autem manum tuarũ ne despicias.Esto tamen dolendum sit,quòd primæua obierit ætate:gratulandum tamẽ quod uirtutũ stipendijs ueteranus decesserit. Tanta enim fuit emendatio uitæ eius in illo omnibus lubrico adolescentiæ tẽpore,tanta laus morum eius,ut omnẽ memoriã doloris obducat. Quod enim obijt,fragilitatis est:quod talis fuit,admirationis. Quàm beata fuisset respublica si eum diutius seruare potuisset? Sed quia uita sanctorum non hic in terris est,sed in cœlo(Iustis enim uiuere Christus,& mori lucrum, quia & dissolui & cũ Christo esse,multo melius)dolendum est quod nobis cito raptus sit:consolandũ, quod ad meliora transierit. Deniq; Dauid morituri filium flebat,mortuum non dolebat. Flebat ne sibi eriperetur:sed flere desiuit ereptum,quem sciebat esse cum Christo. Et ut scias uerum esse quod assero,incestum Ammon filium fleuit occisum,parricidam Abessalon doluit interemptum,dicens:Filius meus Abessalon,filius meus Abessalon. Innocẽtem filium non putauit esse lugendum,quia illos sibi perisse sciebat pro scelere, hũc pro innocentia credidit esse uicturũ. Nihil ergo habetis quod grauissime doleatis in fratre. Homo natus est,humanæ fuit obnoxius fragilitati. Nemo se redimit à morte, nõ diues, non ipsi reges,imò ipsi grauioribus subiacent.Iob dixit:Numerati anni dati sunt potẽti, timor autẽ eius in auribus eius:quando uidetur habere pacẽ,tunc ueniet ei euersio. Vobis quoq; ipsis tam acerba incidisse patienter ferre debetis,quę uidetis uobis communia esse cum sanctis.Etiam Dauid amissis filijs destitutus est.Optasset illos tales obisse,qualis uobis frater ereptus est.Ille crimina doluit,non exitum filiorum.Sed esto fuerit ingemiscendũ.Quousq; luctus tempora protrahuntur? Duorum mensiũ curricula in fraterni funeris quotidiano clausistis amplexu.Sola in scripturis Iepte filia fletus sui tempora postulauit, cognito quod pater eius profecturus ad prælium uouerat quia id rerũ potitus offerret domino,quod sibi primum occurreret.Post uictoriam reuertenti occurrit filia,ignara pietatis,ignara promissi.Vidit eam,& ingemuit pater,dicẽs:Heu me filia, impedisti me,in stimulum doloris facta es mihi.Ego enim aperui os meum de te ad dominum,& non potero auertere.Illa dixit ad eum:Pater,si in me aperuisti os tuũ,fac mihi ut exijt de ore tuo. Et iterum dixit: Sine mensibus duobus, & uadens flebo in montibus uirginitatem meam ego & compares amicæ meæ. Itaq; duobus exactis regressa mensibus,sacrificij munus impleuit. Quæ decreto populi Israel quaternis in anno diebus ab eiusdem plebis fœminis deploratur. Ad deflendum igitur suæ uirginitatis florem duos sat esse menses Iepte filia iudicauit,& adhuc non uenerat resurrectio,& hoc spatio temporis satis putauit à paucis se esse defletam. Vobiscum omnes populi defleuerunt, omnes ingemuerunt prouinciæ,& adhuc parua putatis uestra hæc esse supplicia? Si fratrẽ uestrum redimere possetis exitio,nollet tamen ille uestra afflictione suscitari:qui se melius uiuere credidit in uobis,qui optauit potius seipsum mori quàm uestram uidere iniuriam,qui pro uobis se libenter fuit paratus offerre,qui ipso uestri doloris die dicitur hãc solam emisisse uocem: Væ miseris sororibus meis. Itaq; magis uestrã destitutionẽ quàm suam mortem dolebat.Sed audio uos dolere quod non acceperit sacramenta baptisma tis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est nisi uoluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc uoti habuit,ut cum in Italiam uenisset,initiaretur,& proxime baptizari se à me uelle significauit.Et ideo præ cæteris causis me accersiendum putauit.Non habet ergo gratiam quam desiderauit? Non habet quam poposcit? Certè quia poposcit, accepit. Et ubi illud est: Iustus quacunque morte præuentus fuerit, anima eius in refrigerio erit?

Iob. 14

Philip. 1

2. Reg. 12

Ibid. 13

2. Reg. 18

Iob 15

Iud. 11

Prou. 9

Cant. 7

Sap. 4

13 erit? Solue igitur pater ſancte munus ſeruo tuo, quod Moyſes dum in ſpiritu uidit, accepit: quod Dauid quia ex reuelatione cognouit, emeruit. Solue, inquam, ſeruo tuo Valentiniano munus quod concupiuit, munus quod popoſcit ſanus, robuſtus, incolumis. Si affectus ægritudine diſtuliſſet, tamen nõ penitus à tua miſericordia eſſet alienus, qui celeritate temporis eſſet non uolũtate fraudatus. Solue ergo ſeruo tuo munus gratiæ tuæ, quam ille nunquam negauit, qui ante diem mortis templorum priuilegia denegauit, his urgentibus quos reuereri poſſet. Aſtabat uirorum caterua Gentilium, ſupplicabat Senatus: nõ metuebat hominibus diſplicere ut tibi ſoli placeret in Chriſto. Qui habuit ſpiritũ tuũ, quomodo nõ accepit gratiã tuam? Aut ſi quia ſolẽniter nõ ſunt celebrata myſteria, hoc mouet? ergo nec martyres ſi catechumeni fuerint coronentur. Non enim coronantur, ſi nõ initiantur. Quod ſi ſuo abluũtur ſanguine, & hũc ſua pietas abluit & uoluntas.

14 Ne quęſo eũ domine à fratre ſeiũgas, nec iugũ hoc piæ germanitatis patiaris abrũpi. Hic tuus iam, & tuo iudicio uindicatus, periclitatur amplius Gratianus, ſi ſeparetur a fratre, ſi nõ mereatur eſſe cũ eo, per quẽ meruit uindicari. Quas ille nũc manus ad te pater erigit, quas pro fratre preces fundit? quo ei inhæret amplexu? quẽadmodum ſibi eum non patitur auelli? Adeſt etiã pater qui militiã ſub Iuliano & tribunatus honores fidei amore contẽpſit. Dona patri filiũ, fratri germanũ, quorum utrũq; imitatus eſt: alterũ fide, alterum deuotione pariter atq; pietate in tẽplorum priuilegijs denegandis. Quod patri de-

15 fuerat, adiunxit: quod frater conſtituit, cuſtodiuit. Et huic adhuc interceſſionẽ adſciſco, cui remunerationẽ præſumo? Date manibus ſancta myſteria, pio requiem ei poſcamus affectu. Date ſacramenta cœleſtia, animã piam noſtris oblationibus proſequamur. Extollite populi mecum manus in ſancta, ut eo ſaltẽ munere uicẽ eius meritis repẽdamus.

16 Non ego floribus tumulum eius aſpergam, ſed ſpiritum eius Chriſti odore perfundam. Spargant alij plenis lilia calathis, nobis lilium eſt Chriſtus. Hoc reliquias eius ſacrabo, hoc eius gratiã commẽdabo. Nunquã ego piorũ fratrũ ſeparabo nomina, merita diſcernã. Scio quòd dominũ conmemoratio iſta conciliet, copula iſta delectet. Nec putet aliquis meritis eorum obitus celeritate detractum. Raptus eſt Enoch, ne malitia mutaret

Gen. 5 cor eius, & Ioſias decimooctauo anno regni ſui ita domini paſcha celebrauit, ut omnes

4. Reg. 23 retro principes deuotione ſuperaret, nec diutius fidei ſuæ meritis ſuperuixit: imò quia

2. Eſdr. 1 plebi Iudęę graue imminebat exitiũ, rex iuſtus antè ſublatus eſt. Metuo ergo ne & tu nobis aliqua noſtri offenſione ſis raptus, ut octauo regni tui anno imminẽtis mali acerbitatẽ quaſi iuſtus euaderes. Sed iam chara mihi cõplectar uiſcera, & debito condam ſepulchro, prius tamẽ ſingula mẽbra perſpiciã. Valentinianus meus, iuuenis meus, cãdidus et

Cantic. 5 ruber, habẽs in ſe imaginẽ Chriſti. Talibus enim proſequitur Eccleſia in Canticis Chriſtũ. Nec iniuriã putes. Charactere domini inſcribunt & ſeruuli, & nomine Imperatoris

Pſal. 104 ſignãtur milites. Denique & ipſe dominus dixit: Nolite tangere Chriſtos meos. Et: Vos e-

Matt. 5 ſtis lux mundi. Et Iacob dixit: Iuda, te laudabunt fratres tui. Ad filiũ loquebat, & domi-

Gen. 49 nũ reuelabat. Et de Ioſeph dictũ: Filius meus ampliatus, filius meus ampliatus Ioſeph. & Chriſtũ ſignificabat. Licet ergo & mihi charactere domini ſignare ſeruulũ: Iuuenis meus candidus & rubeus, electus è decẽ milibus. Electus eſt filius meus, cùm poſt mortem patris paruulus adſciſceretur imperio. Caput eius aurũ cephas, oculi eius ſicut colũbę ſuper abundantiã aquarũ. Ibi enim ſedimus & fleuimus, dixerũt qui inde uenerũt. Venter

Hier. 4 eius pyxis eburnea, qui reciperet oracula ſcripturarũ, ut poſſet dicere: Ventrẽ meum do-

Cant. 5 leo, ſicut dixit propheta. Dicit enim hæc qui imitator eſt Chriſti. Genæ eius phialæ aromatis, quibus Chriſti influebat unguentũ. Labia eius lilia diſtillãtia myrrhã plenam. Manus eius tornatæ, aureæ, plenę tarſis, eo quod in uerbis eius iuſtitia refulgeret, in factis et operibus reniteret gratia, in quo & plenũ uirtutis & authoritatis regalis eſſet alloquiũ, nec inflexa aliquo mortis terrore cõſtantia, et factorũ precioſa et emẽdata correctio. Omnis enim bonus operarius, manus Chriſti eſt. Fauces eius dulcedines, & totus deſiderium. Quàm dulcia enim omnia iudicia eius uniuerſorũ faucibus adhæſerũt? quãta gratia ſermões ipſius ſinguli recenſent? Quẽadmodũ fili deſideraris à populis? Mihi certe te impreſſiſti qui pectore teneo uerba illa poſtrema, quib. me uadẽ tuũ fieri poſtulabas. Reliquiſti ipſe de me teſtimoniũ iudicij glorioſi. Ego tibi fidẽ meã exhibere nõ potui, quã

17 parabã. Dixi tũ abſens, & dicentẽ me fidẽ pro te Chriſtus audiuit. Tenet in cœlo ſpõſio mea,

mea, etsi non tenetur in terris. Obligatus sum deo, etsi nõ potui hominibus obligari. Locutus sum de corpore tuo, nunc alloquar animam tuam dignam propheticis ornamentis. Iis igitur utar exordijs. Quænam est hæc prospiciẽs sicut diluculũ, speciosa ut luna, electa ut sol? Videor mihi te uidere fulgentem, uideor audire dicentem: Diluculum mihi est pater. Nox terrena præcessit, dies cœlestis appropinquauit. Prospicis nos igitur sancta anima de loco superiore, tanquam inferiora respiciens. Existi de tenebris istius seculi, & ut luna resplẽdes, ut sol refulges. Et bene ut luna, quia & antè in umbra licet istius corporis refulgebas, & terrarum tenebras illuminabas: & nunc lumen à sole iustitiæ mutuata, clarum diem ducis. Videre igitur uideor te tanquam de corpore recedentẽ, & repulsa noctis caligine surgentẽ diluculo sicut solem, appropinquantem deo, & rapido uolatu sicut aquilam quæ terrena sunt relinquentem. Conuertere Sunamitis, conuertere: conuertere, & uidebimus te. Conuertere ad nos pacifica, ut gloriam tuam sororibus mõstres, & incipiant se tuę quietis, & gratiæ securitate solari. Semel tantũ ad nos cõuertere, ut te uideamus, & rursus conuertere, atq; ad Hierusalem illam ciuitatẽ sanctorum tota intentione festina. Aut certe quia ad animã piam Christus hoc dicit, iubet illã paulisper conuerti, ut nobis gloria eius appareat, & requies futura cũ sanctis, & postea præcipit eam ad illud supernum sanctorum festinare consortium. Quid uidebitis, inquit, in Sunamite, quę uenit sicut chori castrorũ? Hoc est in ea quæ multũ & aduersus plurimos in corpore præliata est. Etenim pugnauit aduersus extraneos hostes, pugnauit aduersus lubricas seculi mutatiões, pugnauit aduersus corporis fragilitates, aduersus multiplices passiones. Audiuit à domino: Conuertere Sunamitis, conuertere ad pacem. Semel in seculo conuersa est, conuersa est iterata communione ad gratiam Christi. Et ideo pulchra conuersio eius in seculo, pulcherrimus incessus eius & uolatus in cœlum. Vnde meret audire: Specioſi facti sunt gressus tui in calceamentis filia Aminadab, hoc est filia principis. Speciosa es enim in processu, habitasti in corpore, tanquam calceamento eo usa, nõ ut inuolucro, ut quasi superior & eminentior, quo uelles tuũ circũferres sine ulla offensione uestigiũ. Vel certe sicut calceamentũ illud exolue, sicut Moyses fecit, cui dictũ est: Solue calceamentũ pedũ tuorũ. Dicit igitur tibi nunc Pater Aminadab, ille populi princeps: Audi filia & uide, quoniam concupiuit rex speciem tuam. Specioſi ergo facti sunt gressus tui in calceamẽtis filia Aminadab. Moduli fœmorũ tuorũ similes torquibus, hoc est, consonans sibi in omnibus factis tuis gratia atq; moderatio, magnorum æquauit insignia triumphorum. Denicq; moderatione tua & tranquillitate pacifica nec Gallia hostem sensit, et Italia hostem repulit, qui eius finibus imminebat. Torques autem insignia esse uictoriæ dubitari non potest, cum ij qui in bello fortiter fecerint, torquibus honorẽtur. Vmbilicus tuus crater tornatilis, non deficiens mixto. Venter tuus aceruus tritici, muniti inter lilia. Ceruix tua sicut turris eburnea. Oculi tui sicut stagna in Esebõ. Bonus umbilicus animæ, uirtutum omnium capax, sicut crater, ab ipso fidei authore tornatus. Sapiẽtia enim in cratere miscuit uinum suũ, dicens: Venite, edite panes meos, & bibite uinũ quod miscui uobis. Vmbilicus ergo iste tornatus omni decore uirtutũ non deficit mixto. Venter quoq; eius non solum iustitię uelut frumentario cibo replebatur, sed etiã gratiæ suauitate quæ florebat sicut lilium. Ceruix quoq; eius candida & pura, iugo Christi sponte subiecta, cogitationes rationabiles, fidei odor, circunciſionis attẽtio, ornatus capitis gloriosus, quod non regalia diademata, sed dominici sanguinis insignia coronarent. Merito tanquã rex peccati uictor & cœlesti corona redimitus ascendit, cuius animæ dicit deus uerbũ: Quàm pulchra & suauis facta est charitas in delicijs tuis? Pulchra, per uirtutis decorẽ: suauis, per gratiã. Procera sicut palma, quæ uincentis est præmium. Tuæ ascendenti animæ Gratianus frater occurrit, & complexus eam, dicit: Ego fratri meo, & super me cõuersio eius: uel quod sibi eum cupiat inhærere, uel quod pietate fraterna quasi aduocatus assistat, dicens conuersionem eius etiam suę gratiæ præferẽdam. Veni, inquit, frater meus, exeamus in agrũ, requiescamus in castellis, diluculo surgamus in uineas: Hoc est, ueniſti eò, ubi diuersarũ uirtutũ fructus pro singulorũ meritis deferũtur, ubi abundant meritorũ prędia. Exeamus ergo in agrũ in quo non uacuus labor, sed fœcundus prouentus est gratiarũ. Quod in terris seminasti, hic mete: quod ibi sparsisti, hic collige. Aut certe ueni in illũ agrũ qui est odor Iacob, hoc est ueni in gremiũ Iacob,

Cant. 6

Rom. 13

Cant. 7

Ibid.

Ibid.

Exod. 3

Psal. 44

Cant. 7

Prou. 9

Cant. 7

ut

Luc.16 ut sicut Lazarus pauper in Abrahæ sinu, ita etiam tu in Iacob patriarchæ tranquillitate quiescas. Sinus enim patriarcharum, recessus quidam est quietis æternæ. Meritum ergo
Gen.27 Iacob, ager est fructuosus, sicut Isaac patriarcha testatus est dicens: Ecce odor filij mei tã quam odor agri pleni quem benedixit dominus. Requiescamus, inquit, in castellis: ostẽ dens illic esse requiem tutiorẽ, quæ septo cœlestis refugij munita atq; uallata nõ exagita
Cantic.7 tur secularium incursibus bestiarũ. In foribus, inquit, nostris omnes fœtus arborum: nouа & uetera frater meus seruauit tibi. Quis dabit te frater fratrem mihi, lactentẽ ubera matris meæ? Inueniens te foris, osculabor te, assumam te & inducam te in domum matris meæ, & in secretum eius quæ concepit me. Potum dabo tibi à uino operosi unguenti, à fluxu malorum granatorũ meorum. Læua eius sub caput meum, & dextera eius cõplectetur me. Promittit fratri Augustæ memoriæ Gratianus præsto sibi fructus diuersarum esse uirtutum. Fuit enim & ipse fidelis in domino, pius atq; mansuetus, puro corde. Fuit etiã castus corpore, qui præter coniugiũ nescierit fœminæ alterius cõsuetudinem. Ideo in foribus sedis suæ habet fructus paratos, nec longe petendos. Offert quę seruauerit fratri noua & uetera, hoc est, & testamenti ueteris & Euangelij sacramẽta, & dicit: Quis dabit te frater fratrẽ mihi lactentẽ ubera matris meæ? hoc est, nõ quicũq; te, sed Christus illuminabit gratia spirituali. Ille te baptizauit, quia humana tibi officia defuerunt. Plus adeptus es, qui minora te amisisse credebas. Quæ sunt ubera Ecclesiæ, nisi sacramenta baptismatis? Et bene ait lactentẽ, quasi qui baptizatus lactis niuei succũ requirat. Inueniẽs inquit, te foris, osculabor te: hoc est extra corpus te reperiens, osculo mysticæ pacis amplectar. Nemo te spernet, nullus excludet, in penetralia te & arcana Ecclesiæ matris inducã, & in omnia secreta mysterij, ut bibas poculũ gratiæ spiritualis. Amplexatus igitur fratrẽ deducere eũ cœpit ad propriã mansionẽ: & quia pro officio ad ulteriora processerat, cũ fratre cœpit ascẽdere, petẽs ut sibi & fratri maior illic charitas augeat: eo quod uitia humana defecerãt, inuidia atq; iactantia, quæ in plerisq; solent fraternæ pietatis iura uacuare. Videntes eos uel Angeli uel aliæ animę quærũt ab ijs, quæ ueluti comitatu suo
Ibid.8 fratres hos & officio deducebãt: dicentes: Quę est hæc quæ ascendit cãdida, innitens suo per fratrẽ suum? Nec nos quidẽ dubitemus de meritis Valentiniani, sed iam creḍamus uel testimonijs Angelorũ, quod detersa labe peccati ablutus ascẽdit, quẽ sua fides lauit, & petitio cõsecrauit. Credamus & sicut alij habẽt, quia ascẽdit à deserto, hoc est ex hoc arido & inculto loco ad illas florulẽtas delectationes, ubi cũ fratre cõiunctus æternæ uitæ fruit uoluptate. Beati ambo, si quid meæ orationes ualebũt. Nulla dies uos silẽtio prę teribit, nulla inhonoratos uos mea trãsibit oratio, nulla nox nõ donatos aliqua precum mearũ contextione transcurret. Omnibus uos oblationibus frequẽtabo. Quis prohibe-
Psal.136 bit innoxios nominare? Quis uetabit cõmendationis prosecutione cõplecti? Si oblitus fuero te sancta Hierusalẽ, hoc est, sancta anima, pia & pacifica germanitas, obliuiscatur me dextera mea, adhęreat lingua mea faucib. meis, si nõ meminero tui, si non meminero Hierusalẽ in principio meę lętitiæ. Ipse me citius quàm uos obliuiscar: et si unquã sermo tacebit, loquet affectus: et si uox deficiet nõ deficiet gratia, quæ meis est infixa pręcordijs. Quomodo ceciderũt potẽtes? Quomodo uterq; super illa Babylonis ceciderũt flumina? Quomodo rapidiora utriusq; uitę fuere curricula, quàm ipsius Rhodani sunt fluẽta? O mihi Gratiane & Valẽtiniane specioſi & charissimi, quàm angusto uitã fine clausistis? quàm proxima uobis mortis fuere confinia? quàm sepulchra uicina? Gratiane inquàm & Valentiniane in uestris nominibus adhærere iuuat, atq; delectat in uestri commemoratione requiescere. Omnibus Gratiane & Valentiniane specioſi & charissimi: inseparabiles in uita, & in morte non estis separati. Non uos discreuit tumulus, quos nõ discernebat affectus. Non causſa mortis separauit, quos pietas una iungebat. Non uirtutum distantia dispares fecit, quos religio una fouebat. Super columbas simpliciores, super aquilas leuiores, super agnos clementiores, super uitulos innocentiores. Gratiani sagitta nõ est reuersa retro, & Valentiniani iustitia non fuit uacua, nec inanis authoritas. Quomodo sine pugna ceciderũt potentes? Doleo in te fili Gratiane, suauis mihi ualde. Plurima dedisti tuæ pietatis insignia. Tu me inter tua pericula requirebas, tu in tuis extremis me appellabas: meum de te plus dolebas dolorem quàm tuam mortem. Doleo etiam in te fili Valẽtiniane, specioſus mihi ualde. Ceciderat amor tuus in me, sicut amor

pigno-

pignoris. Tu per me putabas eripi te periculis, tu me non solum ut parentem dilígebas, sed ut redemptorem tui & liberatorem spectabas. Tu dicebas, putas ne uidebo patrem meum? Speciosa de me uoluntas tua, sed non efficax præsumptio. Hei mihi uana spes in homine. Sed tu in sacerdote dominum requirebas. Hei mihi quod uoluntatem tuam nõ antè cognoui. Hei mihi quod non clanculo antè misisti. Hei mihi qualia amisi pignora. Quomodo ceciderunt potentes, & perierunt arma concupiscenda? Et quia nemo habet quod alij plus deferat, quàm quod sibi optat, non me ab illis post mortem separes, quos in hac uita charissimos sensi. Domine peto, ut ubi ego fuero, sint & illi mecũ: ut uel illic eorum perpetua copula fruar, quia hic uti eorum diuturniore coniunctione non potui. Te quæso summe deus, ut charissimos iuuenes matura resurrectione suscites & restituscites: & immaturum hunc uitæ istius cursum matura resurrectione compenses, Amen.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS

EPISCOPI ORATIO FVNEBRIS DE EXCESSV FRATRIS SVI SATYRI.

DEduximus fratres dilectissimi hostiam meam, hostiam incontaminatam, hostiam deo placentem, dominum & fratrem meũ Satyrum. Memineram quippe eum esse mortalem, nec fefellit opinio, sed superabundauit gratia. Itaq; nihil habeo quod querar, sed habeo in quo deo gratias agam: quia semper optaui, ut si quæ perturbationes uel Ecclesiam uel me manerent, in me potius ac meam reciderent domum. Deo igitur gratias, quia in hoc omnium metu, cũ omnia motibus sint suspecta barbaricis, communem mœrorem priuato dolore transegi, & in me conuersum est quicquid omnibus timebã, atq; utinam hic cõsummatũ sit, ut dolor meus publici doloris redemptio sit. Nihil quidem habui fratres charissimi in rebus humanis tanto fratre preciosius, nihil amabilius, nihil charius. Sed præstant priuatis publica. Ipsius quoq; si quis sententiam sciscitaretur, mallet occidi pro alijs, quàm sibi uiuere. Propterea enim pro omnibus secundũ carnem Christus est mortuus, ut nos non solis nobis uiuere disceremus. Accedit illud, quod ingratus diuinitati esse non possum. Lætandum est enim magis quod talem fratrẽ habuerim, quàm dolendum quod fratrem amiserim. Illud enim munus, hoc debitũ est. Itaq; perfunctus sum quãdiu licuit concesso mihi fœnore: qui deposuit pignus, recepit. Nihil interest utrum abiures depositum, an doleas restitutum. In utroq; & fidei ambiguum & uitæ periculum est. An si pecuniam neges, culpa est: si hostiam neges, impietas non est? cum pecuniæ fœnerator illudi possit, naturæ author, & necessitudinis creditor fraudari nõ queat: Itaq; quanto uberior fœnoris summa, tanto gratior sortis usura. Vnde ingrati de fratris morte esse non possumus, quia quod naturę communis fuit reddidit: quod gratiæ singularis est meruit. Quis enim communem conditionẽ recuset? Quis doleat sibi proprium pignus ereptum, cum ad solatium nostri filium suum unicum pro nobis pater tradiderit ad mortem? Quis exceptũ se putet esse debere à conditione moriendi, qui non sit exceptus à conditione nascendi? Magnum pietatis mysteriũ, ut mors corporis nec in Christo esset excepta: ac licet naturæ dominus, carnis tamen quam susceperat legem non recusaret. Et mihi necesse est mori, illi necesse non fuit. An qui de seruo dicit: Si eum uolo sic manere donec uenio, quid ad te? nõ potuit ipse sic manere si uel let? Sed perpetuitate uitæ huius sibi precium, mihi sacrificium perdidisset. Quod igitur maius est solatium nostri, quàm quod secundum carnem & Christus est mortuus? Aut cur ego uehementius fleam fratrem, cùm sciam illam mori non potuisse pietatem? Cur solum præ cæteris fleam, quem fletis omnes? Priuatum dolorem communi dolore digessi, præsertim cùm meæ lachrymæ nihil prosint, uestræ autem lachrymæ fidem astruant, consolationem afferant. Fletis diuites, & flendo probatis nihil opitulari repositas diuitias ad salutem: cùm pecuniæ precio mors differri non queat, & pari usu diuitem inopemq; dies supremus eripiat. Fletis senes, quod in hoc liberorũ sortem pauetis. Et ideo quia uitam corporis producere non potestis, instituite liberos non ad usum corporis, sed ad uirtutis officium. Fletis & iuuenes, quod naturæ finis nõ sit maturitas senectutis.

Ioann. 21

Fleuerunt & pauperes, & quod multo est preciosius, multoq; uberius, lachrymis suis eius delicta lauerũt. Istæ sunt lachrymæ redemptrices, isti gemitus qui dolorẽ mortis abscondunt, iste dolor qui perpetuæ ubertate lætitiæ ueteris sensum doloris obducat. Itaq; licet priuatũ funus, fletus tamen est publicus: & ideo nõ potest fletus esse diuturnus, qui uniuersorum est affectibus cõsecratus. Nam quid te mi frater amantissime fleam, qui mihi sic ereptus es, ut esses omniũ? Non enim perdidi usum tui, sed commutaui: ante corpore inseparabilis, nunc indiuiduus affectu. Manes enim mecũ, ac semper manebis. Et qui dem cùm uiueres nobiscum, nunquam te patria eripuit mihi: nec ipse mihi unquam patriam prætulisti, & nunc alteram præstitisti. Cœpi enim iam hic non esse peregrinus, ubi melior mei portio est. Nunquam enim totus in me fui, sed in altero nostri pars maior amborum: uterq; autẽ eramus in Christo, in quo & summa uniuersitatis, & portio singulorum est. Hic mihi tumulus genitali solo gratior, in quo non naturæ, sed gratiæ meę fructus est. In isto corpore enim quod nunc exanimũ iacet, præstantior uitæ meæ functio: quia in hoc quoq; quod gero corpore, uberior tui portio. Atq; utinã ut memorię, ut gratiæ, ita etiã uitæ tuę hoc quicquid est quod spiramus, spirare possemus, dimidiumq; meorum decideret temporum, quod ad tuorum proficeret usum. Par enim erat, ut quibus indiuisum semper fuit patrimonium facultatum, non esset uitæ tempus diuisum: uel certè qui indistincta semper habuimus uiuendi consortia, non haberemus distincta morendi. Nunc uerò frater, quò progrediar, quo' ue conuertar? Bos bouem requirit, sęq; non totum putat, & frequenti mugitu pium testatur affectum, si forte defecerit cũ quo ducere collo aratra consueuit: & ego te frater non requirã? Aut possim unquam obliuiisci tui cum quo uitæ huius semper aratra sustinui? Labore inferior, sed amore coniunctior: nõ tam mea uirtute habilis, quàm tua patientia tolerabilis: qui pio semper solicitus affectu latus meum tuo latere sepiebas: charitate, ut frater: cura, ut pater: solicitudine, ut senior: reuerentia, ut iunior. Ita in unius necessitudinis gradu cõplurium mihi necessitudinum officia impendebas: ut in te non unum, sed plures amissos requiram: in quò uno ignorata adulatio, expressa est pietas. Neq; enim habebas quod simulatione adderes, qui totũ pietate comprehenderes, ut nec incrementa receperis, nec uicẽ expectaris. Sed quò immemor officij, memor gratiæ, immodico dolore progredior? Reuocat Apostolus, &

1. Thes. 4 tanquam frænos mœrori inducit dicens, sicut nuper audistis: Nolumus uos ignorare fratres de dormientibus, ut non tristes sitis, sicut & cæteri qui spem nõ habent. Date ueniã

1. Corin. 4 fratres charissimi. Neq; enim omnes possumus dicere: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi: sed ad imitandum si authorem quæritis, habetis quem possitis imitari. Non omnes ad docendũ idonei, utinam omnes ad discendũ habiles. Non grauẽ lachrymis contraximus culpam: non omnis infidelitatis aut infirmitatis est fletus. Alius est naturę dolor, alia est tristitia diffidentiæ: & plurimum refert desiderare quod habueris, & lugere quod amiseris. Non solus dolor lachrymas habet, habet & lætitia lachrymas suas. Et pietas fletũ excitat, & oratio stratũ rigat, & precatio iuxta propheticũ dictum lectulum lauat. Fecerunt & fletũ magnũ sui cùm patriarchæ sepelirentur. Lachrymę ergo pietatis indices, non illices sunt doloris. Lachrymaui ergo fateor etiã ego, sed lachrymauit & dominus. Ille alienũ, ego fratrem. Ille in uno lachrymauit omnes, ego in omnibus lachrymabo te frater. Ille nostro non suo lachrymauit affectu. Neq; enim diuinitas lachrymas habet, sed lachrymauit in eo qui tristis fuit, lachrymauit in eo qui crucifixus est, qui mortuus, qui sepultus: lachrymauit in eo de quo hodie nobis insinauit Propheta, dicens: Ma

Psalm. 86 ter Sion dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eã altissimus. In eo lachrymauit, quòd matrẽ Siõ dixit, genitus in Iudæa, susceptus ex Virgine. Matrẽ autẽ secundum diuinitatem habere non potuit, qui author est matris. Ille factus est nõ diuina gene

Esaiæ. 9 ratione, sed humana, quia homo factus est, deus natus est. Sic & alibi habes: Puer natus est nobis, filius datus est nobis. In puero enim nomẽ ætatis, in filio plenitudo diuinitatis est: factus ex matre, natus ex patre, idẽ tamẽ & natus & datus: non diuersum, sed unũ putes. Vnus enim dei filius, & natus ex patre, & ortus ex Virgine: distãti ordine, sed in unũ

Psalm. 86 concurrente nomine, sicut & præsens lectio docet: quia & homo factus est in ea, & ipse fundauit eã altissimus: homo utiq; corpore, altissimus potestate. Et si deus & homo diuersitate naturæ, idem tamen non alter in utroq;. Aliud ergo speciale naturæ suæ, aliud commune

commune nobiscum: sed in utroq; unus, & in utroq; perfectus. Non igitur mirandũ est quia & dominum eum, & Christum fecit deus. Fecit ergo Iesum eum utiq; qui ex corpore nomen accepit, fecit eum de quo etiã Patriarcha scribit Dauid, Mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea. Dissimilis utique non diuinitate, sed corpore: nec discretus à patre, sed exceptus in munere: manens in consortio potestatis, segregatus in mysterio passionis. Plura loci huius tractatus exposcit, quibus possimus ostendere authoritatem patris, proprietatem filij, trinitatis totius unitatem: sed consolandi hodie non tractandi partes recepi: quamquam abducere à mœrore animum intentione tractandi, consolationis sit usus. Sed temperandus mihi mœror, quàm alienandus affectus est: ut mulceantur magis desideria, quàm sopiantur. Non libet enim abire à fratre longius & occupatione subduci, cùm uelut comitandi eius gratia hic sermo susceptus sit, ut diutius sensu prosequar proficiscentem: & quem oculis teneo, mente complectar. In illo enim totam oculorum aciem figere libet, cum illo totis animorũ officijs immorari, illum toto blanditiarum ambire obsequio, dum stupet animus: nec amissum credo, quem adhuc cerno præsentẽ: nec mortuum puto, cuius ad huc officia nõ requiro, quibus ego uitæ meæ usum & spirandi omne munus addixeram. Quid enim referam tantæ gratię, tanto labori? Ego te frater hæredem feceram, tu me hæredem reliquisti. Ego te superstitem optabam, tu me superstitem dimisisti. Ego pro muneribus tuis ut compensarem beneficia, uota referebam: nunc & uota perdidi, sed tamen tua beneficia non amisi. Quid agã mei successor hæredis? Quid agam meæ uitæ superstes? Quid agam exors huius quod capio lumínis? Quas grates, quæ munera referam tibi? Nihil à me præter lachrymas habes. Aut fortasse securus meriti tui, quas solas superstites habeo lachrymas, nõ requiris. Nam etiam cùm adhuc uiueres, flere prohibebas: mœroremq; magis nostrum quàm tuã mortem tibi esse testabaris dolori. Prohibent ulterius prodire lachrymæ, fletusq; reuocant. Prohibet etiam tui gratia: ne dum nostra deflemus, de tuis meritis desperare uideamur. At certe ut nobis etiam mœroris istius minuisti acerbitatem, non habeo quod timeam, qui timebam tibi, non habeo quod mihi iam mundus eripiat. Et si sancta supersit soror integritate uenerabilis, æqualis moribus, nõ impar officijs: tibi tamen ambo plus timebamus, in te uitę huius iucunditatem repositam putabamus. Propter te uiuere delectabat, propter te mori non pigebat. Te enim ambo superstitẽ precabamur, tibi nos superuiuere nõ iuuabat. Quando nõ cohorruit animus, cùm metus huiusmodi titillaret? Quomodo consternata mens erat ægritudinis tuæ nuncio? Væ miseræ opinioni. Putabamus redditũ, quem uidemus dilatum. Tuis enim uotis apud sanctum martyrem Laurentium impetratum esse nunc cognoscimus commeatum, atq; utinam non solum commeatum, sed etiam prolixũ uitæ tempus rogasses. Potuisti annos plurimos impetrare uiuendi, qui potuisti commeatum impetrare ueniendi. Et quidẽ tibi omnipotens æternæ deus gratias ago, quod uel hæc nobis suprema solatia nõ negasti, quod amantissimi fratris ex Siculis Africanis ue regionibus exoptatum nobis reditũ contulisti. Ita enim maturè postquã uenit ereptus est, quasi propter hoc solũ uideretur esse dilatus, ut ad fratres rediret. Habeo plane pignus meum quod nulla mihi peregrinatio iam possit auellere, habeo quas complectar reliquias, habeo tumulũ quem corpore tegã, habeo sepulchrũ super quod iaceam: & commendabiliorẽ deo futurum esse me credam, quod supra sancti corporis ossa requiescã. Vtinam sic potuissem aduersus mortem quoq; tuam meum corpus obijcere. Si gladijs petitus esses, me pro te potius suffigendũ dedissem: si exeuntem potuissem reuocare animam, meam potius obtulissem. Nihil mihi profuit ultimos hausisse anhelitus, nihil flatus in os inspirasse morienti. Putabam enim quod aut tuam mortem ipse susciperem, aut meam uitam in te ipse trãsfunderem. O infelicia illa, sed tamen dulcia suprema osculorum pignora. O amplexus miseri, inter quos exanimum corpus obriguit, halitus supremus euanuit. Stringebam quidem brachia, sed iam perdiderã quem tenebam: & extremum spiritum ore relegebam, ut consortium mortis haurirem. Sed nescio quomodo uitalis ille mihi halitus factus est, & maiorem gratiam in ipsa morte redolebat. Atq; utinam si tuam nequiui meo spiritu uitam producere, uel ultimi anhelitus tui uigor transfundi potuisset in meam mentem, & illam tui animi puritatem atq; innocentiã noster spirasset affectus. Hanc mihi hæreditatẽ frater charissime reliquisses,

Psalm. 86

quæ non lachrymabili dolore percutere affectum, sed memorabili gratia commendaret hæredem. Quid igitur nunc agam, cum omnes uitæ istius suauitates, cuncta solatia, cuncta denique ornamenta amiserim? Tu enim mihi unus eras domi solatio, foris decori: tu, inquam, in consilijs arbiter, curæ particeps, deprecator solicitudinis, depulsor mœroris: tu meorum assertor actuũ, cogitationumq; defensor: tu postremo unus in quo domestica solicitudo resideret, publica cura requiesceret. Testor sanctam animam tuã, me inpublicis ecclesiæ id sæpe ueritum esse, ne displicerem tibi. Denicq; ubi rediisti, obiurgasti moram. Ita domi foriscq; eruditor quidam & arbiter sacerdotis, ut domestica cogitare non sineres, publica curare censeres. Vt uereor, ne uidear arroganter dicere. Hęc enim laudis tuæ portio est, quia sine offensione ulla & gubernasti fratris domum, & commendasti sacerdotium. Sentio equidem quod repetendis officijs tuis, recensendisq; uirtutibus afficiatur animus: sed tamen in ipsa mei affectione requiesco, atq; hæ mihi recordationes etsi dolorẽ renouant, tamen adferunt uoluptatem. An ego possum aut non cogitare de te, aut unquam sine lachrymis cogitare? Et potero unquam aut tanti non meminisse fratris, aut sine lachrymabili quadam meminisse gratia? Quid enim mihi unquam iucundum, quod non esset ex te profectum? Quid unquã mihi sine te, aut tibi unquam sine me uoluptati fuit? Quis non usus nobis, & prope usus ipse somnusq; cõmunis? Quę discreta unquam uoluntas? quod nõ commune uestigium? Fere ut cum gradum tollerẽ uel tu meum, uel ego tuum corpus uiderer attollere. Quod si quando sine altero prodeundum fuit, intectum latus putares, affectum uultum cerneres, mœstum animum iudicares: non assueta gratia, non uigor solitus prænitebat, suspecta omnibus solitudo metum alicuius ægritudinis afferebat. Ita nouum uidebatur omnibus nos diuidi. Ego certe fraternæ oblitus absentiæ, quasi præsentem reflexa sæpius ceruice quærebam, & coram alloquí atq; aspicere uidebar mihi. Sed tanquam suspensum collo iugum, ubi speratis excideram, trahere me putabam: difficilis progredi, uerecundus uideri, & redire deproperans, quod sine te procedere non liberet. At uero ubi ambobus prodeundum fuit, non plura in itinere uestigia quam uerba: nec incessus, quàm sermo crebrior, nec ambulandi cura, sed colloquendi gratia. Vterque enim nostrum ex alterius ore pendebat. Non intento aspectu legere iter, sed mutuo solicitos excipere sermones, haurire oculorum gratiam, spirare fraternæ imaginis uoluptatem. Quàm uirtutes tuas tacitus mecum ipse mirabar? Quàm plaudebã mihi, quod talí me dominus fratre donauerat, tam pudico, tam efficaci, tam innocenti, tam simplici? Vt cum tuam innocentiam cogitarem, efficaciam desperarem: cum efficaciam cernerem, innocentiam non putarem. Sed utrũq; mira quadam uirtute iungebas. Denicq; ea quæ ambo nequiueramus concludere, solus implesti. Plaudebat sibi, ut audio, Prosper, quod sacerdotij mei occasione redditurum se quæ abstulerat non putabat: sed uehementiorem tuam unius efficaciã expertus est quàm duorum. Itaq; soluit omnia, nec moderationi ingratus tuæ, nec illudens pudori: sed & modestiæ gratus, nec insolẽs efficaciæ. Sed cui frater illa quæsisti? Nos enim idem uolebamus laborum tuorum esse præmium, quod documentũ erat. Peregisti omnia, & ubi perfunctus omnibus reuertisti, tu solus nobis qui omnibus es præferendus eriperis: quasi ideo mortem distuleris, ut cõsummares pietatis officium, palmã efficaciæ reportares. Quàm nec ipsi nos frater charissime seculi huius delectabãt honores, quod nos à nobis inuicẽ diuidebant. Quos ideo adepti sumus, nõ quia fuit eorũ expetenda perceptio, sed ne uilis dissimulatio uideretur. Aut fortasse ideo sunt tributi, ut quia immaturo tui obitu nostræ futurus erat uoluptatis occasus, sine nobis iam uiuere disceremus. Equidẽ præsagæ mentis agnosco formidinẽ, dum repeto sępe quæ scripserim. Reuocabã te frater, ne ipse Africam peteres, ac potius aliquem destinares: timebam te committere uiæ, fluctibus credere, & solito metus maior incesserat animum: sed & peregrinationẽ explicuisti, & rem ordinasti, & ueteri & sentinoso, ut audio, nauigio iterũ te fluctib. credidisti. Nãq; dũ celeritatem aucuparis, cautelã prætermisisti, auidus nostræ gratiæ, dissimulans periculi tui. O fallax lætitia, ô incerta humanarum rerum curricula. Ex Africa redditum, ex matri restitutũ, ex naufragio seruatũ putabamus iam nobis nõ posse eripi: sed grauiora naufragia in terris positi sustinemus. Nã quẽ non potuerunt naufragia maris ad mortẽ deducere, strenuis natatibus euitata, eius mors cœpit nobis esse naufragio. Quid enim supereſt

ſuauitatis, quibus tam prædulce decus, tam charum in his mundi tenebris lumen extinctum eſt, in quo non noſtræ ſolum familiæ, ſed totius patriæ decus occidit? Habeo ſane uobis fratres dilectiſſimi, plebs ſancta, maximam gratiam, quod non alium dolorem meum quàm ueſtrum putatis: quod uobis accidiſſe hanc noſtri creditis ſolitudinẽ, quod fletum totius ciuitatis, ætatum omnium, ordinum omnium uota, noua quadã pietate deſertis. Non enim miſericordiæ priuatæ dolor, ſed quoddam publicæ officium & munus eſt gratiæ. Aut ſi qua uos mei tangit miſericordia, quod talem fratrẽ amiſerim, habeo fructum uberem, habeo ueſtri pignus affectus. Mallem fratrẽ uiuere: ſed tamen publicum officiũ in ſecundis rebus iucundius eſt, in aduerſis gratius. Neq; uero mihi mediocre meritum tanti uidetur officij. Neq; enim ocioſe uel in actibus Apoſtolorum Thabitã mortuam flentes uiduæ deſcribuntur, uel in Euangelio mota lachrymis uiduæ proſequens turba funus adoleſcentis inducitur, cui reſurrectio debebatur: illam tamen Thabitam uiduæ, hunc tota ciuitas fleuit. Non ergo dubium eſt ueſtris lachrymis Apoſtolorum patrocinium comparari, non inquam dubium eſt Chriſtum miſericordia motum, cum uos flentes uideret. Etſi nunc nõ tetigit loculum, ſuſcepit tamẽ commendatũ ſpiritum. Et ſi non appellauit corporis uoce defunctum, diuinæ tamen poteſtatis authoritate à cruciatibus mortis, & nequitiæ ſpiritalis incurſionibus eius animam liberauit. Et ſi non reſedit in loculo qui erat mortuus, tamen requieuit in Chriſto. Et ſi non locutus eſt nobis, tamen ea quæ ſupra nos ſunt cernit, & quæ potiora ſunt nobis iam ſe uidere lętatur. Per ea enim quæ in Euangelio legimus, quæ futura ſunt intelligimus, & præſentium ſpecies, indicium eſt futurorũ. Non opus fuit ei reſurrectione temporali, cui ęterna debetur. Quid enim in hanc miſerã & ærumnoſam recideret labem, atq; in hanc flebilem uitam rediret quem raptũ magis eſſe ex tam imminentibus malis, urgentibuſq; periculis gaudere debemus? Nam ſi pacato ſeculo belliſq; ceſſantibus raptũ Enoch nemo defleuit, ſed magis Prophetã laudauit, ſicut de illo ſcriptura dixit: Raptus eſt ne malitia mutaret cor eius: quanto magis nunc iure dicendum eſt, cum ad ſeculi lubricũ uitæ accedat ambiguum, raptus eſt, ne manus incideret Barbarorũ? raptus eſt ne totius orbis excidia, mundi finẽ, propinquorum funera, ciuiũ mortes, ne poſtremo ſanctarũ uirginũ atq; uiduarũ, quod omni morte acerbius eſt, colluuionem uideret? Ego uerò te frater cùm uitæ tuæ flore, tum mortis commoditate beatum arbitror. Nõ enim nobis ereptus es, ſed periculis: nõ uitam amiſiſti, ſed ingruentium acerbitatum formidine caruiſti. Nam qua eras ſanctæ mentis miſericordia in tuos, ſi nunc urgeri Italiam tam propinquo hoſte cognoſceres, quantũ ingemiſceres, quàm doleres in Alpium uallo ſummam noſtræ ſalutis conſiſtere, lignorumq; concædibus conſtrui murum pudoris? qua afflictione mœreres tam tenui diſcrimine tuos ab hoſte diſtineri, ab hoſte impuro atq; crudeli, qui nec pudicitiæ parceret nec ſaluti? Quo nã, inquam, hæc modo ferres, quæ nos perpeti, & fortaſſe (quod grauius eſt) ſpectare cogemur, rapi uirgines, & auulſos à cõplexu parentũ paruos liberos ſupra tela iactari, inceſtari ſacrata deo corpora, & ſenilẽ uiduæ maturioris uterũ in uſus deſuetos onerum redire, nõ pignorum? Quo nam, inquam, modo iſta tolerares, qui etiã ultimo ſpiritu, tui iam fortaſſis oblitus, & adhuc noſtri non immemor, de cauenda incurſione Barbarorum nos ſæpius admonebas, commemorans non fruſtra te dixiſſe fugiendum: Fortaſſe ideo, quod nos deſtitui tua morte cernebas: quod non infirmitate animi, ſed pietate faciebas, & ſi infirmus pro nobis, tamen firmus tibi. Qui cum à uiro nobili re uocareris Symmacho tuo parente, quod ardere bello Italia diceretur, quod in periculũ tẽderes, quod in hoſtem incurreres, reſpondiſti hãc ipſam tibi cauſſam eſſe ueniendi, ne noſtro deeſſes periculo, ut conſortem te fraterni diſcriminis exhiberes. Felix igitur tam opportuno obitu, quia non es in hunc ſeruatus dolorẽ. Certe felicior quàm ſancta ſoror quæ tuo ſolatio deſtituta, de ſuo pudore ſolicita, duobus nuper beata germanis, nunc ex duobus fratribus ærumnoſa, neq; alterum ſequi poteſt, neq; alterũ derelinquere: cui tumulus hoſpitium tuus, & corporis tui ſepulchrum eſt domus. Atq; utinam uel hoc tutũ diuerſorium. Cibus in fletibus, potus in lachrymis. Cibum etenim dediſti nobis panẽ lachrymarum, & potum dediſti nobis in lachrymis in menſuram, aut fortaſſe ultra menſuram. Nam quid de me loquar cui neq; mori licet, ne ſororem relinquam: neq; uiuere libet, ne à te reuellar? Quid enim mihi ſine te poteſt eſſe iucũdũ, in quo omnis ſemper fuit

Act. 9
Luc. 7
Gene. 5

noſtra iucunditas? Aut quid diutius in hac uita degere iuuat, atq; in terris morari, in qui
bus tam diu iucunde uiximus, quamdiu ſimul uiximus? Et ſi eſſet quod hic delectare
poſſet, ſine te delectare non poſſet. Et ſi quando uoluiſſemus impenſe uitam produce-
re, iam tamen ſine te eſſe nollemus. Hæc intolerabilia. Quid enim tolerabile ſine te tan-
to uitæ comite, tanto laborum meorum officiorumq; conſorte? Cuius ego caſum, quo
eſſet tolerabilior, nec præmeditari potui, ita pauebat animus de illo tale aliquid cogita-
re: non quo conditionem ignorarem, ſed quidam uotorũ uſus ſenſum communis fragili
tatis obduxerat, ut de illo niſi ſecunda omnia cogitare neſcirem. Deniq; proximè cum
graui quodam, atq; utinam ſupremo, urgerer occaſu, hoc ſolum dolebam quod nõ ipſe
aſſideres lectulo, ac uotiuum mihi cum ſancta ſorore partitus officium, morientis ocu-
los digitis tuis clauderes. Quid optaueram? Quid rependo? Quæ uota deficiunt? Quæ
miniſteria ſuccedunt? Aliud præparabam, aliud exhibere compellor: non iam ipſe mini
ſterium funeris, ſed miniſter. O dura oculorum lumina, quæ potuiſtis fratrem uidere mo
rientẽ. O immites & aſperæ manus, quæ clauſiſtis oculos in quibus plus uidebam. O du
rior ceruix, quæ tam lugubre onus cõſolabili licet obſequio geſtare potuiſti. Hæc tu fra-
ter mihi iuſtius exhiberes. Hæc ego à te expectabam, hæc ego officia deſiderabam. Nũc
uero ipſe meę uitæ ſuperſtes, quod ſine te ſolatium capiam, qui ſolus mœrentẽ ſolari ſo-
4 lebas, excitare lætitiam, mœſtitudinẽ propulſare? Qualem te nunc ego frater aſpicio, iã
nulla mihi uerba referentẽ, iam nulla offerentem oſcula? quanquam ita mutuus ſemper
utriq; noſtrum inſederit amor, ut interiore potius foueretur affectu, quàm forenſi blan-
ditia diuulgaretur. Neq; aliorum quærebamus teſtimonium, qui tantam noſtri gratiam
tenebamus. Ita uirilis ſe utriq; noſtrum germanitatis ſuccus infuderat, ut non blanditijs
probare amorem, ſed conſciamente pietatis interno amore contenti, fucum blanditia-
rum non requirere uideremur, quos & ipſa in amorem mutuũ imago formaret. Neſcio
enim qua expreſſione mẽtis, qua corporis ſimilitudine alter in altero uidebamur. Quis
te aſpexit, qui non me uiſum putaret? Quotiens aliquos ſalutaui, qui quoniam te prius
5 conſalutauerant, ſe à me iam dicerent ſalutatos? Quanti tibi dixerunt aliquid, qui ſe mi-
hi dixiſſe memorarent? Quæ mihi hinc gaudia, quanta frequenter oborta lætitia, quod
eos errare in nobis cernerẽ? Quàm gratus error, quàm iucunda prolapſio, quã religioſa
fallacia, quàm ſuauis calumnia. Neq; enim de tuis erat aliquid aut factis aut ſermonibus
quod timerẽ, qui mihi tua lætabar adſcribi. Tamen ſi uehementius contenderent quod
ſe mihi aliquid intimaſſe memorarent, reſpondebã ridens & gaudẽs: Videte ne fratri di
xeritis. Nam cũ omnia nobis eſſent noſtra cõmunia, indiuiduus ſpiritus, indiuiduus affe
ctus, ſolũ tamen commune non erat ſecretum amicorũ: non quo conferendi periculum
uereremur, ſed tenendi ſeruaremus fidẽ. Sane ſi conſilio pendenda res eſſet, erat ſemper
commune conſiliũ, non ſemper commune ſecretũ. Nam & ſi amici ita alteri noſtrum di
cerent, ut dicta ſua ad alterutrum peruenirent, tamen ſcio plerumq; ita fidem ſecreti eſſe
ſeruatam, ut nec fratri committeretur. Erat enim fidele indiciũ, & extraneo non eſſe pro
ditum, quod non eſſet cum fratre collatũ. His igitur tantis ac talibus bonis in exceſſum
quendam fateor mentis elatus, ſuperſtitem me timere deſieram, quod illum uita crede-
rem digniorem: & ideo excepi plagam quam ferre non poſſum. Tolerabiliora enim tan
ti doloris præmeditata, quàm inexplorata uulnera. Quis iam mœſtum ſolabitur? Quis
afflictum leuabit? Cum quo participabo curas? Quis me ab iſtius mũdi uindicabit uſu?
Tu enim actor negociorum, cenſor ſeruulorum, arbiter fratrum: non litis, ſed pietatis ar
biter. Nam ſi quando aliquid cum ſancta ſorore mihi conferendum fuit, utra melior ui-
deretur ſententia, te iudicem ſumebamus: qui nullius læderes os, atq; utriq; ſatisfacere
geſtiens, & amandi affectũ tenebas, & cenſendi modum: ut & utrumq; gratum dimit-
teres, & utriuſq; tibi gratiam uindicares. Aut ſi ipſe aliquid diſceprandũ deferres, quàm
grata contentio tua? quàm ſine felle ipſa indignatio? quam ſeruulis ipſis coercitio non
cũ te fratribus magis deferre, quàm ex affectu diceres uindicare. Nobis enim profeſſio
repreſſit ſtudia coercẽdi, imò tu frater ab omni nos abducebas coercitionis affectu: uin
dicare pollicens, & lenire deſiderans. Non mediocris igitur prudentiæ teſtimoniũ quæ
ita à ſapientibus definitur, Bonorum primum eſſe deum ſcire, & uerum illud atq; diui-
num pia mente uenerari, illam amabilem & concupiſcendã æternæ pulchritudinẽ ueri-
tatis tota

tatis tota mentis charitate diligere. Secundum autem, in proximos à diuino illo fonte atque cœlesti naturæ deriuare pietatem: quod etiam mundi sapientes nostris hausere de legibus: Neq; enim deriuare ista in hominum disciplinas, nisi de cœlesti illo diuinę legis fonte potuissent. Quid igitur obseruantiã eius erga dei cultũ prædicẽ? Qui priusquã per fectioribus esset initiatus mysterijs, in naufragio constitutus, cum ea qua ueheretur nauis scopuloso illisa uado, & urgentibus hinc atq; inde fluctibus solueretur, non mortem metuens, sed ne uacuus mysterij exiret è uita, quos initiatos esse cognouerat, ab his diui num illud fidelium sacramentum popoſcit: non ut curiosos oculos insereret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orariũ inuoluit collo, atq; ita se deiecit in mare, non requirens de nauis cõpage resoluta tabulam cui supernatans iuuaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat. Itaq; his se tectum atq; munitum satis credens, alia auxilia non desiderauit. Simul fortitudinem eius spectare licet, qui fatiscente remigio non quasi naufragus tabulam sumpserit, sed quasi fortis ex seipso admiculum suæ uirtutis assumpserit. Nec deseruit spes, nec fefellit opinio. Deniq; primus seruatus ex undis, & in portum terrenæ stationis euectus, præsulem suum cui se credide rat recognouit, statimq; ubi etiam cæteros seruulos suos uel ipse liberauit, uel liberatos comperit, negligens facultatũ, nec amissa desiderans, dei ecclesiam requisiuit, ut ageret gratias liberatus, & mysteria æterna cognosceret, pronuncians nullum referendæ gratiæ maius esse officium. Quod si homini non referre, simile homicidio iudicatũ est: quantum crimen est non referre deo? Est ergo prudentis agnoscere seipsum, & quemadmodum à sapientibus definitum est, secundum naturam uiuere. Quid enim est tam secundum naturam, quàm referre authori gratiam? Aspice cœlum hoc, nonne authori refert gratiam cum uidetur? Cœli enim enarrant gloriã dei, & opera manuũ eius annunciat firmamentum. Mare ipsum cum sedatum atq; tranquillum est, diuinæ serenitatis testatur indicium: cum mouetur, indignatio superna terrori est. Nonne omnes dei gratiam iure miramur, cum aduertimus quod insensibilis natura quadã sensibili ratione suos fluctus coerceat, & fines suos unda cognoscat? Nam de terris quid loquar, quę diuino obedientes præcepto omnibus sponte animantibus pabulum subministrãt, atq; id quod accepe rint agri, uelut crescentibus usuris multiplicatum cumulatumq; restituũt? Ergo ille qui natura duce diuini rationem operis igneo mentis uigore perceperat, sciuit primo omnium seruatori suo gratiam esse referendã. Sed quia referre non poterat, habere poterat. Est enim huiuscemodi gratiæ uis, ut & cum referẽ habeatur, & habendo referatur. Referebat igitur gratiam, deferebat fidem. Nam qui tantum mysterij cœlestis inuoluti in orario præsidium fuisset expertus, quãtum arbitrabatur si ore sumeret, & toto pectoris haurire arcano? quam maius putabat fusum in uiscera, quod tantũ sibi tectũ orario profuisset? Sed non ira auidus fuit, ut esset incautus. Scimus enim plerosq; auiditate studij præterm ittere cautionem. Aduocauit ad se Episcopũ, nec ullã ueram putauit nisi ueræ fidei gratiã, percontatusq; ex eo est utrum nam cum episcopis catholicis, hoc est cum Romana ecclesia cõueniret, & forte & ad id locorum in schismate regionis illius ecclesia erat. Lucifer enim se à nostra tunc temporis communione diuiserat, et quanquã pro fide exulasset, & fidei suæ reliquisset hæredes, non putauit tamen fidẽ esse in schismate. Nam etsi fidem erga deum tenerent, tamen erga dei Ecclesiam non tenerent, cuius patiebantur uelut quosdam artus diuidi, & membra lacerari. Etenim cum propter Ecclesiã Christus passus sit, & Christi corpus Ecclesia sit, non uideẽ ab his exhiberi Christo fides, à quibus euacuatur eius passio, corpusq; distrahitur. Itaq; quamuis gratiæ fœnus teneret, & meueret tanti nominis debitor nauigare, tamen eò transire maluit, ubi tuto posset exoluere. Iudicabat enim diuinæ solutionem gratiæ in affectu ac fide esse: quam quidem statim ubi primum copia liberior Ecclesiæ fuit, implere non distulit. Deiq; gratiam & accepit desideratam, & seruauit acceptam. Nihil igitur ea prudẽtia sapientius, quæ diuina & humana secernit. Nam quid spectatam stipendijs forensibus eius facundiã loquar? Quàm incredibili admiratiõe in auditorio præfecturę sublimis emicuit? Sed malo illa laudare, quæ perceptis mysterijs dei duxit humanis esse potiora. Fortitudinem quoq; eius si quis plenius spectare uolet, consideret quotiẽs post naufragiũ inuicto quodam contẽptu uitæ huius maria transfretauerit: diffusasq; regiones obeundo peragrarit: postremo quòd

6

7

Psalm. 18

8

9

hoc ipso tempore periculum non refugerit, sed ad periculum uenerit, patiẽs iniuriæ, ne-
glígens frigoris, atq; utinam solícitus cautionis. Sed hoc ipso beatus, quod dum lícuit ui
gore uti corporis, inoffenso ad exequenda quæ uellet functus iuuentutis officio, uitam
uíxit, debílitatẽ ignorauit. Qua uero prosecutiõe simplícitatẽ eius ediſſerã? Ea est enim
quædam morum temperantia, mentísq; sobrietas. Date quæso ueniam, & permittite do
lori meo, ut de eo mihi paulò uberius liceat loqui, cum quo iam non conceditur collo-
qui. Certe & uobis proficit, ut aduertatis non fragilitate quadam uos hoc officiũ, sed iu-
dicio detulisse: nec misericordia mortis impulsos, sed uirtutum honorificentia prouoca-
tos. Anima enim benedicta omnis simplex. Tãtæ autem simplicitatis erat, ut conuersus
in puerum, simplicitate illius ætatis innoxiæ, perfectæ uirtutis effigie, & quodam inno-
centium morum speculo reluceret. Intrauit igitur in regnum cœlorum, quoniam credi-
dit dei uerbo, quoniam sicut puer artem repulit adulãdi, iniuriæ dolorem clementer ab-
sorbuit, quam clementius uindicauit, querelæ quàm dolo promptior, satisfactioni faci-
lis, difficilis ambitioni, sanctus pudori, ut frequenter in eo superfluam magis uerecun-
diam prædicares, quàm necessariam quæreres. Sed nunquam superflua fundamenta uir
tutis. Pudor enim non reuocat, sed cõmendat officiũ. Itaq; uelut quadam uirginali uere-
cundia suffusus ora, cum uultu affectũ proderet, si forte aliquam subito ueniens offendis
set parentem, uelut depressus & quasi demersus in terram, licet in ipso nequaquam dissi
milis cœtu uirorũ, rarus attollere os, eleuare oculos, referre sermonẽ, quod pudico quo-
dam mentis pudore faciebat, cum quo castimonia quoq; corporis congruebat. Etenim
intemerata sacri baptismatis dona seruauit, mundus corpore, purior corde: non minus
adulterini sermonis opprobrium quàm corporis perhorrescens: non minorem ratus pu
dicitiæ reuerentiam deferendam integritate uerborum, quàm corporis castitate. Deni-
que in tantum castimoniã dilexit, ut nec uxorẽ expeteret, licet in eo nõ solũ castitatis ap
petentia fuerit, sed etiam pietatis gratia. Miro autem modo & coniugium dissimulabat,
& iactantiam declinabat: tantaq; erat dissimulatio, ut nobis quoq; urgentibus differre
magis cõsortium quàm refugere uideretur. Hoc unum itaq; fuit, quod nec fratribus cre
deret: non aliqua cunctationis hæsitantia, sed uirtutis uerecundia. Quis igitur non mire
tur uirum inter fratres duos, alteram uirginem, alterum sacerdotem, ętate medium, ma-
gnanimitate non imparem, ita inter duo maxima munera præstitisse, ut alterius minoris
castitatem, alterius sanctitatem referret, nõ professionis uinculo, sed uirtutis officio? Er
go si libido atq; iracundia, reliquorum uitiorum educatrices sunt, iure castitatem atque
clementiam dixerim quasdam uirtutum parentes: quanquam pietas quoq; ut omnium
principatus bonorum, ita etiam seminarium uirtutum est cæterarum. Nam de parsimo-
10 nia quid loquar, & quadã habendi castitate? Is enim nõ quærit aliena, qui sua seruat: nec
inflatur immodice qui cõtentus est proprio. Nihil ergo aliud nisi proprium recuperare
uoluit: magis ne fraudetur, quàm ut ditaretur. Nã eos qui aliena quærũt, recte accipitres
1. Timot. 6 pecunię nominabat. Quod si radix malorũ omniũ auaritia est, utiq; uitia exuit, qui pecu
niam non requirit. Numquam accuratioribus epulis aut cõgestis ferculis delectatus est,
nisi cum amicos ad epulas rogaret: quantum naturæ satis esset, non quantum uoluptati
Matth. 5 supereſſet, requirens. Et certe erat non pauper opibus, sed tamẽ pauper spíritu. De istius
beatitudine nequaquã utiq; dubitare debemus: qui neq; ut opulens exultauit in diuitijs
neq; ut pauper exiguum quod habuit, iudicauit. Supereſt ut ad cõclusionẽ cardinalium
uirtutum, etiam iustitiæ partes in eo debeamus aduertere. Nam etsi cognatę sint inter se
concretæq; uirtutes, tamen singularum quædam forma & expressio desideratur, maxi-
mæq; iustitiæ. Ea enim sibi parcior foris tota est, & quicquid habet quadam inclementia
sui, dum rapitur amore cõmuni, transfundit in proximos. Sed huius multiplex species.
Alia erga propinquos, alia erga uniuersos, alia erga dei cultũ uel adiumentũ inopũ. Itaq;
qualis in uniuersos fuerit, Prouincialiũ quibus præfuit, studia docent: qui parentem ma-
gis fuisse proprium quàm iudicem loquebantur: gratum, pię necessitudinis arbitrũ, con
stantem æqui iuris disceptatorẽ. Inter fratres aũt qualis fuerit, licet omne hominũ genus
beneuolentia complecteretur, indiuisum patrimonium docet, nec distributa aut deliba
ta, sed reseruata hæreditas. Etenim pietatem sibi causſam esse negauit testandi. Nam hoc
quoq; ultimo sermone signauit, cum quos dilexerat commendaret, sibi nec uxoris ar-
bitrium

bitrium fuisse ducendæ, ne à fratribus diuelleretur: nec testamenti faciendi uoluntatem, ne nostrum in aliquo arbitrium læderetur. Deniq; & oratus & obsecratus à nobis, nihil tamen condendum putauit: non oblitus pauperum, sed tantum obsecrans esse tribuendum, quãtum nobis iustũ uideretur. Quo uno satis & diuini timoris expressit indicium, & humanæ edidit religionis exemplũ. Nam quod pauperibus cõtulit, deo detulit: quoniam qui largitur pauperi, deo fœnerat: & postulando quod iustum est, non exiguum, sed totum reliquit. Hæc enim summa iustitiæ, uendere quæ habeas & conferre pauperibus. Qui enim dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Ergo dispensatores nos, non hæredes reliquit. Nam hæreditas successori quæritur, dispensatio pauperibus obligatur. Vnde non immerito quantus fuerit, hodie quoq; per uocem lectoris Paruuli, spiritus sanctus expressit: Innocens manibus, & mũdo corde, qui non accepit in uanum animam suã, nec fecit proximo suo dolum, hæc est generatio requirentiũ deum. Hic ergo & in montem domini ascendet, & in tabernaculo habitabit dei, quia ingressus sine macula operatus est iustitiam, locutus est ueritatem, nõ decepit proximũ, nec pecuniam fœneratus est suam, qui semper uoluit recuperare hæreditariã. Agnosco oraculũ: quod enim nulla ordinauit dispositio, spiritus reuelauit. Quid uero illud recensẽã, quod supra ipsam iustitiam pietate progressus, cum quædã incubatori cõmunium fructuum mei contemplatione muneris putasset esse tribuenda, largitatis me iactabat authorem, portionis suæ lucrum ad commune consortium referebat? Hæc & alia quę mihi tunc erant uoluptati maximæ, nunc recordatione doloris exasperant. Manent tamen, eruntq; semper, nec tanquam umbra prætereunt: neq; uirtutis gratia cum corpore occidit, nec idem naturæ meritorumq; finis, licet ipsius naturæ usus non in æternũ occidat, sed temporali quadam uacatione requiescat. Talibus igitur perfunctum uirtutibus, ereptum periculis, desiderio magis quam amissione flebo. Suadet enim ipsa opportunitas mortis ut prosequendũ magis gratia quàm dolẽdum putemus. Scriptũ est enim: in cõmuni dolore proprium uacare debere. Neq; enim prophetico sermone, uni illi mulieri quæ figuratur, sed singulis dicitur, cum Ecclesiæ dictũ uidetur. Dicitur ergo & ad me, & dicit scriptura cœlestis: Hoccine doces, sic instituis dei plebem? An nescis quia exemplũ tuum, periculum cæterorum est? Nisi forte exauditum non esse te quereris. Primum istud arrogantis est impudentiæ, mereri solum uelle, quod multis etiam sanctis negatum noueris; cum scias quia nõ est personarũ acceptor deus. Nam & si misericors deus, tamen si semper exaudiret omnes, nõ iam ex uolũtate libera, sed ex quadã uelut necessitate facere uideretur. Deinde cum omnes rogẽt, si exaudiret omnes, nemo ergo moreretur. Pro quantis quotidie rogas? Nunquid constitutio dei cõtemplatione soluenda est tui? Cur ergo non impetratum aliquando doles, quod nõ semper impetrabile esse cognoscis? Stulta, inquit, super omnes mulieres: nónne uides luctum nostrum, & quæ nobis contigerunt, quoniam Sion mater nostra omniũ in tristitia contristatur, & humilitate humiliata est? Lugete ualidissime & nunc, quoniam omnes lugemus: & tristes estote, quoniã omnes contristati sumus. Tu enim contristaris in fratre. Interroga terram, et dicet tibi, quoniam hæc est quæ debeat lugere tãtorum superstes germinum, & ex ipsa, inquit, initio omnes nati, & alij uenient, & ecce pene omnes in perditionem ambulant, et in exterminium fit multitudo eorum. Et quis ergo debet lugere magis, nisi quæ tam magnã multitudinem perdidit, quàm tu qui pro uno doles? Absorbeat igitur nostrum dolorem cõmunis dolor, & acerbitatem proprij mœroris excludat. Non enim dolere debemus eos, quos certimus liberatos, neq; enim ociose tam sanctas hoc tempore animas corporeis uinculis reminiscimur absolutas. Nanq; uelut diuino iudicio tam graues uiduas ita uno tempore defunctas uidemus, ut profectionis quidam uideatur excessus, non mortis occasus: ne ueterana emeritis stipendijs pudicitia in dubium diu seruati pudoris incideret. Quos gemitus mihi, quos dolores tam acerba excitat recordatio? Etsi mœroribus non uacabam tamen in ipso dolore priuato, in ipso tãtorum amisso flore meritorum, communis quædam naturæ me conditio solabatur: defixusq; in uno dolor acerbitatem publici funeris, domesticæ specie pietatis obduxerat. Repeto ergo sacra scriptura solatia tua: iuuat enim tuis præceptis, tuis sententijs immorari. Quam facilius est cœlũ & terram prẽterire, quàm de lege unũ apicem cadere? Sed iam audiamus quæ scripta sunt. Nunc, inquit, re-

Gene. 27

Psalm. 111

Psalm. 23

11

4. Esdræ. 10

Luc. 6

tine

tine apud temetipsum dolorem tuum, & fortiter fer qui tibi contigerint casus. Si enim iustificaueris terminũ dei, & filium tuum recipies in tempore, & in mulieribus collaudaberis. Si hoc ad mulierem, quanto magis ad sacerdotem? Si de filio, non utiq; absurdum etiam de fratrum amissione talia memorari: quanquam si mihi fuisset filius, nunquã eum amplius dilexissem. Nam sicut in obitu liberorum effusi labores, susceptí frustra dolores mœrorem uidentur augere, ita etiam in fratribus consuetudinis usus atq; collegij, acerbitatem doloris accendunt. Sed ecce dicentem scripturam audio: Noli facere hunc sermonem, sed consenti persuaderi. Qui enim fles casus Sion, & cõsolare propter dolorem Hierusalem. Vides enim quia sancta nostra contaminata sunt, & nomen quod nominatum est super nos, pene prophanatum est, & iuuenes nostri contumeliam passi sunt, & sacerdotes nostri succensi sunt, & leuitæ nostri in captiuitate fuerunt, & mulieres nostræ cõtaminatæ sunt, & uirgines nostræ uim passæ, & iusti nostri rapti, & paruuli nostri proditi sunt, & iuuenes nostri seruierũt, & fortes nostri inualidi facti sunt? Et q̃d omniũ maius signaculum Sion, quoniã resignata est de gloria sua, nunc & tradita est manibus eorum, qui nos oderunt. Tu ergo excute tuam multam tristitiam, & depone abs te multitudinem dolorũ, ut tibi repropitietur fortis, & requiem faciat tibi altissimus requietione dolorum. Cessabunt igitur lachrymæ. parendum est enim remedijs salutaribus, quia debet aliquid inter fidos & perfidos interesse. Fleant ergo qui spem resurrectionis habere non possunt, quã non sententia dei eripit, sed fidei inclementia. Interfit inter Christi seruulos, idolorumq; cultores: ut illi fleant suos quos in perpetuum existimant interisse: illi nullas habeant lachrymarum ferias, nullam tristitiæ requiem consequantur, qui nullam putant requiẽ mortuorum. Nobis uero quibus mors non naturæ, sed uitæ istius finis est, quoniam in melius ipsa natura reparatur: fletus omnes casus mortis abstergat. Certe si illi sibi aliqua solatia repererunt, qui finem sensus, defectumq; naturæ mortem arbitrati sunt: quanto magis nos, quibus meliora post mortem præmia bonorum factorum conscientia pollicetur? Habent gentiles solatia sua, quia requiem malorum omnium mortẽ existimant. Et ut uitę fructu carent, ita etiam caruisse se putant omni sensu & dolore pœnarũ, quas in hac uita graues & assiduas sustinemus. Nos uero ut erectiores præmio, ita etiam patientiores solatio esse debemus. Non enim amitti, sed præmitti uidentur, quos nõ absumptura mors, sed æternitas receptura est. Cessabũt ergo lachrymæ: aut si cessare non poterunt, in cõmunibus lamentis flebo te frater: & sub dolore publico domesticos gemitus tegã. Nam cessare qui poterũt, cum ad omnem sonũ nominis tui lachrymæ surrepant, uel cum usus ipse recordationem excitat, uel cum affectus imaginem repræsentat, uel cum recordatio dolorẽ renouat? Quando enim dees, qui tantis officijs repræsentaris? Ades inquàm, & semper offerris, & toto te animo ac mente complector, aspicio, alloquor, osculor, comprehendo uel in ipsa quiete nocturna, uel in luce clara cũ reuisere te te uidebantur, quod mutui cõspectus copiã denegarent, ipse iam somnus colloquiorum nostrorũ dudũ interruptor inamabilis, dulcis esse iam cœpit, quia te mihi reddidit. Nõ igitur miseri, sed beati: quorum nec præsentia deficit, nec cura minuitur, & augetur gratia. Et enim somni similis imago mortis. Quod si in quiete nocturna uinculis adhuc corporeis inhęrẽtes, & quasi inter carceraria religatę claustra mẽbrorũ, possunt tamẽ animę altiora & discreta perspicere, quãto magis spectant hęc cũ iã puro ętthereoq; sensu nulla corporeæ labis impedimẽta patiuntur? Meritoq; mihi cõquerenti uergẽte quodã iam in occasum die, quòd nõ reuiseres quiescentem, totus omni tempore indiuiduus affuisti, ita ut illo perfusus sopore membrorũ, cũ ego uigilarẽ tibi, tu uiueres mihi dicerem Quid est mors frater? Nam certe nullis à me separare momentis. Ita enim ubiq; præsto eras, ut quam in istius uitæ usu habere copiam nequibamus, nunc nobis semper & ubique præsto sit. Nam tunc utiq; omnia prẹsto esse non poterant. nec enim complexiones nostræ conspectusq; & osculorum corporalium suauitates locis omnibus & omnibus temporibus suppetebant. Animorum imagines semper nobiscum erant, etiam quando non eramus una: quæ ne nunc quidem occiderunt, assidueq; aduolant, quo maiore desiderio, eo maiore copia. Teneo igitur te frater, nec mihi te aut mors aut tempus auellet. Ipsæ dulces lachrymæ sunt, ipsi fletus iucundi, quibus restinguitur ardor animi, & quasi relaxa-

relaxatus euaporat affectus. Neq; enim sine te esse possum, aut tui non meminisse unquam, aut meminisse sine lachrymis. O amari dies, qui interruptã copulam proditis. O flebiles noctes, quæ tam bonum consortem quietis & indiuiduum mihi comitem perdidistis. Quas ederetis cruces, nisi se offunderet imago præsentis, nisi uisiones animi repræsentarẽt, quem species corporis denegaret? Iam iam frater animo meo charissime, quanquam immaturo decesseris obitu, beatus tamẽ qui ista nõ sustines, nec amissum fratrem mœrere compelleris, quem absentem diu ferre nõ poteras, sed recursu celeri reuisebas. Quod si tunc solitudinis meæ tædia repellere, mœstitiam fraternæ mentis ableuare properabas: quanto nunc crebrius afflictum animum debes reuisere, & ex te conceptum, per te lenire mœrorem? At mihi tamen dat aliquas officij usus inducias, & obsequij sacerdotalis intentio abducit animum. De sancta uero sorore quid fiet, quæ licet diuino metu pietatem temperet, rursus tamen ipsum pietatis dolorem studio religionis accendit: strata humi, & totũ gremio sui complexa tumulũ, laborioso sessa incessu, tristis affectu, dies noctesq; mœrorem integrat. Nam licet fletum plerunq; sermone suspendat, in oratione renouat. Et quamuis scripturarum memoria consolationes ferentibus præcurrat, flendi tamen desiderium precandi assiduitate compensat: lachrymarum ubertatem tunc præcipuè quando nemo interrumpere possit, instaurans. Ita quod miserearis, habes: quod reprehendas, non habes. Flere enim in oratione, uirtutis est. Et quanquã istud familiare uirginibus, quibus mollior sexus, tenerior affectus contuitu communis fragilitatis, in lachrymas etiam sine domestici sensu doloris exuberat, tamen cum maior causa mœrendi est, finis mœroris excluditur. Deest igitur consolandi uia, quia suppetit excusandi gratia. Neq; enim possis prohibere, quod doceas: præsertim cum religionis adstruat lachrymas, non doloris, & communis seriem deplorationis metu pudoris obtexat. Consolare ergo qui potes adire animum, penetrare mentem. Cernat te esse præsentem, sentiat non esse defunctum: ut cuius secura de merito eius functa solatio, discat pro eo non grauiter dolere, qui se admonuerit non esse dolẽdum. Sed quid ego te morer frater, quid expectem? Vt nostra tecum commoriatur, et quasi consepeliatur oratio? Licet ipsa species & exanimis corporis forma soletur, oculosq; manens gratia & permanens figura demulceat, nihil inquam moror, procedamus ad tumulũ. Sed prius ultimum coram populo uale dico, pacem prædico, osculũ soluo. Præcede ad illam communem omnibus & debitam, sed iam mihi præ cæteris desiderabilem domum. Para hospiti consortium, & quemadmodum hic omnia nobis fuere communia, ita illic quoq; ius diuiduum nesciamus. Ne queso cupientem tui diu differas, properantem expecta, festinantem adiuua, & si diutius morari tibi uidebor, accersi. Neq; enim unquam prolixius abfuimus à nobis, tu tamen solebas reuisere. Nunc quoniam tu redire iam non potes, nos ad te ibimus, æquum est ut officium rependamus, subeamus uicem. Nunquam nobis fuit uitæ conditio discretior: semper aut sanitas aut ægritudo communis: ut cum alter egresceret, alter in morbum incurreret: cum alter reualesceret, uterq; consurgeret. Quomodo ius nostrum amisimus? Et nunc consortium ægritudinis fuit, quomodo mortis consortium non fuit? Tibi nunc omnipotens deus innoxiam commẽdo animã, tibi hostiam meam offero: cape propitius ac serenus fraternum munus, sacrificium sacerdotis. hæc mei iam liba præmitto, in hoc ad te pignore uenio, non pecuniæ, sed uitę pignore, ne me diutius residere facias tanti fœnoris debitorem. Non mediocris est fraterni amoris usura, nec uilis naturæ sors quam cumulauit incrementum uirtutis. Possum ferre, si cito cogar exoluere.

FINIS.

DIVI

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS IN MORTE FRATRIS DE FIDE RESVRRECTIONIS, ORATIO SECVNDA.

SVperiore libro aliquid indulsimus desiderio, ne tanquam feruenti plagæ austeriora adhibita medicamenta exasperarent magis quàm lenirent dolorem: simul quia fratrem sæpius allocuti sumus, & oculis tenebamus, absurdum non fuit relaxare paulisper affectum naturæ, qui lachrymis magis pascitur, fletibus delinitur, stupore defigitur. Mollis enim & tenera species est forma pietatis, nihil insolens amat, nil immite, nil durum. Ferendo autem probatur patientia magis quàm resistendo. Ergo quia dudum dies mortis inter lachrymabiles aspectus debuit animum inclinare fraternum, qui totum tenebat, nunc quoniam die septimo ad sepulchrum redimus, qui dies symbolum futurę quietis est, à fratre paululum ad communem humani generis cohortationem iuuat deriuare mentem, intẽtationemq; transfundere: ita ut neq; totis sensibus defigamur in fratre, ne obrepat affectus: neq; tantæ exules pietatis & gratiæ, eum quem diligimus deseramus: & uere ipsi nobis tanti doloris augeamus iniuriam, si hodie nobis & in sermone moriatur. Vnde proposuimus fratres charissimi solari nos communi usu, nec durum putare quicquid uniuersos manet, & ideo mortem non esse lugendam. Primum, quia communis sit, & cunctis debita: Deinde, quia nos seculi huius absoluat ærumnis: Postremo, quia somni specie ubi ab istius mundi labore requietum sit, uigor nobis uiuacior refundatur. Quem dolorem non soletur resurrectionis gratia? quem non excludat mœrorem, si credas nihil perire morte, imò ipsius celeritate fieri mortis plus perire ne possit? Erit ergo fratres charissimi, ut in adhortatione communi etiam fratri nostro pendamus affectum, nec ab eo longius deuasse uideamur, si per resurrectionis spem, et futuræ gloriæ suauitatem, etiam in sermone nobis hodie reuiuiscat. Ordiamur igitur ab eo, ut lugẽdum nobis nostrorum obitum non esse doceamus. Quid enim absurdius, quàm ut id quod scias omnibus esse præscriptum, quasi speciale deplores? Hoc est animum supra conditionem extollere, legem non recipere communem, naturæ consortium recusare, mente carnis inflari, & carnis ipsius nescire mensuram. Quid absurdius quàm nescire qui sis, affectare quod non sis? Aut quid imprudentius, quod futurum scias, id cum acciderit, ferre non posse? Natura ipsa nos reuocat, & huiuscemodi mœroribus quadam sui cõsolatione subducit. Quis est enim tam grauis luctus, aut tam acerbus dolor, in quo non interdum relaxetur animus? Habet hoc natura, ut quamuis homines in tristibus re
1 bus sint, tamen, si modo homines sunt, à mœrore mentem paulisper abducant. Fuisse etiam quidam feruntur populi, qui ortus hominum lugerent, obitusq; celebrarent. Nec
2 imprudenter. Eos enim qui in hoc uitæ salum uenissent, mœrendos putabant: eos uero qui ex istius mundi procellis & fluctibus emersissent, nõ iniusto gaudio prosequendos arbitrabantur. Nos quoq; ipsi natales dies defunctorum obliuiscimur, & eum quo obierunt diem, celebri solennitate renouamus. Non est grauis subeundus mœror secundum naturam, ne aut excellentiorem aliquam naturæ exceptionẽ nobis arrogare uideamur, aut communem recusare. Etenim mors æqualis est omnibus, indiscreta pauperibus,
Rom. 5 inexcepta diuitibus. Et ideo licet per unius peccatum, in omnes tamen pertransierit: ut quem generis non refugimus autorem, non refugiamus & mortis: & sit nobis sicut per unum mors, ita per unum etiam resurrectio: nec recusemus ærumnam, ut per-
Luc. 19 ueniamus ad gratiam. Venit enim, ut legimus, Christus saluum facere quod perierat: & ut nõ solum uiuorum, sed etiam mortuorum dominetur. Lapsus sum in Adam, de paradiso eiectus in Adam, mortuus in Adam: quomodo reuocet nisi me in Adam inuenerit, ut in illo culpæ obnoxium, morti debitum, ita in Christo iustificatum? Si ergo debitum est mors, solutio debet esse tolerabilis. Sed hic locus posterioribus partibus reser
3 uandus. Nunc propositum est asserere, mortem grauiori non debere esse mœrori, quod eum natura ipsa respuat. Denicq; Lyciorũ feruntur esse præcepta, quæ uiros iubeant muliebrem uestem induere, si mœrori indulgeant: eo quod mollem & effœminatum iudicauerint in uiro luctũ. Deforme est enim eos qui pro fide, pro religione, pro patria, pro

æquitate

æquitate iudicij, atq; intentione uirtutis obuium morti debent pectus offerre; mœrere in alio grauius quod in se si cauſſa exegerit ſit expetendũ. Nam quemadmodũ potes in te non refugere, quod impatientius aliis doleas accidiſſe? Depone mœrorẽ, ſi potes: include, ſi non potes. Aut abſorbendus omnis, aut premendus eſt dolor. Cur enim mœſtitiam tuam non ratio potius quàm dies leniat? Nam quod obliteratura eſt tẽporis ſeries, 4
melius prudentia mitigabit. Quin etiã hoc ipſum irreligioſum, puto, erga ipſorũ memoriam quos dolemus amiſſos, ut obliuiſci eorũ malimus, quàm conſolatione mulceri: aut cum horrore reminiſci, quàm meminiſſe cũ gratia: recordationẽ timere, quorum imago debeat eſſe uoluptati: diffidere potius quàm ſperare de meritis defunctorũ, & pœnę addictos quàm immortalitati debitos quos dilexeris æſtimare. Sed dicis: Quos diligebamus, amiſimus. Nonne hæc nobis cum ipſo mundo elementisq; cõmunia ſunt, quia ad tempus credita, in perpetuũ tenere non poſſumus? Gemit terra ſub aratris, imbribus cę dítur, tempeſtate concutitur, ſtringitur frigore, ſole torretur, ut fructus annuos fœta parturiat: & cum ſe uario flore ueſtierit proprio exuitur & ſpoliatur ornatu. Quantos hæc raptores habet, nec fructum ſuum queritur amiſſum, quẽ ideo genauit ut amitteret: nec in poſterum negat, quem ſibi meminit auferendum. Cœlum ipſum non ſemper ſtellarum micantium globis fulget, quibus quaſi quibuſdam inſignitur coronis. Non ſemper ortu lucis albeſcit, radijs ſolis irrutilat: ſed aſſiduis uicibus ille quidam mundi uultus gratiſſimus, humenti noctium caligat horrore. Quid gratius lucet? Quid ſole iucundius, qui quotidiẽ occidit? Deceſſiſſe tamen hęc nobis non moleſte ferimus, quia eũ redire pręſumimus. Doceris in his, quã in tuis debeas exhibere patientiã. Si ſuperiora tibi occidunt, nec dolori ſunt: cur ſi occiderint humana, doleantur? Sit tamen patiens dolor, ſit in triſtibus modus, qui exigitur in ſecundis. An ſi immoderate gaudere non conuenit, lugere conuenit? Non enim mediocre malũ eſt immoderatio doloris, aut metus mortis. Quantos ad laqueum impulit, armauit ad gladiũ, ut in eo ipſo amentiam ſuam proderent, mortem non ferentes, & mortem appetentes, & quod pro malo fugerent, pro remedio adſciſcerent? Qui quoniam conſentaneum naturæ ſuæ ferre ac perpeti nequeunt, contrariũ uoto incidunt: ut ab his in perpetuum ſeparentur, quos ſequi deſiderauerint. Sed hæc rara: quoniam natura ipſa reuocat, etſi præcipitet amentia. Illud uero frequens in mulieribus, ut clamores publicos ſerant, quaſi metuant ne earum ignoretur ęrumna: ut illuuiẽ ueſtis affectent, quaſi in ea ſit ſenſus dolendi, ut impexum ſordibus immadident caput, ut poſtremo (quod pleriſq; in locis uulgõ fieri ſolet) diſciſſo amictu, diloricata ueſte, ſecreti pudoris nuda proſtituant: quaſi ipſum lenocinentur pudorem, quia pudoris ſui præmia perdiderunt. Sic procaces oculi prouocantur, ut concupiſcant, ut amare incipiant membra nudata: quæ ſi non aſpicerent, non amarent. Atq; utinam ſordidata illa tegumenta corporis non ſpeciem, ſed mentem obnuberent. Latet plerumq; ſub triſti amictu mentis laſciuia, & deformis horror ueſtis obtexitur, ut ſecreta petulantium tegantur animorum. Satis pie uirum luget, quæ ſeruat pudorem, non deſerit fidem. Hæc benedefunctis officia impenduntur, ut uiuant in mentibus, in affectibus perſeuerent. Non amiſit uirũ, quæ exhibet caſtitatẽ: nõ eſt uiduata coniugio quę nõ mutauit nomẽ mariti. Nec tu perdidiſti hæredẽ, quæ adiuuas cohæredem: ſed pro ſucceſſore corruptibilium, mutaſti conſortem immortalium. Habes qui tibi repræſentet hæredem. Solue pauperi quod debetur hæredi, ut non ſolum maternæ aut paternæ ſenectutis, ſed etiã uitæ propriæ ſit ſuperſtes. Plus ſucceſſori tuo relinquis, ſi portio eius non ad luxum præſentium proficiat, ſed ad precium futurorum. Sed deſideramus amiſſos. Duo ſunt enim quæ maxime angunt: aut deſiderium eorum quos amiſerimus, ſicut meo exemplo metior: aut quod eos uitæ ſuauitate priuatos, ereptos laboris ſui fructibus arbitramur. Tenera enim amoris eſt titillatio, quæ improuiſum affectum excitat, ut ſedandi magis quam excludendi doloris facultas relinquatur: ſimul quia pium uidetur deſiderare quod amiſeris, & ſpecie uirtutis adoleſcit infirmitas. Sed cur tu putes patientiorem illam eſſe debere, quæ dilectum ad peregrina dimiſerit, & militiæ gratia, uel ſuſceptæ adminiſtrationis officio, uel negociandi uſu transfretaſſe compererit, quàm te qui non fortuito arbitrio derelinqueris, aut ſtudio pecuniæ, ſed lege naturæ? Sed recuperandi tibi intercluſa ſpes. 5
Quaſi cuiquam certa ſit redeundi. Et plerumq; dubia plus fatigant, ubi periculi metus

integer: grauiusq; est timere ne acciderit, quàm tolerare quod iam noueris accidisse. Aliud enim summam formidinis coacerbat, aliud finem expectat doloris. An dominis ius est, quo decreuerint transferre mancipia, deo non est? Sed non suppetit expectare remeantem, suppetit tamen præcedentem sequi. Et certe breuis uitæ usus nec illi multum uidetur eripuisse, qui ante præcessit: nec te differre diutius, qui remanseris. Quod si desiderium tuum mitigare non possis, nónne tamen uidetur indignum pro desiderij tui studio, rerum ordinem uelle conuerti? Amantium ardentiora utiq; desideria sunt, & tamen necessitatis contuitu temperantur. Etsi dolent deseri, lugere tamen non solent. Destituti, amare impatientius erubescunt. Ita patientia desiderij plus probatur. Quid autem de his loquar, qui defunctos putant uitæ suauitate priuari? Nulla potest esse iucunditas inter has uitæ nostræ amaritudines aut dolores, quæ uel ex corporis ipsius infirmitate, uel extrinsecus accidentium incommoditate generantur. Anxij enim semper, & ad ipsa lætiorum uota suspensi, quodã fluctuamus incerto, sperantes dubia pro certis, incommoda pro secundis, caduca pro solidis: nihil habentes potestatis in arbitrio, firmitatis in uoto. At si aliquid contra uoluntatem acciderit, perditos nos putamus: plusq; aduersorum dolore frangimur, quàm secundorum fructu potimur. Quibus igitur carent bonis qui maioribus eripiuntur incõmodis? Valetudo credo bona plus adiuuat, quàm affligit mala: aut opulentia plus delectat quàm egestas afficit: aut filiorum magis amabilis gratia, quàm lugubris amissio: aut adolescentia iucundior, quàm senectus tristior. Quàm plerumq; suorum tædet uotorum, & optati pœnitet, ut doleat impetratũ, quod non impetrare metuebat? Exilia uero, & cæterarum pœnarum acerbitates, quæ potest cõpensare patria? quæ uoluptates? Quæ etiam cum adsunt, debilitantur tamẽ: aut non utendi affectu, aut amittendi metu. Esto tamẽ, maneat inoffensus, immunis à doloribus, perpes in uoluptatibus uitæ cursus humanæ: quid tamẽ commodi cõsequi potest anima in istiusmodi corporis inclusa compaginibus, & quibusdam membrorũ angustijs coartata? Si
6 caro nostra carcerẽ fugit, si detestatur omne quicquid euagandi facultatẽ negat, quæ utiq; paruis ultra se audiendi uidendiq; excurrere uidetur sensibus, quanto magis anima nostra corporeum istud euadere gestit ergastulũ, quæ motu aereo libera, nescimus quò uadat, aut unde ueniat? Scimus tamẽ quod corpori superuiuat, & ea iã depositis proprij sensus repagulis expedita, libero cernat obtutu, quæ antè sita in corpore non uidebat. Quod exemplum dormientium possumus æstimare, quorum animi uelut sepulto quiete corpore, ad altiora se subrigunt, & renunciant corpori rerũ absentium uel etiam cœlestium uisiones. Ergo si mors carnis & seculi nos absoluit ærumnis, utiq; malum non est, quæ libertatẽ restituit, excludit dolorẽ. Hinc igitur nobis adoriendus disputandi locus, mortem malum non esse, quia ærumnarum omnium malorumq; perfugium est, & fida statio securitatis ac portus quietis. Nam quid in hac uita non experimur aduersi? Quas non procellas tempestatesq; perpetimur? Quibus non exagitamur icommodis? Cuius
Gene. 28 parcitur meritis? Sanctus patriarcha Israel profugus patria, parentibus, domum mutauit exilio, stuprum filiæ, generi necem fleuit, famem pertulit, sepulturam defunctus amisit: transferri enim ossa sua, ne uel mortuus requiesceret, obsecrauit. Sanctus Ioseph odia
Gene. 37 fratrum, insidias inuidorum, seruulorum obsequia, mercatorum imperia, dominæ petulantiam, mariti inscitiam, carceris quoq; est expertus ærumnam. Sanctus Dauid filios amisit duos: unum incestum, alterum parricidam. Hos habuisse pudoris est, doloris est perdidisse. Amisit & tertium quem amabat paruulum. Hunc uiuentẽ adhuc fleuit mortuum non desiderauit. Sic enim legimus, quod ægrotante puero deprecabatur Dauid
2. Reg. 12 dominũ pro eo & ieiunauit, & in cilicio iacuit, & adstantibus maioribus natu ut excitarent eum de terra, nec surgẽdum sibi, nec cœnandũ putauit. Vbi uero defunctum puerum comperit, surrexit de terra, lauit illico, unctus est, uestimenta mutauit, adorauit dominum, cibum sumpsit. Cùm hęc miranda pueris suis uiderentur, respondit eis, recte se infante uiuente ieiunasse, ploraſſe, quia iure arbitrabatur dominũ posse misereri, nec du
7 bitandum quod uitam posset seruare uiuentis, qui posset uiuificare defunctos. Iam uero obita morte, quî ieiunaret, qui iam non posset reducere mortuum, exanimẽq; reuocare? Ego, inquit, ibo ad eum, ipse autẽ non reuertetur ad me. O maximum solatium desiderantis. O uerum sapiẽtis iudicium. O miram patientiam seruientis, ut nemo sibi aduersi

aliquid

aliquid accidisse indigne ferat, & contra meritum suũ se queratur afflictum. Quis enim tu es, qui de tuo merito antè pronũcies? Cur præuenire desideras cognitorẽ? Cur eripis sententiã iudicaturo? Nec sanctis istud permissum est, nec à sanctis impune unquam est usurpatum. Dauid se propterea flagellatũ suo carmine confitetur: Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo, obtinuerunt diuitias. Ergo sine caussa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die, & uindex meus in matutinum. Petrus quoq; quamuis plenus fide deuotionis, tamen quia nondũ conscius nostræ infirmitatis præsumptiue dixerat domino: Animam meam pro te ponam: tentationem præsumptionis antequam tertio gallus cantaret incurrit. Licet ipsa tentatio documentum fuerit ad salutem: ut discamus non contemnere carnis infirmitatem, ne contemnendo tentemur. Si Petrus tentatus, quis præsumat? quis adstruat, se non posse tentari? Atq; haud dubie pro nobis tentatus est Petrus, ut in fortiore non esset tentamẽti periculum, sed in illo disceremus quemadmodũ in persecutionibus resistentes, etsi uitæ studio tentaremur, tentationis tamen aculeum patientiæ lachrymis uinceremus. Idem tamen Dauid, ne quẽ fortassis scripturarum tenacẽ moueat factorũ diuersitas, idem, inquam, Dauid parricidam mortuum fleuit, qui non fleuerat innocentẽ. Denicq; cum ploraret & lugeret, dixit: Filius meus Abessalon, filius meus Abessalon. Quis dabit mihi mortem pro te? Non solus ergo fletur Abessalon, fletur parricida, fletur Ammon: Non solũ fletur incestus, sed etiam uindicatur: alter contemptu regni, alter fratris exilio. Fletur sceleratus, non fletur dilectus. Quæ causa? Quæ ratio? Nõ mediocris igitur in prudentibus deliberatio, sapientibus confirmatio. Magna enim prudentiæ in tanta factorũ diuersitate constantia. Vna est fides. Et illos mortuos fleuit & flendũ infantẽ mortuũ non putauit. Illos enim sibi perisse credebat, hunc resurrecturũ sperabat. Sed de resurrectione posterius, nunc ad proposita reuertamur. Præmiserimus enim etiã sanctos uiros grauia in hoc mundo & multa perpessos, sine suffragatione meritorũ, cum ærumna laborũ. Vnde regressus ad se Dauid in posterioribus dicit: Memento domine quia puluis sumus, homo tanquã fœnũ dies eius. Et alibi: Homo uanitati similis factus est, dies eius sicut umbra prętereunt. Quid enim nobis miserius, qui tanquam spoliati & nudi proiicimur in hanc uitã, corpore fragili, corde lubrico, imbecillo animo, anxij ad solicitudines, desidiosi ad labores, proni ad uoluptates? Non nasci igitur longe optimum, secundum sancti Salomonis sententiam. Ipsum enim, etiã ij qui sibi uisi sunt in philosophia excellere, secuti sunt. Nã ipse illis anterior, nostris posterior, ita in Ecclesiaste locutus est: Et laudaui ego omnes defunctos qui iam mortui sunt, magis quàm uiuentes, quicunq; uiuunt usq; adhuc: & optimus super hos duos, qui nondum natus est, & qui non uidit hoc opus malum quod factum est sub sole. Et uidi ego uniuersum laborem eorum, & omnem uirtutem operis huius, quia æmulatio uiro ab altero. Et quidẽ hoc uanitas, & præsumptio spiritus. Et quis hoc dixit, nisi ille qui sapientiam poposcit & impetrauit, ut sciret dispositiones orbis terrarum, & uirtutem elementorum, anni cursus, & stellarum dispositiones, non ignoraret naturas animalium, & iras colligeret bestiarum, uim uentorũ, & cogitationes hominũ deprehenderet? Quem igitur non latuerunt cœlestia, quomodo laterent mortalia? Qui cogitationem mulieris inuestigauit, infantem uindicantis alienum, qui naturas animalium quas nõ acceperat, diuina tamẽ gratia aspirante cognouit: hic de suæ cõditione naturæ quam in se expertus est, errare aut mentiri potuit? Sed non solus hoc sensit, etsi solus expressit. Legerat sanctũ dixisse Iob: Pereat dies illa qua natus sum, & cognouerat, nasci, malorũ omnium esse principiũ: & ideo diẽ quo natus est, perire optauit, ut tolleretur origo incõmodorum: & optauit perire diẽ generationis suæ, ut diẽ resurrectionis acciperet. Audierat etiã Salomon dixisse patrẽ suum: Notum fac mihi domine finẽ meum & numerum dierum meorum qui est, ut sciam quid desit mihi. Nouerat enim Dauid nõ posse id quod perfectum est, hic cõprehendi, & ideo ad ea quæ sunt futura properabat. Nunc enim ex parte scimus, & ex parte cognoscimus: tunc autem id quod perfectum est, poterit comprehendi, cum reuelata facie nobis speculandæ maiestatis ætetnitatisq; diuinæ cœperit relucere non umbra, sed ueritas. Nemo tamẽ festinaret ad finem, nisi uitæ istius fugeret incommoditatẽ. Et ideo Dauid quare ad finem festinet, exposuit dicẽs: Ecce ueteres posuisti dies meos, & habitudo mea tanquam nihil ante te: ueruntamen

Psalm. 27

Ioan. 13

2. Reg. 18

Psalm. 102

Psalm. 143

Eccle. 4

Iob. 2

Psalm. 38

1. Cor. 10

Psalm. 38 8

uniuersa uanitas, omnis homo uiuens. Quid igitur moramur fugere uanitatẽ? Aut quid nos delectat in hoc seculo uane conturbari, thesaurum pecuniarum condere, & ignora re cui congregemus hęredi? Petamus amoueri à nobis plagas, eripi nos ex insipienti se culo, carere peregrinatione diuturna, ad illam redire patriam & naturalem domum. In hac enim terra aduenæ sumus atq; peregrini: remigrandum eò unde descendimus, am biendũ & obsecrandũ non perfunctorie, sed obnixe, ut à dolis & ab iniquitate loquacitũ
Psalm. 119 liberemur. Et ille qui remedium nouerat, prolongatum tamen suum ingemit incolatum & cum peccatoribus & iniquis se habitare deplorat. Quid ego faciam, qui & peccatum habeo, & ignoro remediũ? Hieremias quoq; quod generatus sit & ipse deplorat his uer
Hiere. 15 bis dicens: Heu me mater, ut quid me peperisti uirũ causſam dicentẽ iudicij? In omni ter ra non profui, neq; profuit mihi quicquam quisquam: uirtus mea defecit. Si igitur sancti uiri uitam fugiunt, quorum uita etsi nobis utilis, sibi tamen inutilis æstimatur: quid nos facere oportet, qui nec alijs prodesse possumus, & nobis uitam hanc quasi fœnebrẽ pe cuniam usurario quodã cumulo grauescentem onerari in dies peccatorũ ære sentimus?
1. Cor. 15 Quotidie morior, Apostolus dicit. Melius utiq; quã illi, qui meditationẽ mortis philoso
9 phiam esse dixerunt. Illi enim studiũ prædicarunt, hic usum mortis exercuit. Et illi quidẽ propter se, Paulus autem ipse perfectus moriebatur, non propter suam, sed propter no stram infirmitatem. Quid autem est mortis meditatio, nisi quædã corporis & animæ se gregatio? quia mors ipsa nõ aliud quàm corporis atq; animæ secessio definitur. Sed hoc secundum communem opinionem. Secundum scripturas autem triplicem esse mortẽ accipimus. Vnam, cum morimur peccato, deo uiuimus. Beata igitur mors quæ culpæ re fuga, domino dedita, à mortali nos separat, immortali nos consecrat. Alia mors est uitæ huius excessus, qua mortuus est patriarcha Abrahã, patriarcha Dauid, & sepulti sunt cũ patribus suis, cum anima nexu corporis liberatur. Tertia mors est de qua dictum est: Di
Matth. 8 mitte mortuos sepelire mortuos suos. Ea morte non solum caro, sed etiam anima mori
Ezech. 18 tur. Anima enim quæ peccat, ipsa morietur. Moritur enim domino: non naturæ infirmi tate, sed culpæ. Sed hæc mors non perfunctio huius est uitæ, sed lapsus erroris. Vna ergo est mors spiritalis, alia naturalis, tertia pœnalis. Sed nõ quę naturalis, eadẽ pœnalis. Non enim pro pœna dominus sed pro remedio dedit mortẽ. Deniq; Adæ peccanti præscri
Gene. 3 ptum est aliud pro pœna, aliud pro remedio. Pro pœna dicitur: Quoniam audisti uocẽ uxoris tuæ, & manducasti de ligno de quo præceperã tibi ab hoc solo ne manducares, maledicta terra in operibus tuis, mãducabis fructum eius omnibus diebus uitæ tuæ. Spi nas & tribulos germinabit tibi, & edes pabulũ agri tui. Cum sudore uultus tui manduca
10 bis panem tuum, donec reuertaris in terram de qua assumptus es. Habes pœnarũ ferias, quia aduersus spinas seculi huius, & solicitudines mundi, uoluptatesq; diuitiarum quæ uerbum excludunt, pœnam includunt, mors pro remedio data est, quasi finis malorum. Non enim dixit: Quoniã audisti uocẽ mulieris, reuerteris in terram, hæc enim esset pœ
Gene. 3 nalis sententia, quemadmodum est illa: Maledicta terra, spinas & tribulos germinabit ti bi: sed dixit: Manducabis panem tuum in sudore, donec reuertaris in terram. Vides mor tem magis metam esse nostrarum pœnarũ, qua cursus huius uitæ incidatur? Ergo mors non solum malum non est, sed etiam bonum. Deniq; pro bono quæritur, sicut scriptum
Apocal. 9 est: Quærent homines mortem, & non inuenient eam. Quærent enim illi qui dicturi
Luc. 23 sunt montibus, Cadite super nos: & collibus, operite nos. Quæret etiam anima illa quæ
Luc. 16 peccat. Quæret diues ille positus in inferno, qui uult digito Lazari refrigerari linguam suam. Videmus itaque quod & mors hæc lucrum est, & uita, pœna. Vnde & Paulus ait:
Philip. 1 Mihi uiuere Christus est, & mori lucrum. Quid est Christus, nisi mors corporis, spiritus uitæ? Et ideo commoriamur cum eo, ut uiuamus cum eo. Sit quidam quotidianus usus in nobis affectusq; moriendi, ut per illam quam diximus segregationem à corporeis cupiditatibus anima nostra se discat extrahere, & tanquam in sublimi locata, quo terre næ adire libidines, & eam sibi glutinare non possint, suscipiat mortis imaginem, ne pœ nam mortis incurrat. Repugnat enim lex carnis legi mentis, & eam legi erroris addicit,
Roma. 7 sicut Apostolus reuelauit dicens: Video enim legem carnis meæ repugnantẽ legi men tis meæ, & captiuantẽ me in lege peccati. Omnes impugnamur, omnes sentimus, sed nõ omnes liberamur. Et ideo infelix ego homo, nisi remediũ quærã. Sed quod remedium?

Quis

Quis me liberabit de corpore mortis? Gratia dei per Iesum Christum dominum nostrũ. Habemus medicum, sequamur remedium. Remedium nostrum, Christi gratia: & corpus mortis, corpus est nostrum. Ergo peregrinemur à corpore, ne peregrinemur à Christo: etsi in corpore sumus, tamen quæ sunt corporis non sequamur, nec deseramus iura naturæ, sed dona gratiæ præoptemus. Dissolui enim, & cum Christo esse, multo melius: permanere autem in carne magis necessarium propter uos. Sed non omnibus necessarium domine Iesu. Non mihi, qui nulli utilis sum: nam mihi lucrũ est mori, ne plura peccem. Lucrum mihi est mori, qui ipso libro quo alios consolor, quasi uehementiori monitore ad desiderium amissi fratris impellor, quoniam me eius non sinit obliuisci. Nunc magis amo, & uehentius desidero. Desidero cum loquor, desidero cum relego: & ideo hoc potius scribendum arbitror, ne quando ab eius recordatione diuellar. Quod non contra scripturas facio, sed cum scripturis sentio: ut patientius doleam, impatientius desiderem. Præstitisti mihi frater ne mortem timerem, atq; utinam moriatur anima mea in anima tua. Hoc enim sibi Balaam pro maximo bono optat, donatus spiritu prophetandi: Moriatur, inquit, anima mea in animis iustorum, & fiat semen meum sicut semẽ iustorum. Et uere hoc secundum prophetiam optat. Qui enim uiderat ortum Christi, uidit eius triumphalem mortem, uidit in eo perennem hominum resurrectionem, & ideo mori non timet resurrecturus. Non moriatur ergo anima mea in peccato, ne peccatum in se recipiat: sed moriatur in anima iusti, ut eius recipiat æquitatem. Denicq; qui moritur in Christo, fit eius gratiæ particeps in lauacro. Non ergo formidabilis mors, nec amara egentibus, nec gratiosa diuitibus, nec iniusta senioribus, nec ignaua fortibus, nec perpetua fidelibus, nec improuisa sapientibus. Quàm multi enim uitam solo mortis titulo consecrarunt, quantos uiuere puduit, mori profuit? Morte unius plerumq; accepimus maximos populos liberatos: morte Imperatoris fugatos exercitus hostium, quos uiuus uincere nequiuisset. Morte martyrũ religio defensa, cumulata fides, Ecclesia roborata est: uicerunt mortui, uicti persecutores sunt. Itaq; quorum uitam nescimus, horum mortem celebramus. Vnde & Dauid prophetice gloriatus in suæ mẽtis excessu: Preciosa, inquit, in conspectu domini mors sanctorum eius. Mortem maluit præferre quàm uitam. Ipsa mors martyrum, premium uitæ est. Morte etiã inimicorum odia soluuntur. Quid plura? Vnius morte mundus redẽptus est. Potuit enim Christus non mori, si uoluisset. Sed neq; refugiendam mortem quasi ignauam putauit, neq; melius nos quàm moriẽdo seruasset. Itaq; mors eius, uita est omnium. Morte eius signamur, mortem eius orantes annunciamus, mortem eius offerentes prædicamus: mors eius uictoria est, mors eius sacramentũ est, mors eius annua solennitas mundi est. Quid præterea de eius morte dicamus, cũ diuino probemus exemplo, quia immortalitatẽ mors sola quæsiuit, atq; ipsa se mors redemit? Non igitur mœrenda mors, quæ caussa salutis est publicæ: non fugienda mors, quã dei filius non dedignatus est, non refugit. Non resoluendus ordo naturæ. Quod enim commune est omnibus, exceptũ in singulis esse nõ potest. Et mors quidẽ in natura non fuit, sed conuersa est in naturam. Non enim à principio deus mortem instituit, sed pro re medio dedit. Et consideremus ne uideatur esse contrarium. Nam si bonum est mors, cur scriptum est quia deus mortem non fecit? Sed malitia hominum mors introiuit in orbẽ terrarum. Reuera enim mors diuino operi necessaria non fuit, cũ in paradiso positis bonorum omnium iugis successus affluueret, sed preuaricatione damnata in labore diurno, gemituq; intolerando uita hominum cœpit esse miserabilis. Debuit dari finis malorum ut mors restitueret, quod uita amiserat. Immortalitas enim oneri potius quàm usui est, ni si aspiret gratia. Et si bene discutias, non naturæ mors ista est, sed malitiæ. Manet enim natura, malitia moritur. Resurgit quod fuit: atq; utinam ut iam peccandi liberum, ita uacuũ culpæ prioris. Sed hoc ipsum indicio est, mortem non esse naturæ, quia idem erimus qui fuimus. Itaq; aut peccatorum nostrorum supplicia pendemus, aut bene gestorum gratiam consequemur. Resurget enim natura eadem, iam stipendijs mortis honoratior. Denicq; mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde & nos qui uiuimus, inquit, simul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera, & ita semper cum domino erimus. Illi primi, uiuentes autem secundi. Illi cum Iesu, uiuentes per Iesum. Illis dulcior uita post requiem: uiuentibus etsi grata compendia, tamen ignorata remedia. Nihil

Philiph. 1

Nume. 23

11

Psalm. 115

Sapien. 1

1. Thes. 4

est igitur quod in morte timeamus, nihil quod debeamus dolere: si aut naturæ repetenti uita quæ accepta est rependatur, aut petenti impendatur officio, in quo religionis cultus, aut uirtutis usus est. Neq; enim quisquam sibi ut sic maneret optauit. Ioanni promissum æstimatum est, sed non est creditum. Verba tenemus, sententiam deriuamus. Ipso in libro negat sibi quod non moreretur esse promissum, ne quem uana spes exemplo in cesseret. Quod si id uelle, spes insolens, quanto insolentius, quod non præter modum accideret, ultra modum dolere? Gentiles plerumq; se consolãtur uiri uel de communitate ærumnæ, uel de iure naturæ, uel de immortalitate animæ. Quibus utinam sermo constaret, ac non miseram animam in uaria portentorũ ludibria formasq; transfunderẽt. Quid igitur nos facere oportet, quorum stipendium resurrectio est? cuius gratiam quoniã negare pleriq; non possunt, fidẽ abnuunt. Et ideo non uno argumento aliquo sed pluribus modis ut possumus adstruamus. Et quidem omnia aut usu, aut ratione, aut exemplo, aut eo quia decorũ sit ea esse, ideo esse credũtur, & ad finẽ singula suffragãtur. Vsus, quia mouemur. Ratio, quia quod mouet, uirtutis alterius conuenit æstimari. Exemplũ, quia generauit ager fruges, & ideo generaturum esse præsumimus. Decorũ, quia & ubi fructũ non putamus, decere tamen credimus, ut uirtutis opera minime deseramus. Singula igitur singulis adstruuntur. Tribus tamẽ euidentius colligitur resurrectionis fides, quibus omnia cõprehenduntur. Ratione, uniuersitatis exemplo, testimonio rei gestæ, quia plurimi surrexerunt. Ratio euidens. Quia cum omnis uitæ nostræ usus in corporis animæq; consortio sit, resurrectio autẽ aut boni actus præmiũ habeat, aut pœnã improbi, necesse sit corpus resurgere, cuius actus expenditur. Quomodo enim in iudiciũ uocabitur anima sine corpore, cum de suo & corporis contubernio ratio præstanda sit? Resurrectio omnibus attributa est. Sed ideo difficile creditur: quia non nostrũ meritũ, sed dei munus est. Prima igitur resurrectionis fides, usus est mundi, rerumq; status omniũ, generationũ series, successionũ uices, obitus ortusq; signorũ, diei & noctis occasus, eorũq; quotidie tanquã rediuiua successio. Tẽperamenti quoq; genitalis huius terræ aliter ratio subesse nõ posset, nisi humoris ipsius quo omnia terrena generãtur, quantũ diurni solis æstus extorreret, tantũ rore nocturno dispositio diuina repararet. Nã quid de fructibus loquar? Nónne tibi uidẽtur occidere, cũ decidũt: resurgere, cũ reuiriscunt? Quod satũ est, resurgit: quod mortuũ est resurgit: & in eadẽ genera, in easdẽ species reformat. Hos terra primũ reddidit fructus, in his primũ natura nostræ speciẽ resurrectionis imitata est. Quid dubitas de corpore corpus resurgere? Granũ seritur, granũ resurgit: pomum decidit, pomum resurgit. Flore granũ induitur, folliculoq; uestitur: & hoc mortale oportet induere immortalitatem, & hoc corruptibile induere incorruptionẽ. Flos, resurrectionis immortalitas est. Flos resurrectionis incorruptio est. Quid uberius quiete perpetua? Quid locupletius securitate diuturna? Hic est multiplex fructus, cuius prouentu pullulat fœcundior hominũ natura post mortẽ. Sed miraris quemadmodũ putrefacta solidentur, dispersa coeant, absumpta reparentur: nõ miraris quemadmodum semina uapore & cõpressu terræ soluta uiridescant? Nã utiq; etiã ipsa terreno cohalitu patrefacta soluuntur, & cum occata & mortua soli genitalis succus animauerit, quodã calore uitali spiritum quendã herbæ uiridantis exhalant. Deinde paulatim teneram spicæ adolescentis ætatem culmo erigit, & uaginis quibusdã natura tanquã sedula mater includit, ne pubescẽtem glacies adurat aspera, atq; à nimio solis defendat ardore. Frugẽ quoq; ipsam adhuc quasi primis erumpentẽ cunabulis, mox adultam, ne pluuia decutiat, ne aura dispergat, ne auium minorũ morsus interimat, uallo aristarum sepire cõsueuit. Quid igitur miraris si homines quos acceperit terra restituat, cum seminũ corpora quæcũq; susceperit, uiuificet, erigat, uestiat, muniat, atq; defendat? Desine ergo dubitare quod depositũ generis humani terræ fides reddat, quæ commendata sibi semina usurario quodã fœnore multiplicata restituat. Nã quid de generibus arborum loquar, quæ posito surgunt de semine, fructusq; resolutos rediuiua fœcunditate resuscitant, & formæ ueteri atq; imagini suæ reddunt, multasq; ætates quædã arborũ corpora reparata transmittũt, ut ipsa durando uincãt secula? Putrescere uidemus acinũ, uitẽ resurgere: surculus inseritur, arbor renascitur. An de reparandis arboribus diuina est prouidẽtia, de hominibus nulla cura? Et qui ea quæ ad usus hominũ dedit, perire nõ passus est, hominẽ perire patietur, quem ad imaginem sui fecit?

1. Corin. 16

Sed in-

Sed incredibile tibi uidetur, ut mortui reuiuiscant. Insipiẽs tu, ipse quod seminas, nonne 1.Corin.15
prius moritur, ut uiuificetur? Sere quemlibet fructum arentẽ, resuscitatur. Sed habet suc
cum. Et nostrum corpus habet sanguinem suum, habet humorem suum. Hic nostri suc-
cus est corporis. Vnde illud quoq; explosum arbitror, quod arentem surculum quidam
reuiuiscere negant, idq; ad præiudiciũ carnis deriuare nitunt. Nõ enim caro arida, cum
caro omnis è limo sit, limus in humore, humor è terris. Deniq; multa gignẽtia quamuis 12
iugi serenitate humo arido arenoso q; nascunt, quoniã ipsa sibi terra humorẽ sufficit. Nũ
igitur in hominibus terra degenerat, quæ omnia regenerare cõsueuit? Vnde claret non
esse dubitandũ quod secundũ naturã magis quàm contra naturã est. Ex natura enim est,
resurgere nascentia omnia: contra naturã, interire. Sequitur illud quod Gentiles plerũq;
perturbat, quomodo fieri possit ut quos mare absorbuerit, ferę dilacerauerint, bestiæ de
uorauerint, terra restituat. Quò ita demũ ueniat necesse est, ut nõ de fide resurrectionis,
sed de parte dubitetur. Esto enim ut laceratorũ corpora nõ resurgãt, resurgũt cæteri: nec
resurrectio destruitur, si conditio excipitur. Miror tamen cur uel de his dubitandum pu
tent, quasi non omnia quæ ex terris sunt, in terrã redeant, & in terram resoluantur. Mare
quoq; ipsum quæcunq; corpora humana demerserit, uicinis expuit unda plerunq; litto-
ribus. Quod ni ita esset, difficile credo deo foret dispersa cõnectere, dissipata sociare, cui
mundus obtẽperat, muta obsequũtur elementa, seruit natura: quasi nõ maioris miraculi
sit limum animare quàm iũgere. Auis in regiõe Arabiæ, cui nomẽ est Phœnix, rediuiuo 13
sue carnis humore reparabilis, cũ mortua fuerit reuiuiscit, solos non credimus homines
resuscitari? Atqui hoc relatione crebra, & scripturarũ authoritate cognouimus, memo-
ratam auem quingentorũ annorũ spatia uitali usui habere præscripta, eamq; cum sibi fi-
nem uitę adesse prę saga quadã naturę sue ęstimatione cognouerit, thecã sibi de thure &
myrrha & cæteris odoribus adornare, cõpletoq; opere pariter ac tẽpore intrare illã atq;
emori, ex cuius humore oriri uermẽ, paulatimq; eum in auis eiusdẽ figurã concrescere,
usumq; formari, subnixã quoq; remigio pennarũ, renouatæ uitæ officia munere pietatis
ordiri. Nã thecam illam uel tumulum corporis, uel incunabulũ resurgentis, in qua defi-
ciens occidit, & occidens resurgit, ex Æthopia in Lycaoniam uehit: atq; ita resurrectio-
ne auis huius, locorũ incolę completũ quingentorũ annorũ tempus intelligũt. Ergo isti
aui quingentesimus resurrectionis annus est, nobis millesimus. Illi in hoc seculo, nobis
in consummatione mundi. Plerisq; etiã opinantur quod auis hęc rogum sibi ipsa succen-
dat, & rursus de fauillis suis & cinerib. reuiuiscãt. Sed fortasse natura discretior, fidei quo
que discretionem uideatur afferre. In originẽ principiumq; hominis procreandi mens
nostra redeat. Viri estis, fœminę estis: quę humana sunt, nõ ignoratis. Et si qui ignoratis,
ex nihilo putatis esse quod nascimur, cum ex paruo tanti exurgimus? Etsi non exprimi-
mus, intelligitis tamen quid uelimus, uel potius quid dicere nolimus. Vnde hoc caput,
& uultus iste mirabilis, cuius artificẽ non uidemus, opus uidemus, in uaria officia usus q;
formatur? Vnde forma erectior, status excelsior, faciendi uis, sentiendi uiuacitas, gra-
diendi facultas? Ignota certe nobis sunt naturæ organa, sed nota ministeria. Et tu semen
fuisti, & tuum corpus semen est resurrecturi. Audi Paulum, & disce quia semen est: Se- 1.Cor.15
minatur in corruptione, surgit in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surgit in
gloria. Seminatur in infirmitate, surgit in uirtute. Seminatur corpus animale, surgit
corpus spiritale. Et tu ergo seminaris ut cætera, quid miraris si resurgis ut cætera? Sed
illa credis, quia uides: ista non credis, quia non uides? Beati qui non uiderunt, & credi- Ioan.20
derunt. Tamen antequam tempus ueniat, nec illa creduntur: non enim omne tem-
pus accommodum ad resuscitanda semina. Alio triticum seminatur, alio nascitur: alio
uitis inseritur, alio gemmantia sarmenta pubescunt, luxuriat pampinus, uua formatur,
alio plantatur olea, alio uelut aluo grauis & onusta prole baccarum, fructus sui uberta-
te curuescit. Antè uero quàm suum cuiq; tempus adueniat, fœtura restrictior est: nec ge
nerationis ætatem habet in potestate generandi ipsa quæ generat. Nunc informem si-
tu, nunc fœtu nudam, nunc uirentem floribus, nunc arentem ipsam omnium cernas
parentem. Quæ utique uellet omnibus se uestire temporibus, nec unquam aurea sege-
tum aut uiridantia pratorum indumenta deponere, ipsa sui egens, & prouentum suo-
rum quæ in alios transfuderit, indotata compendijs. Ergo & nostram resurrectionem

etsi non credis fide, non credis exẽplo: usu es creditur⁹. Et alijs quidẽ fructibus, ut uiti, oleæ, pomisq; diuersis, anni ætas extrema habilis maturãdis: nobis quoq; mũdi consummatio tanquam extremus anni finis accommodam resurgendi præscribit ætatem. Et bene in consummatione mundi resurrectio mortuorum est, ne post resurrectionẽ in hoc malum nobis esset seculum recidẽdum. Ideo enim Christus est passus, ut nos ex hoc malo seculo liberaret, ne iterum nos huius seculi tentamenta subruerent: & obesset renasci, si renascer emur ad culpam. Et rationẽ igitur resurrectiõis, et tẽpus tenemus. Rationem, quia in omnibus sibi fœtibus æquè natura respondet, nec in sola hominum successione degenerat. Tempus, quia omnia in anni fine generantur. Mundi tẽpora annus unus est. Et quid mirum si annus unus est, quãdo dies una est? Vna enim die dominus operarios
Matth. 22 conduxit ad uineam, dicens: Quid hic statis tota die ociosi? Causæ originũ, semina sunt. Semen esse corpus humanum, Gentium doctor asseruit. Est ergo substãtia resurgendi, quando est series seminandi. Quod si substantia aut caussa nõ esset, arduum quisquã putaret deo unde uellet, uel quomodo uellet homines regenerare, qui mundũ ex nulla materia, nulla substantia esse iussit, & factus est? Cœlum aspice, terrã intuere. Vnde stellarũ ignes? Vnde orbis Solis & radij? Vnde Lunæ globus? Vnde montiũ uertices? dura saxorum? nemorosa syluarum? Vnde uel diffusus aer, uel infusæ uel superfusę aquę? Sed si
Psalm. 148 hęc omnia deus fecit ex nihilo, Ipse enim dixit, & facta sunt: ipse mãdauit, & creata sunt: cur miremur renasci posse quod fuerit, cum uideamus natũ esse quod non fuit? Illud mirum quod cum resurrectionẽ non credãt, tamẽ ne genus pereat hominũ, clementi quadam benignitate prospiciunt, & ideo transire ac demigrare in corpora dicũt animas, ne mundus intereat. Sed quid sit difficilius, ipsi asserant, transire animas, an redire: sua repetere, an noua quærere. Sed illi dubitent qui non didicerunt, nos uero qui legimus Legẽ,
Daniel. 12 Prophetas, Apostolos, Euangelium, dubitare fas non est. Quis enim dubitet cum legit: Et in tempore illo saluabitur omnis plebs tua quæ scripta est in libro, & multi dormientium in terræ fossu, una apertione exurgent, hi in uitam æternam, & hi in opprobriũ & in confusionem perpetuam: & intelligentes splendebunt ut splendor firmamenti, & ex iustis multi sicut stellæ in secula? Bene itaq; dormientiũ dixit quietẽ, ut intelligas mortẽ non esse perpetuam, quæ somni uice initur ad tempus, & ad tempus excluditur. Melioremq; profectum uitæ eius ostendit quæ futura post mortẽ est, quàm eius quæ ante mortem mœrore ac dolore transigitur. Siquidem illa stellis comparatur, hæc ærumnæ addicitur. Nam quid illa cõtexam, quæ alio loco scripta sunt? Suscitabis me, & confitebor tibi? Quid etiam illud quod Iob sanctus uitæ istius expertus iniurias, & aduersa omnia patientiæ uirtute exuperans, compensationem sibi malorum præsentium de resurrectione promisit dicẽs: Suscitabis corpus meum hoc, quod multa mala passum est? Esaias quoq; resurrectionem populis annuncians, dominici se nunciũ dixit esse responsi. Sic enim habes: Os enim domini locutum est, Et dicent die illa. Quid igitur os domini locutum sit,
Esaiæ. 26 populos esse dicturos, in posterioribus declaratur, ubi scriptũ est: Propter timorẽ tuum in utero accepimus & parturiuimus spiritum salutis tuæ, quem effudisti super terram: cadent qui inhabitant terram, resurgent qui in monumentis sunt. Ros enim qui abs te est, sanitas est illis: terra uero impiorum peribit. Ambulate populus meus, & intra in recessus tuos. Absconde te aliquantulum donec transeat ira dei. Quàm bene recessus esse signauit tumulos mortuorũ, quibus pauxillulum abscõdimur, ut in iudiciũ dei quod pro nostris sceleribus ius debitę indignationis assumet, tolerabilius transire possimus. Viuit igitur qui absconditur & quiescit, quasi è medio se subtrahens & recedẽs, ne eum arctioribus laqueis mundi huius inuoluat ærumna, quibus repositam resurrectionis esse lætitiam, sanitatemq; corporũ solutorum diuino rore reparabilem, cœlestia oracula prophetici uocibus pollicẽtur. Et bene ros significatur, quo genitalia omnia terrarum semina suscitantur. Quid igitur mirum si fatiscentis quoque corporis nostri cineres ac fauillæ pinguedine cœlestis roris exuberant, & accepto humore uitali in compagẽ suam membrorum nostrorum habitus reformantur? Docet etiã sanctus Ezechiel propheta & plena expositione describit, quemadmodũ arentibus uigor ossibus refundatur, sensus redeat, motus accedat, neruisq; redeuntibus corporis cõpago rigescat humani: quemadmodũ nimis arida renatis ossa uisceribus uestiãtur, uenarũq; hiatus & sanguinis riuulos

extentæ

extentę cutis uelamẽ obducat. In ipſis, dum legimus, propheticis ſermonibus, humanorum uidetur ſeges corporũ rediuiua cõſurgere, atq; ipſa ſpatia diffuſa camporũ nouis uideas pullulare ſeminibus. Quod ſi ueteres ſapiẽtes ſatis Hydræ dẽtibus in regione Thebana inhorruiſſe armatorũ ſegetẽ crediderunt, cum utiq; alterius naturę ſemina certum ſit in naturã uerti alterã nequiuiſſe, nec partum ſuis diſcordẽ fudiſſe ſeminibus, ut ex ſerpente homines naſcerẽtur, ut caro ex dentibus gigneret: quãto magis utiq; credendum eſt, quæcunq; ſunt ſeminata, in ſuã naturã reſurgere, nec à ſatione ſua ſegetes diſcrepare, nec duris mollia, nec mollibus dura uiuiſcere, nec in ſanguinẽ uenena cõuerti, ſed carnẽ de carne, os de oſſibus, ſanguinẽ de ſanguine, humorẽ de humore reparari? Poteſtis ergo Gentiles reformationẽ negare naturę, qui mutationẽ poteſtis aſſererе? Poteſtis non credere Oraculis, nõ Euangelijs, nõ Prophetis, qui fabulis inanib. creditis? Sed iam ipſum audiamus prophetã. Sic enim ait: Et facta eſt ſuper me manus domini, & eduxit me in ſpiritu dominus, & poſuit me in medio cãpo, & hic erat plenus oſſib. humanis, & circunduxit me per gyrũ eorũ, & ecce multa ualde in facie cãpi, arida nimis. Et ait ad me: Fili hominis, ſi uiuẽt oſſa iſta? Et dixi: Dñe tu ſcis. Et ait ad me: Prophetiza ſuper oſſa iſta, & dices illis: Oſſa arida audite uerbũ domini. Hæc dicit dominus oſſibus iſtis: Ecce ego induco in uos ſpiritũ uitę, & dabo in uos neruos, & adducã ſuper uos uiſcera, et extendã ſuper uos cutẽ, & dabo ſpiritũ meũ in uos, & uiuetis, & ſcietis, q̃d ego ſim dominus. Et prophetaui ſicut mãdauit mihi. Et factũ eſt cũ prophetarẽ hæc omnia, & ecce factus eſt terræmotus magnus. Vide nũc quemadmodũ & auditũ in oſſib. & motũ prius oſtendat eſſe, quàm uitæ ſpiritus refundat. Nã & ſupra oſſa arida iubent audire, quaſi ſenſum habeant audiẽdi, & hic acceſſiſſe eorũ unũquodq; ad ſuã compaginẽ, pphetico ſermone ſignatur: Sic enim habes, Et accedebãt oſſa, unũquodq; ad ſuã compaginẽ. Et uidi, & ecce ſuper illa nerui & uiſcera naſcebant, & aſcẽdebat ſuper ea cutis deſuper, & ſpiritus in his non erat. Magna domini gratia, quod futuræ reſurrectionis propheta teſtis adhibeat, ut nos quoq; eam illius oculis uideremus. Neq; enim omnes teſtes adhiberi poterãt, ſed in uno omnes teſtes ſumus: quia nec in uirũ ſanctũ cadit mendaciũ, nec in tantũ error Prophetam. Nec minus ueriſimile debet uideri, quia iubente deo oſſa in ſuã cõpaginem reformantur, cum utiq; innumera habeamus exẽpla, quibus natura rerũ cœleſtibus eſt obſecuta præceptis, ut terra pabulũ gignere iuberetur & gigneret: ut ad uirgæ tactũ ſitientibus populis petra uomeret aquã, atq; æſtu torridis, miſeratione diuina undarẽt fluenta dura ſaxorum. Virga in ſerpentem uerſa quid aliud indicauit, niſi uolente deo ex inſenſibilibus ſenſibilia poſſe generari? An uero incredibilius putas quod oſſa cum iubentur accedunt, quàm quod retrorſum fluenta uertuntur, maria fugiũt? Sic enim Propheta teſtatur: Mare uidit & fugit, Iordanis cõuerſus eſt retrorſum. Nec ſuper hoc ambigi poteſt quod duorũ populorum alterius ſalute, alterius obitu comprobatũ eſt aquarũ curſus ſtetiſſe frænatos, eoſdemq; alijs circũfuſos, alijs ad mortẽ refuſos, ut alios mergerẽt, alios reſeruarent. Quid in ipſo Euangelio? nónne ibi probauit dominus quod uerbo unda miteſcat, fugentur cœli nubila, cedãt flabra uentorũ, placidiſq; littoribus muta deo famulentur elemẽta? Sed perſequamur cætera, ut quemadmodũ ſpiritu uitæ animẽtur defuncti, ſurgant iacẽtes, ſepulchra reſerent, poſſimus aduertere. Et ait ad me. Prophetiza fili hominis, & dic ſpiritui, Hæc dicit dominus: A quatuor uentis cœli ueni ſpiritus, & inſuffla in mortuos iſtos, & uiuant. Et prophetaui ſicut mandauit mihi, & intrauit in eos ſpiritus uitæ, & uixerũt, & ſteterũt in pedibus ſuis cõgregatio nimis multa. Et locutus eſt dominus ad me dicẽs: Fili hominis, oſſa hæc omnis domus Iſrael eſt. Ipſi enim dicũt: Arida facta ſunt oſſa noſtra, periit ſpes noſtra, interiuimus. Propterea prophetiza & dic: Hæc dicit dominus, Ecce ego aperiam uobis monumenta ueſtra, & educã uos de monumentis ueſtris in terram Iſrael, & ſcietis quod ego ſum dominus, cum aperiã ſepulchra ueſtra & educam de ſepulchris populũ meum, & dabo ſpiritum meũ in uobis, & uiuetis, & ponam uos ſuper terram ueſtrã, & ſcietis quod ego dominus locutus ſim, & faciã, dicit dominus. Aduertimus quemadmodũ uitalis ſpiritus commertia reſumant, cognouimus quemadmodũ dehiſcentibus tumulis mortui ſuſcitent. An uero mirandũ eſt iuſſu domini mortuorũ ſepulchra reſerari, cũ tota ſuis terminis uno tonitruo terra quatiatur, mare ſuis exundet finibus, idemq; ſuarum curſus refrenet undarũ? Deniq; ille qui crediderit

Ezech. 37

Exodi. 4

Pſalm. 109

quia

quia in momento oculi, in nouissima tuba mortui resurgent, cum primis rapietur in nubibus obuiam Christo in aera: qui non crediderit, relinquetur: & perfidiæ subdet se ipse sententiæ. Ostendit tibi dominus etiã in Euãgelio, ut iam ad exẽpla ueniamus, quemad-
Ioan. 11 modum resurgas. Non enim unum Lazarũ, sed fidẽ omniũ suscitauit. Quod tu si credas cum legis, mens quoq; tua quæ mortua fuerat, in illo Lazaro reuiuiscit. Quid enim sibi uult quod dominus ad monumentũ accessit, magna uoce clamauit, Lazare exi foras: ni si ut futurę resurrectionis specimen pręstaret, exemplũ ederet? Cur uoce clamauit, quasi spiritu non soleat operari, quasi tacitus nõ soleat imperare? Sed ut illud ostẽderet, quod
1. Cor. 15 scriptũ est: Quoniã in momẽto oculi, in nouissima tuba & mortui resurgent incorrupti. Tubarum enim crepitus, uocis metitur elatio. Et clamauit, Lazare exi foras. Cur etiã nomen additur, nisi forte ne alius resuscitatus pro alio uideret, aut fortuita magis resurrec-
14 tio quàm imperata? Audiuit ergo defunctus, & exiuit foras de monumento, ligatus pedes & manus institis, & facies eius orario collígata erat. Comprehẽde si potes quemadmodum clausis oculis iter carpat, uinctis pedibus gradũ dirigat, inseparabili gressu, separabilíq; progressu. Manebãt uincula, nec tenebant: tegebant oculi, sed uidebãt. Videbat deníq; qui resurgebat, qui ambulabat, qui deserebat sepulchrum. Virtute enim diuinæ prœceptionis operante, natura suum non requirebat officiũ, & tanquã in excessu posita, nõ iam suo ordini, sed diuino nutui seruiebat. Rumpebant prius mortis quàm sepulturę uincula, agebat prius quàm parabat incessus. Si miraris hæc, disce qui imperauerit, tum mirari desines. Iesus Christus dei uirtus, uita, lux, resurrectio mortuorum. Virtus erexit iacentẽ, uita gressum extulit, lux fugauit tenebras, reparauit obtutũ, resurrectio uiuendi gratiam reformauit. Fortasse moueat quod Iudæi lapidẽ tollũt, Iudæi institas soluunt, ne forte & tu solicitus sis qui lapidẽ de monumento tuo tollant: quasi uero qui spiritum refundere poterat, lapidem remouere nõ poterat: aut uincula rumpere, qui uinctũ fecerat ambulare: aut deoperire faciem, qui opertis oculis lumen infuderat: aut findere petram, qui poterat reformare naturã. Sed ut uel oculis suis crederẽt, qui credere mẽte nolebãt, remouent lapidẽ, uident cadauer, fœtorẽ sentiunt, institas rumpunt. Nõ possunt negare defunctum quem aspiciunt resurgentẽ, uidẽt signa mortis, & uitæ munera. Quid si dum conantur, labore ipso emendantur? Quid si dum audiunt, uel auribus suis credũt? Quid si dum intuentur, uel oculis suis corríguntur? Quid si dum rumpũt uincula, mentes suas soluunt? Quid si dum Lazarus exuitur, populus liberatur: dum Lazarum abire permittunt, ipsi ad dominum reuertuntur? Deníq; multi qui uenerãt ad Mariam, uidentes quæ facta sunt, crediderunt. Nec hoc solum exemplum edidit dominus noster Iesus Christus sed alios quoq; resuscitauit, ut nos uel exẽplis uberioribus crederemus. Resuscitauit adolescentẽ fletu uiduæ matris inflexus, quãdo accessit & tetigit loculũ dicens: Adolescẽs,
Luc. 6 tibi dico surge, & resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Statim ut audiuit, statim rese-
Matth. 9 dit, statim locutus est. Alia enim uirtutis gratia, alius ordo naturę. Nã quid de archisynagogæ filia loquor? in cuius obitu flebant turbæ, tibicines personabãt? Etenim ad finem mortis pompa funeris exhibetur. Quàm cito ad uocem domini conuertitur spiritus, redíuiuum corpus erígitur, cibus sumitur, ut uitæ testimonium crederetur? Et quid mirémur ad uocem dei refundi animã, redire ossibus uiscera, cum meminerimus prophetici
4. Reg. 13 tactu corporis mortuũ suscitatũ? Helias orauit, & defunctũ suscitauit infantẽ: Petrus in
3. Reg. 17 nomine Christi Tabitam surgere atq; ambulare præcepit, & redditam sibi pauperes gra-
Acto. 9 tulati crediderũt pro alimẽtis: & nos adhuc pro salute nõ credimus? Illi resurrectionem alienam suis lachrymis redemerũt, nos nostrã nec Christi credimus passione? Qui cum emitteret spiritũ, ut ostenderet pro nostra resurrectione se mortuũ, seriem ipsam resurre-
Matth. 27 ctionis exercuit. Simul enim ut clamans iterum uoce magna emisit spíritum, terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum dormientium resurrexerunt, & exeuntes de monumento post resurrectionẽ eius uenerunt in sanctam ciuitatem, & multis apparuerunt. Si hæc lecta sunt cum emitteret spíritum, cur incredibília putamus cum redire cœperit ad iudiciũ, præsertim cũ hæc resurrectio documentũ illius resurrectiõis, & futuræ sit ueritatis exemplũ? Minus aũt exemplũ est quàm ueritas. Quis igitur in domini passione monumenta aperuit, manũ resurgẽtibus dedit, uiam quà ciuitatem sanctã peterent, demõstrauit? Si nemo fuit, fuit utiq; uis diuina quę

operare-

operaretur in corporibus mortuorũ. Hominis tu quæris auxilium, ubi opus dei cernis? Non egent humanis diuina mysteria. Cœlũ deus fieri iussit, & factum est: Terram creari statuit, & creata est. Quis humeris saxa conuexit? quis congessit impẽsas? quis laborãti deo suam operam ministrauit? In momento hæc facta sunt. Vis scire quàm breui? Dixit & fecit. Si dicto elementa consurgunt, cur dicto mortui nõ resurgant? Qui licet mortui sint, tamen aliquando uixerunt, habuerunt spiritum sentiendi, habuerunt uires agendi: plurimumq; refert, capax animi non fuisse, & exanimum remãsisse. Diabolus dixit: Dic lapidi huic ut fiat panis. Confitetur iubente deo conuerti posse naturam, tu non credis iubente deo reformari posse naturã? De solis cursu cœlíq; ratione philosophi disputant & sunt qui putant his esse credẽdum, cum quid loquantur ignorent. Necq; enim cœlum ascenderunt, axem dimensi, mundum oculis perscrutati sunt, quia nullus eorũ cum deo in principio fuit, nullus eorum de deo dixit: Cum pararet cœlum, cum ipso eram, & eram cum eo componens, ego eram cui aggaudebat. Si ergo illis creditur, non creditur deo qui ait: Quemadmodum cœlum nouum, & terra noua quæ ego facio manere coram me dixerit dominus: sic stabit nomen uestrum & semen uestrum, & erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato, & ueniet omnis caro in conspectu meo, ut adorent in Hierusalem dixit dominus deus, & exibunt, & uidebunt membra hominum qui præuaricati sunt in me? Nam uermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt in aspectu uniuersæ carnis. Si terra renouatur & cœlum, cur dubitemus hominem posse renouari, propter quem terra facta & cœlum est? Si præuaricator seruatur ad pœnam, cur iustus non perpetuatur ad gloriam? Si uermis non moritur peccatorum, quem admodum interibit caro iustorum? Hæc est enim resurrectio, sicut uerbi ipsius sono exprimitur: ut quod cecidit, hoc resurgat: quod mortuum fuerit, reuiuiscat. Et hæc est series & caussa iustitiæ, ut quoniam corporis animíq; communis est actus, quæ animus cogitauit, corpus effecit, utrumque in iudicium ueniat, utrumque aut pœnæ dedatur, aut gloriæ reseruetur. Nam propemodum absurdum uidetur, ut cum animi legem lex carnis impugnet, & mens plerũq; quod odit hoc faciat, quando inhabitans in homine peccatum carnis operatur: animus subdatur iniuriæ, alienæ reus culpę: caro quiete potiatur author æruminæ: & solus atteratur qui non solus errauit: aut solus gloriã referat, qui non solus gloriæ militauit. Plena, ni fallor, & iusta ratio. Sed ego rationem à Christo non exigo. Si ratione conuincor, fidem abnuo. Credidit Abraham deo, & nos credamus: ut qui sumus generis, etiam fidei simus hæredes. Credidit & Dauid, propter quod locutus est: & nos credamus, ut possimus loqui: scientes quoniam qui suscitauit dominum Iesum, et nos cum Iesu suscitabit. Hoc enim promisit qui nunquam mentitur deus. Hoc promisit Veritas in Euangelio suo dicẽs: Hæc est autẽ uoluntas eius qui misit me, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Nec satis putauit semel dixisse, sed etiam repetijt, expressione firmauit. Sic enim sequitur: Hæc est enim uoluntas patris mei qui misit me, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam, & resuscitabo eũ in nouissimo die. Quis hoc dicit? Vtiq; is qui mortuus plurima defunctorum corpora suscitauit. Si deo nõ credimus: nec exẽplo credimus. Non credimus quod promisit, quãdo etiã quod nõ promisit effecit? Ipse autẽ quam caussam moriẽdi habuisset, nisi habuisset & caussam resurgendi? Etenim quoniã deus mori nõ poterat, mori non poterat sapientia, resurgere aũt nõ poterat quod mortuũ nõ erat, assumit caro quæ mori posset, ut dum moriẽ quod solet, q̃d mortuũ fuerat, hoc resurgeret. Necq; enim poterat esse nisi per hominẽ resurrectio: quoniã sicut per hominẽ mors, ita & per hominẽ resurrectio mortuorũ. Ergo resurrexit homo, quoniã homo mortuus est: resuscitatus homo, sed resuscitãs deus. Tunc secundũ carnẽ homo, nunc per omnia deus. Nunc enim secundum carnem iam non nouimus Christum, sed carnis gratiam tenemus: ut ipsum primitias quiescentium, ipsum primogenitum ex mortuis nouerimus. Primitiæ utique eiusdẽ sunt generis atq; naturæ, cuius & reliqui fructus. Quorũ pro lætiore prouẽtu primitiua deo munera deferuntur, sacrũ munus pro omnibus, & quasi reparatę quędam liba naturę. Primitię ergo quiescentium, Christus. Sed utrum suorum quiescentium, qui quasi mortis exortes dulci quodã sopore tenẽtur, an omnium mortuorum? Sed sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Itaque sicut primitiæ

Matth. 4

Prouer. 8

Esaiæ. 66

Gen. 15

Rom. 4

Psalm. 115

Ioann. 6

1. Corin. 15

2. Corin. 5

mortis

mortis in Adam, ita etiã primitiæ resurrectionis in Christo omnes resurgunt. Sed nemo desperet, neq; iustus doleat commune consortium resurgẽdi, cum præcipuum fructum uirtutis expectet. Omnes quidem resurgent, sed unusquisq;, ut ait Apostolus, in suo ordine. Communis est diuinæ fructus clementiæ, sed distinctus ordo meritorum. Dies omnibus lucet, sol omnes populos fouet, pluuia possessiones omnium uberiore imbre fœcundat. Omnes nascimur, omnes resurgemus: sed in utroq; uel uiuendi, uel reuiuiscendi gratia dispar, diuersa conditio. In momẽto enim, in ictu oculi, in nouissima tuba & mortui resurgẽt incorrupti, & nos immutabimur. Quinetiam in ipsa morte quiescunt alij, ui-
uunt alij. Bona quies, sed uita melior. Denicq; Paulus ad uitam excitat quiescentem di-
Ephes. 5 cens: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Ergo hic excitatur ut uiuat, ut similis Pauli sit, ut possit dicere: Quia nos qui uiuimus, non prꝫueniemus eos qui dormierunt. Non enim communẽ hunc uiuendi loquitur usum, spirandiq; commercium, sed meritum resurgendi. Nam cum dixisset: Et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi: subiecit deinde: Et nos qui uiuimus, simul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera. Vticq; mortuus est Paulus, & passione uenerabili uitam corporis cum immortali gloria commutauit. Num fefellit ergo qui se uiuentem scripsit in nu-
1. Thes. 4 bibus obuiam Christo esse rapiendum? Hoc enim de Enoch legimus aut Helia. Sed &
Gene. 5 4. Reg. 2 tu rapieris in spiritu. Ecce currus Heliæ, ecce ignes. Et si uident, parantur ut iustus ascendat, innocens transferatur, & tua uita mori nesciat. Denicq; Apostoli mori nescierũt. Vn-
Matth. 16 de & dictum est: Amen amen dico uobis, multi ex his adstantibus non gustabunt mortem donec uideant filium hominis uenientem in regno suo. Viuit enim qui non habet quod moriatur in eo, qui non habet ex Ægypto calciamentum aliquod aut uinculum, sed exuit illud priusquam corporis huius deponat officium. Non solus itaq; Enoch uiuit, quia non solus est raptus: rapitur & Paulus obuiam Christo. Viuunt etiam Patriarchæ, neq; enim aliter deus Abraham, deus Isaac, & deus Iacob, nisi mortui uiuerent, dice-
Luc. 20 retur. Deus enim mortuorum non est, sed uiuentium. Viuemus & nos, si gesta moresq; maiorum sequamur. Miramur Patriarcharum præmia, imitemur obsequia, prædicemus gratiam, sequamur obedientiam. Non escis inducti, seculi laqueos incidamus. Arripianus opportunitatem temporis, præscriptum legis, clementiam uocationis, desiderium passionis Exierunt de terra sua Patriarchæ, & nos exeamus proposito de corporis potestate: nos exeamus proposito, illi exilio. Sed exilium non putarunt quod deuotio obiret, non necessitas imperaret. Illi terram solo mutarunt, nos terram cœlo mutemus: illi habitatione, nos spiritu. Illis illuminatum stellis cœlum ostenderit, sapientia nostri cordis oculos illuminet. Sic typus ueritati, & ueritas concurrit typo. Abraham paratus hospitibus, fidelis deo, impiger ministerio, promptus officio, trinitatem in typo uidit, ho-
Gene. 18 spitalitatem religione cumulauit, tres suscipiens, unum adorans, & personarum distinctione seruata, unum tamen dominum nominabat, tribus honorificentiam muneris deferens, & unam significãs potestatem. Loquebatur enim in eo non doctrina, sed gratia: & melius credebat ille quod non didicerat, quàm nos qui discimus. Nemo enim typum falsauerat ueritatis, et ideo tres uidet, sed unitatem ueneratur. Tres mensuras similaginis promit, unum immolat uitulum: satis credẽs unum esse sacrificium, trium munus: unam hostiam, trium gratiam. Nam in quatuor regibus quis non intelligat quod materialis elementa naturæ præfigurato dominicæ passionis indicio, & omnia sibi mundana subiecerit? Fidelis in bello, abstemius in triumpho, qui donis nõ hominum ditescere, sed dei mallet. Generare se posse filium senex credidit, immolare posse se filium pater iudicauit: nec patrius trepidauit affectus, cum senis dexteram pietas adiuuaret. Sciebat enim acce-
Gene. 22 ptiorem deo filium immolatum esse quàm sanum. Ergo adducit ad sacrificium filium dilectissimum: & quem sero susceperat, cito obtulit: nec paterni nominis appellatione reuocatur, cum ille patrem uocaret, hic filium. Chara quidem nominum pignora, sed ampliora præcepta. Itaq; licet compaterentur corda, uota durabant. Distrinxit super filium gladium paterna manu, & patrio percussus affectu, ne periret pœna trepidauit, ne ictus erraret, dextera deficeret. Sensit pietatis affectum, sed non omisit pietatis affectum, sed non omisit deuotionis negocium: & properabat obsequium, etiam cum audiret oraculum. Vnde nos quoq; deũ omnibus quos diligimus præferamus: patri, fratribus, matri,

ut possit

ut possit nobis seruari dilectus, sicut in Abraham uberiorem remuneratorem quàm ministrum uidemus. Obtulit quidem filium pater, sed deus non sanguine sed pietate placatur. Quem pro homine demonstrauit in ligno: ut & filium patri redderet, nec periret hostia sacerdoti. Itaq; nec Abraham parricidio cruentatus est, nec deus sacrificio defraudatus. Vidit propheta, nec affectauit iactantiam, nec tenuit pertinaciam. Quem pro homine mutauit. Quo magis ostenditur quàm religiose obtulerit, quem tam libenter recepe rit. Et tu si deo munus tuũ offeras, non amittis. Sed auari sumus. Deus unicum filiũ morti pro nobis obtulit, nos nostros negamus? Vidit hoc Abraham, & agnouit mysterium, salutem nobis in ligno futuram: nec latuit in uno eodemq; sacrificio aliud esse quod uideretur offerri, aliud quod posset occidi. Imitemur ergo Abrahæ deuotionẽ, imitemur Isaac bonitatem, imitemur castimoniam. Bonus plane & pudicus uir, deuotus deo, castus uxori, qui iniuriã non reddidit, excludentibus cessit, pœnitentes eosdẽ recepit: nec proteruus contumaciæ, nec durus gratiæ. Litiũ fugitans cum recederet, facilis ueniæ cũ reciperet, profusior bonitate cũ ignosceret. Petebatur societatis consortiũ, adiunxit cõuiuium uoluptatis. Imitemur etiã in Iacob typũ Christi. Sit eius in nobis aliqua similitudo factorũ. Erimus consortes, si fuerimus imitatores. Matri obediuit, fratri cessit, socero seruiuit, mercedẽ de lucris nõ de gregis diuisiõe quæsiuit. Nõ auara diuisio, ubi lucratiua portio. Nec illa ociosa significatio, scala de cœlo, quod per crucẽ Christi Angelorũ atq; hominũ futura cõsortia uiderentur. Cui obstupefactũ est femur, ut in femore suo agnosceret generationis hæredẽ, & obstupefactio femoris, passionẽ prophetaret hæredis. Videmus igitur cœlũ patere uirtuti: nec hoc esse paucorũ. Multi enim uenient ab Oriẽte, & ab Occidẽte, & Aquilone & Austro, & recũbent in regno dei, delectationẽ perpetuę quietis sepultis animorũ motibus exprimẽtes. Sequamur Abrahã moribus, ut nos recipiat in gremiũ suum, & tanquam Lazarũ suæ humilitatis hæredẽ propriis circunfusum uirtutibus pio foueat amplexu. Nõ enim nos in gremio corporali, sed in quodã bonorũ factorũ amictu sancti patriarchæ probata deo successio fouet. Nolite, inquit, seduci, deus nõ irridetur. Aduertimus quàm graue sit sacrilegiũ, resurrectionẽ non credere. Si enim nõ resurgimus, ergo Christus gratis mortuus est, ergo Christus nõ resurrexit. Si enim nobis nõ resurrexit, utiq; non resurrexit, qui sibi cur resurgeret, non habebat. Resurrexit in eo mundus, resurrexit in eo cœlum, resurrexit in eo terra. Erit enim cœlum nouum, & terra noua. Sibi autem non erat necessaria resurrectio, quẽ mortis uincula non tenebãt. Nam etsi secundũ hominẽ mortuus, in ipsis tamen erat liber infernis. Vis scire quàm liber? Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Et bene liber, qui se poterat suscitare, iuxta quod scriptum est: Soluite hoc tẽplum, & in triduo resuscitabo illud. Et bene liber, qui alios descenderat redempturus. Factus est autẽ sicut homo, nõ specie utiq;, sed ueritate formatus: quia & homo est, & quis cognoscet eum? Etenim similitudine hominum factus, & specie inuẽtus ut homo, humiliauit semetipsum factus obediẽs usq; ad mortẽ: ut per illam scilicet obedientiam eius gloriam uideremus, gloriã quasi unigeniti. Ita enim scripturæ figura seruatur, ut & unigeniti gloria, & perfecti hominis natura seruetur in Christo. Itaq; adiutore non eguit. Neq; enim eguit cũ faceret mundũ, ut egeret cũ redimeret. Non legatus, nõ nuncius, sed ipse dominus saluũ fecit eum. Ipse dixit, & facta sunt. Ipse dñs saluum fecit eum: ubiq; ipse, quia per ipsum omnia. Quis aũt adiuuaret eũ, in quo creata sunt omnia, & omnia in ipso cõstant? Quis adiuuaret eũ, qui omnia in momẽto facit, & in nouissima tuba mortuos suscitat? Nõ quia aut prima aut secunda nõ posset aut tertia, sed ordo seruatur: non quod difficultas sero uincenda, sed legitimus numerus uindicandus sit. Tempus aũt arbitror de tubarum specie dicere, quoniam sermo propinquat ad finẽ, ut nostri quoq; cõsummãdi eloquij tuba sit signũ. Septem tubas legimus in Apocalypsi Ioãnis, quas septẽ sumpsere Angeli. Vbi habes quoniã septimus Angelus tuba cecinit, & facta est uox magna de cœlo dicẽs: Factũ est regnũ huius mũdi dei & Christi eius, & regnabit in secula seculorũ. Tuba quidem & pro uoce accipitur, quia habes: Quoniam ecce ostiũ apertum in cœlo, & uox prima quam audiui, sicut tubam loquentem mecum & dicentẽ: Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri. Legimus etiam: Canite initio mensis tuba. Sed etiam alibi: Laudate eũ in sono tubæ. Ergo quid sibi uelit tubarũ significatio, omni uirtute debemus aduertere, ne quasi fabulam aniliter

Gen. 28

Matt. 8

Gala. 6

1. Cor. 15

Apoc. 21

Psal. 87

Ioan. 2

Philip. 2

Ioan. 1

Psal. 32

1. Cor. 15

Apoc. 4

Psal. 150

accipientes periclitemur, si indigna dogmate spiritali, nec conuenientia scripturarum
Eph. 6 eminentiæ sentiamus. Nam cum legimus bellum nobis esse non aduersus carnẽ & sanguinem, sed aduersus spiritalia nequitię quę sunt in cœlestibus: non carnalia utiq; arma, sed fortia deo æstimare debemus. Non enim satis est tubam uidere, nec sonum eius audire, nisi proprietatẽ sonitus intelligas. Etenim si incertam uocẽ det tuba, quomodo quis
15 parabit se ad bellum? Vnde oportet uocis tubę nos scire uirtutẽ, ne uideamur barbari, cum tubas huiusmodi aut audimus aut loquimur. Et ideo cum loquimur, oremus ut eas nobis spiritus sanctus interpretetur. Requiramus igitur in scripturis ueteribus quid de tubarũ genere legerimus: sciẽtes eas solẽnitates quæ Iudęis lege præscriptæ sunt, superiorũ esse umbram celebritatũ, cœlestium q; festorum. Hic enim umbra, illic ueritas. Per umbram ad ueritatem peruenire nitamur. Cuius figura etiã alibi expressa est. Habes enim
Leui. 23 quia locutus est dominus ad Moysen. Loquere filijs Israel, dicens: Mense septimo, una mensis erit uobis requies in memoriale tubarũ uocata, sancta erit uobis. Omne opus ser
Num. 10 uile non facietis, & accẽdetis holocaustũ domino. In Numeris autem, Locutus est dominus ad Moysen dicens: Fac tibi duas tubas ductiles, argẽteas facies eas, & erũt tibi ad euocandã synagogã, & promouẽda castra, & tuba canes in illis, & colligetur omnis turba ad ostiũ tabernaculi testimonij. Si aũt in una tuba cecineris, ad te uenient omnes principes & duces Israel: & tuba canetis significationẽ primam, & promouebunt castra, & cõstituentur ad Orientẽ. Et tuba canetis significationẽ secundam, & promouebunt castra, & constituentur ad Liba. Et tuba canetis significationẽ tertiam, & promouebũt castra, quæ constituentur ad Boream: Et tuba canetis significationem quartã, & promouebunt castra quæ constituentur ad Aquilonem. Significationem tuba canent in promotu eorum. Et cum congregabitis synagogam, tuba canite, & non significatione. Et filij Aaron sacerdotes tubis canẽt, & erit uobis legitimum sempiternũ in progenies uestras. Si aũt exieritis in bellũ in terrã uestram significabitis ad aduersarios qui resistunt uobis, significabitis tubis, & reminiscemini corã deo, & liberationem habebitis à mortuis uestris. Et in diebus lætitiæ uestræ, & in diebus festis uestris, & in neomenijs uestris cõcinite tubis, & in holocaustis, & sacrificijs salutaribus uestris, & erit uobis in commmemoratione uestra corã domino, ait dominus. Quid igitur? dies festos in potu & in epulis æstimabimus? Sed nemo nos in mãducando dijudicet. Nouimus enim quia lex spiritalis est.
Rom. 7 Nemo ergo nos iudicet in escis aliquibus, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomenijs, aut sabbato, quę sunt umbra futurorũ: corpus aũt Christi. Corpus itaq; Christi requiramus, quod nobis quasi nouissima tuba uox de cœlo paterna mõstrauit, tunc cum dicebant Iudæi, quia tonitruũ factũ est, quia tonitruũ factũ est illis corpus Christi, qđ iterũ tu
Ioan. 12 ba nobis nouissima reuelabit, quoniã ipse dns in iussu archãgeli, & in tuba dni descẽdet
1. Thes. 4 de cœlo, & mortui qui in Christo sunt resurgẽt. Vbi enim corpus, illic aquilæ: ubi Chri-
Matt. 24 sti corpus, ibi ueritas. Septima igit tuba hebdomadis requiẽ uidetur significare, quæ nõ
Luc. 17 solũ in diebus & annis & periodis æstimat (unde & iubileus sacratus est numerus) sed etiã annum septuagesimũ cõprehendit, quando in Hierusalẽ regressus est populus, qui
3. Reg. 19 septuaginta annis in captiuitate durauit. In centesimis quoq; & in millesimis sacri obseruatio numeri minime prętermittitur. Neq; enim ociose deus dixit: Reliqui mihi septẽ milia uirorũ qui non flexerunt genua Baal. Ergo umbra futuræ quietis in diebus, mẽsibus, an
Leuit. 23 nis, mundi ipsius tẽpore figuratur: & ideo per Moysen mandatur filijs Israel, ut septimo mense una mensis singulis fiat requies in memoriale tubarum, nec seruile aliquod opus, sed deo sacrificiũ offeratur: eò quòd in ipso fine hebdomadis quasi mundi sabbato, spiritalia à nobis non carnalia opera flagitentur. Quod enim carnale, seruile: quia animo ca-
1. Cor. 13 ro seruit. Liberũ uero innocẽtia facit, culpa uernaculũ. Oportuit igitur per speculũ & ænigmata fieri spiritalia. Nunc enim per speculum uidemus, tunc aũt facie ad faciem. Nũc secundũ carnem militamus, tunc spiritu uidebimus diuina mysteria. Et ideo ueræ legis character in nostris moribus exprimat, qui in dei ambulamus imagine, quoniã iã legis umbra trãsiuit: umbra Iudęis carnalibus, imago nobis, ueritas resurrecturis. Tria enim hęc secundũ legem esse cognouimus, umbrã, imaginem, ueritatẽ. Vmbram in lege, imaginem in Euangelio, ueritatem in iudicio: sed Christi omnia, & in Christo omnia, quæ nunc secundum ueritatem uidere non possumus, sed uidemus quasi quandam imaginẽ futu-

futurorum, quorũ umbram in Lege perſpeximus. Ergo Chriſtus nõ umbraſed, imago dei: nõ uacua imago, ſed ueritas. Et ideo per Moyſen lex: quia umbra per hominẽ, figura per legẽ, per Ieſum ueritas. Neq; enim ueritas aliunde, niſi per ueritatẽ procederet. Si quis ergo hãc imaginem dei uidere deſiderat, debet diligere deum, ut dilígatur à deo: & ſit iam non ſeruus, ſed amicus, qui mandata dei fecerit, ut poſſit introire in nubem, ubi eſt deus ipſe. Faciat ſibi rationabiles tubas duas ductiles argẽto probato, hoc eſt precioſo uerbo cõpoſitas & ornatas, quibus non raucum increpans, terribili ſonitu murmur interſtrepat, ſed ſublimes gratiæ deo continua iubilatione fundantur. Talium enim tubarum ſonitu mortui ſuſcitantur, non crepitu utiq; æris, ſed uerbo ueritatis animati. Et fortaſſe duæ iſtæ tubę ſunt, per quas diuino ſpiritu Paulus increpuit dicens: Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente. 2.Cor.14 Alterum enim ſine altero nequaquam uidetur euocationem habere perfectam. Nec tamen omnium eſt utraq; canere tuba, nec eſt omnium uniuerſam colligere ſynagogam, ſed ſolis ſacerdotibus & miniſtris dei canentibus iſta prærogatiua defertur, ut quicũq; audierit & ſecutus eò fuerit ubi eſt dei gloria, & ad tabernaculũ teſtimonij præmatura intentione conuenerit, opera poſſit ſpectare diuina, & legitimum illud æternumq; domicilium in ſuæ poſteritatis ſeriẽ promereri. Tunc enim bellum conficitur, hoſtis fugatur, quando ſpiritus gratia concinit, & mentis induſtria. Sunt & illæ ſalutares tubæ, ſi corde credas, & ore confitearis. corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Rom.10 Hac igitur gemina tuba ad illam ſanctam terram, reſurrectionis ſcilicet gratiã peruenitur: & ideo ſemper tibi concinat, ut ſemper audias dei uoces: ſemper te Angelorum prophetarũq; oracula excitent atque cõmoueant, ut ad ſuperiora feſtines. Hãc intentionẽ Dauid uerſabat in pectore cũ dicebat: Quoniã tranſibo in locũ tabernaculi admirabilis uſq; ad domũ dei, in uoce exultationis & confeſſionis ſonitus epulantis. Non enim ſoli hoſtes harum tubarũ ſonitu uincuntur, ſed & delectationes, & dies feſti, & neomeniæ ſine his eſſe non poſſunt. Nemo enim poteſt niſi diuini hauriat promiſſa ſermonis, & reſultantibus credat oraculis, exultare lætitia, dies feſtos aut neomenias agere, quibus ſe corporali gratia & ſeculari occupatiõe uacuatũ, Chriſti repleri luce deſideret. Sacrificia quoq; ipſa deo probata eſſe non poſſunt, niſi confeſſio uocis aſpiret, quę ſacerdotali oblatione ad obſecrandam dei gratiam populos excitare cõſueuit. Itaq; ſimus prædicatores domini, & laudemus eum in uoce tubæ, nõ exigua de uirtute eius & uilia ſentientes, ſed ea quæ poſſunt aurẽ mentis implere, & intimę conſcientiæ penetrare ſecretũ: & ea quę corpori conueniant, diuinitati non putemus aptanda: nec diuinę magnitudinẽ poteſtatis humanis uiribus metiamur: ut quæramus quomodo quis reſurgat, aut quali corpore ueniat, aut quemadmodũ ſoluta coeant, lapſa reparentur. Hæc enim arbitrio dei ſimul ut ſtatuũtur, implẽtur. Nec ſenſibilis tubarum expectatur auditus, ſed inuiſibilis potentia magnificentiæ cœleſtis operatur. Deo enim uelle pro facto eſt, nec reſurrectionis requirendus uſus, ſed fructus nobis eſt expetendus. Quę procliuius celebrabitur, ſi exinaniti uitijs plenitudinẽ ſpiritalis myſterij cõſequamur, gratiamq; renouatã caro ſumat à ſpiritu, & fulgorẽ lucis æternæ anima mutuetur à Chriſto. Sed non ſolum ſingulorum, uerum etiã uniuerſitatis ſunt iſta myſteria. Aduerte enim iuxta typũ Legis, ordinem gratiæ. Cum tuba prima cecinerit: Orientales congregat quaſi præcipuos & electos. Cum ſecũda, ſuppares meritis qui ſecundum Liba ſiti dereliquerint ludibria nationum. Cum tertia, eos qui tãquam in mari exagitati iſtius flatu mundi, ſeculi huius fluctibus uacillarint. Cum quarta, illos qui dura mentium nequaquam ſatis potuerint eloquij ſpiritalis mollire præcepto, & ideo ſecũdum Boream uocati ſunt. Boreas enim ſecundum Salomonem durus eſt uentus. Itaque licet in momento reſuſcitentur omnes, omnes tamen meritorum ordine ſuſcitãtur. Et ideo primi reſurgunt, qui maturo deuotionis occurſu, & quodam antelucano fidei exortu prodeuntis ſolis æterni radios receperũt. Quod uel de Patriarchis iuxta Veteris ſeriem teſtamenti, uel de Apoſtolis iuxta Euangelium iure memorauerim. Secundi aũt, qui ritum Gentium relinquentes, ab errore ſacrilego tranſierunt in Eccleſię diſciplinã. Et ideo illi primi ex Patribus, iſti ſecundi ex Gentibus. Ab illis enim lux fidei cœpit, in iſtis uſq; ad mundi occaſum ſuſcepta durauit. Tertij ſuſcitantur, qui ab Auſtro, & qui ab Aquilone ſunt. His quatuor terra diſtinguitur, his quatuor annus includit, his quatuor

mūdus implet, his quatuor Ecclesia congregatur. Omnes enim qui sacrosanctæ Ecclesiæ copulati, diuini nominis appellatione censentur, prærogatiuam resurrectionis & de-
Luc. 13 lectationis æternæ gratiam consequentur: quoniam uenient ab Oriente & Occidente, ab Aquilone & Austro, & recumbent in regno dei. Non enim exigua mundum suum
Psal. 18 Christus luce complectitur: quando quidem à summo cœlo egressio eius, & occursus eius usq; ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius. Omnes enim benignus illustrat, nec refutare leuem, sed emendare uult: nec excludere durum Ecclesia, sed molli re desiderat. Et ideo eos in Canticis canticorum Ecclesia, in Euangelio Christus inuitat,
Matt. 11 dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. tollite iugum meum super uos, & discite, quia mitis sum, & humilis corde. Ecclesię quoq; uocem
Cant. 4 inuitantis agnosce. Dicit enim: Exurge Aquilo, & ueni Auster, perfla hortum meum, & defluant unguenta mea. Descendat frater meus in hortum suum, & edat fructum pomiferarum suarum. Sciens enim iam tunc etiam hortum tibi fore opera fructuosa, Christo tuo fructum de talibus pollicebare, quæ primo te in cubiculum dixisti regis introductã, diligens ubera super uinum, cum diligentem amares, lactantem quæreres, pericula pro religione contemneres. Deinde à Libano sponsa rogaris ut uenias, iudicio domini adhuc tota formosa, tota irreprehensibilis. Sic enim scriptum est: Tota es formosa proxima mea, & reprehensio non est in te. Ades huc à Libano sponsa, ades huc à Libano. Postea ipsa iam nullos aquæ lapsus, iam nullos impetus descendẽtes à Libano pertimescẽs, Aquilonem & Austrum aduocas, perflari cupiens hortum tuum, ut in alijs unguẽta tua defluant, in alijs multiplices fœcũditatis tuæ fructus offeras Christo. Et ideo beatus qui custodit uerba prophetiæ huius, quæ nobis resurrectionem euidentioribus testimonijs
Apoc. 20 reuelauit dicens: Et uidi mortuos magnos & pusillos stantes ante sedem, & libros aperuerunt: & alius liber apertus est, qui est uitæ, & iudicati sunt mortui de scriptis in libris secundum facta sua: & dedit mare mortuos qui in ipso erant, & inferi dederunt mortuos qui penes se erant. Ne ergo dubites quemadmodum resurgant, quos inferi reuomunt, mare reddit. Accipe etiam quãdo promittatur gratia futura iustorum. Et audiui, inquit,
Ibid. 21 uocem magnam de cœlo dicentem: Ecce tabernaculum dei cum hominibus, & habitabit cum illis, & ipsi populus eius erunt, & ipse deus cum illis erit illorum deus: & delebit omnem lachrymam de oculis eorum, & mors nõ erit amplius, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor ultra erit. Compara nunc si placeat atq; contẽde uitam hanc cum illa uita. Elige si potes perpetuam corporis uitam in labore ærumnaq; miserabili tantarum commutationum, uotorumq; tædio, fastidio uoluptatum. Nonne si deus ista perpetuare uellit, illa diligeres? Nam si per se ipsa uita fugienda est, ut sit molestiarum fuga, requies ærũnarum: quanto magis ea requies est expetenda, cui futuræ resurrectionis uoluptas perpetua succedet, ubi nulla criminum series, nulla illecebra delictorum? Quis in dolore tã patiens, qui non mortem oret? Quis in infirmitate tam constans, ut non optet mori se potius quàm debilem uiuere? Quis in mœrore tam fortis, ut non desideret eo se uel mo riendo defungi? Quod si ipsi nobis dum uiuimus displicemus, cum uiuendi finem præsti tum esse nouerimus: quanto amplius uitæ nos tęderet istius, si sine fine futuros nobis la-
1. Cor. 15 bores huius corporis cerneremus? Quis est igitur qui se uelit mortis exortẽ? Aut quid grauius immortalitate miserabili? Si in hac uita, inquit, in Christo tantũ sperãtes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus: non quod in Christo sperare sit miserũ, sed quia Christus sperantibus in se, uitam alteram pręparauerit. Hęc enim peccato obnoxia est, illa præmio reseruata. Ipsos cursus breues nostrarum ætatum quantum uidemus nobis afferre fastidium? Puer adolescentiam desiderat, adolescens annos sibi maioris metitur ætatis, iuuenis beneficio æui florentis ingratus, senilem honorificentiam cõcupiscit. Ita omnibus ex natura uenit uelle mutari, contra sectas philosophorum, qui uel animã solã durare dicant post corporis mortem, uel μεταψύχωσιν credant, quia eius nos quod sumus, pœnitet. Deniq; etiam ipsa post usum uota fastidio sunt: & quę mereri optauimus, cum meruerimus, abdicamus. Vnde non immerito etiam sancti uiri prolongatum incolatum suum sæpe doluerunt. Doluit Dauid, doluit Hieremias, doluit Helias. Si sapientibus creditur: & hi in quibus diuinus spiritus loquebatur, ad meliora properabant. Si reliquorum iudicia scisscitamur, ut cognoscamus omnes in unam cõuenire sententiã, quãti

mortem

mortem mœrori, quanti mortem formidini prætulerunt? Iudicantes uidelicet grauiorem metum mortis esse quàm mortem. Adeò suis malis mors non timetur, sed uitæ miserijs antefertur, cum expetitur morientis exitus, & euitatur formido uiuentis. Sed esto, huic uitę resurrectio præferatur. Quid? Philosophi ipsi genus post mortē aliquod reperierunt, quo nos uti magis quàm resurgere delectabit? Et illi quidē qui dicūt animas immortales esse, non satis mulcere me possunt cum pro parte me redimunt. Nam quæ poterit esse gratia, ubi nō totus euasi? Quæ uita, si in me opus dei occidat? Quę iustitia, si naturæ finis mors sit, erranti iusto' ue cōmunis? Quæ ueritas, ut quia ipsa se moueat, & semper moueatur anima, immortalis esse credatur? quod nobis in corpore cōmune cum bestijs: ante corpus quid geratur incertum, nec ex contrarijs colligatur ueritas, sed destruatur. An uero illorū sententia placet, qui nostras animas, ubi ex hoc corpore emigrauerint, in corpora ferarū uariorumq; animantiū transire cōmemorant? At certe hæc Circeis medicamentorum illecebris cōposita esse, ac ludibria Poetarū ipsi Philosophi dissere solent: nec tam illos qui perpessi ista simulentur, quàm sensus eorū qui ista cōfinxerint, uelut Circeo poculo ferunt in uaria bestiarum monstra conuersos. Quid enim tam simile prodigij, quàm homines credere in habitum ferarum posse mutari? Quanto maioris est prodigij, gubernatricē hominis animam, aduersam humano generi bestiarū suscipere naturam, capacemq; rationis ad irrationabile animal posse trālire, quàm corporis effigies esse mutatas? Vos ipsi hęc destruitis, qui docetis. Nam magicis incantata carminibus portentosæ huius conuersionis genera tradidistis. Ludunt hæc Poetæ, reprehēdunt Philosophi: & quæ putant ficta de uiuentibus, hæc arbitrantur uera de mortuis. Illi autem qui ista finxerunt, non suam probare fabulam, sed Philosophorū errores irridere uoluerunt, qui putant quod illa anima quæ miti humiliq; proposito iracūdiam uincere, patientiam assumere, cruore abstinere consueuerat, eadem fremēti motu leonis incēsa, iræ impatiens, effręna rabie, sitire sanguinem, cædemq; possit expetere: & illa quę populorum fremitus uarios regali quodam consilio temperabat, & rationabili uoce mulcebat, eadem se inter deuia atq; deserta ritu luporum patiatur ululare: aut quæ iniusto sub onere gemens, duros aratri labores questu miserabili mugiebat, eadem postea in figuram hominis cōmutata, leui cornua quærat in fronte: uel illa quam præpetes prius pennæ usq; ad alta cœli per sublime aeris alarū remigijs euehebant, eadem postea uolatus iam non suos requirat, & se humani doleat corporis grauitate pigrescere? Hinc fortasse & illū Icarum perdidistis, quod persuasionibus uestris inductus adolescens, prius auē se fuisse fortasse crediderat. Hinc etiam senes plerique decepti sunt, ut graui immorentur dolori, cygneis male credulī fabulis, dum putant modulis se mulcendo flebilibus, albentem molli pluma mutare caniciem. Hæc quàm incredibilia? quàm deformia? Quanto illud est conuenientius, ut credas secundum naturam, credas secundum usum fructuū cæterorum, credas secundum gestorum exempla, oracula Prophetarum, Christi cœleste promissum? Quid uero præstantius, quàm ut opus dei iudices non perire, & secundum imaginem & similitudinem dei factos, transferri non posse in effigies bestiarū, cū utiq; ad similitudinem dei non corporis sit imago, sed ratio? Nam quemadmodū homo cui subiecta sunt animantium genera cæterorum, in subiectum sibi animal meliore sui parte demigret? Non patitur hoc natura: & si pateretur natura, non pateretur gratia. Sed ui deo quid uos de uobis Gētes opinionis habeatis. Neq; enim mirum debet uideri, quod creditis uos in bestias posse mutari, qui bestias adoratis. Ego tamē malim de uestro merito melius iudicetis, ut non inter cœtus ferarum, sed inter Angelorū consortia uos credatis futuros, & animos ex hoc iam uitæ anfractu & terreni corporis colluuione discedere, & ad illa concilia superna contendere, laudem dicere deo, quam citharizantes illos dicere prophetica lectione comperimus: Quia magna & mirabilia opera tua domine deus omnipotens, iustæ & ueræ uiæ tuæ rex Gentium. Quis non timebit & magnificabit nomen tuum? quia solus sanctus es, quia omnes Gentes, uenient & adorabūt ante te: uidere quoq; tuas Iesu nuptias, in quibus de terrenis ad cœlestia concinentibus omniū gaudijs sponsa deducitur, (ad te enim omnis caro ueniet) iam nō seculo obnoxia, sed spiritui copulata: uidere thalamos ornatos byssino, rosis, liliis, & coronis. Sic enim cuius alterius ornantur nuptię, Confessorum labore, martyrū sanguine, lilijs uirginum, 17 Psal. 64

coronis etiam sacerdotum? Hoc sibi præ cæteris Dauid sanctus optauit, ut hæc spectaret & cerneret. Deniq; ait: Vnam petiui à domino, hanc requiram, ut inhabitẽ in domo domini, omnes dies uitæ meæ, & uideam uoluptatẽ domini. Iuuat hoc credere, sperare delectat. Certe non credidisse, pœna est: sperasse, gratia. Quod si in hoc erro, quia Angelis me post mortẽ sociari malo quàm bestijs, libenter in hoc erro: neq; unquam hac me opinione dum uiuo, fraudari patiar. Quid enim mihi supereſt solatij, quàm quod me citius ad te frater spero uenturum, nec digressus tui inter nos longa diuortia fore, tuisq; intercessionibus mihi hoc posse conferri, ut citius desiderantem tui aduoces? Quis enim est, qui non sibi debeat istud optare præ cæteris, ut corruptibile hoc induat incorruptelam, & mortale hoc induat immortalitatem, ut qui nunc morti corporis fragilitate succumbimus, supra naturam siti, mortem iam timere nequeamus?

Psal. 26

1. Cor. 15

FINIS.

LECTORI.

Dum scriptorum ueterum monimenta uersaremus, incidimus fortè fortuna in librorum quorundam farraginem, cui titulus inscribitur Antidotum contra diuersas omniũ fere seculorũ hæreses, beneficio & industria Ioannis Sichardi theologię sacrę academię mystæ celeberrimi anno quingentesimo uigesimo octauo supra millesimum in lucem prolatam: delitescens isthic inter cætera opuscula fragmentũ hoc de resurrectionis fide Ambrosianam nomenclaturam præ se ferens reperimus. Quod quidem Ambrosii esse πρωτογνήσιον partum ut adfirmare ausi non fuerimus, ita, me deus amet, Ambrosium bis de eadem re non scripsisse lubenter negauerimus. Hoc tamen ut curioso lectori satisfaceremus, huic operi ob argumenti similitudinem libuit subijcere. utut uerò sese res habuerit, dignum certe opus, Ambrosio adscriptu dignissimum. Vale.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE FIDE RESVRRECTIONIS LIBER

ἀνέφαλον.

DENIQVE nunquam magis quanta & clementia & potentia redemptor noster abundaret apparuit, quàm cùm mysterium incarnationis aggressus est, ut suscipiendo scilicet nostram substantiam, & patibuli & tumuli iura susciperet. Nostris ergo prosperis aduersa ei impensa sunt: & diuina atq; humana in redemptoris nostri natura quoddam inter se sacrum iniere commercium: ut testimonium ab humanitate diuinitas, præmium à diuinitate ferret humanitas. Hoc est, ut uulneribus corporis deus noster magnitudinem erga nos sui amoris ostenderet, & consortio diuinitatis recompensari sibi obedientiæ gratiam, & animus noster, & corpus agnosceret. Qua igitur fide, qua'ue deuotione huic domino tantorum in nos donorum munifico adhærere ac deseruire debeamus, intuendum est, qui ita nullum largiendi modum habuit, ut tantum fidelibus donaret in præmio, quantum ipse possidebat in regno. Et ut crederemus nos eius fieri posse cohæredes, etiam naturę nostræ consors esse delegit: non tamen ut substantiam à diuinitatis arce detruderet, sed ut nos infirmos, & in extrema mortis uilitate ac necessitate degentes, ad gloriam resurrectionis attraheret: quia in se quicquid nobis pollicebatur ostendit, & non perire carnis istius substantiam resurgendo perdocuit, & ubi ei post resurrectionem futura esset habitatio, ascensione monstrauit. Hoc est ergo magnum, & prorsus magnum pietatis sacramentum, quod in carne manifestatum esse, ut rerum prouentus manifestauit, ita Gentium doctor annunciauit. Iustificatum autem claret in spiritu, quoniam

Sacrum commercium humanitatis cum diuinitate in Christo.

Munificentia dei larga in homines.

quoniam mediator dei & hominum homo Christus Iesus, non solum sperandæ nobis felicitatis, sed etiam capessendæ præbuit ueritatis exemplum. Quod sanè sacramentum pietatis, per quod nos conditor noster ac redemptor amplectitur, sicut testimonio ueritatis splenduit, ita etiam in ascensione assumptum in gloria, celebratum est obsequijs Angelorum. Et ideo nō est despicienda carnis humanæ natura, quæ in sanctę trinitatis substantiam atq; consortium per dominum Christum ingredi meruit. Verbū enim dei, quod dominus Christus est, qui est primogenitus ex mortuis, quiq; totius creaturæ primatum tenet, ad imaginē suam, quam prius ipse condiderat, uenit. De qua imagine scriptum est: Et plasmauit deus hominem ad imaginē & similitudinem suā. Et carnem, præter carnem, mediante anima rationali, ex sancta uirgine Maria suscipiens, id est, animam & carnem per similia purificans, factus est per omnia homo, absq; peccato. Mediante ergo anima, deo & carne, hic qui omnes (ut ait Apostolus) diuites facit, pauper effectus est, ut illius inopia nos diuinis atq; cœlestibus diuitijs ditaremur, per signū illud salutis, quod dedit deus generi humano, dicente Propheta: Ecce, dominus dabit uobis signum. Ecce uirgo concipiet in utero, & pariet filium, qui antequam sciat uocare patrem aut matrem suam, butyrum & mel manducabit, id est, spiritu sancto repletus est, cuius doctrina nobis dulcior super mel et fauū: qui spolia Samarię à Magis accipiēs, homo, rex, & deus cōprobatus est. De hoc etiam mirabili signo sanctus Simeō ad Virginem matrem dicit: Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. De quo signo & beatus Apostolus ait: Iudæi signa petunt, & Gręci sapientiam quærunt. Pro imagine ergo sua Christus, quam in primo condiderat homine, quam uiderat in homine diaboli arte fucatam, uenit in similitudine carnis peccati, ut hominem per lignum præuaricationis morte damnatū, per passionem crucis & mortem ad pristinam reuocaret imaginem: quæ imago per incuriam qui dem obscurari potest, deleri autem per naturam non potest. De hac imagine dicit Propheta: Quanquā in imagine dei ambulet homo, tamē uanè conturbat. Nullus ergo est, qui non aliquam imaginem habeat, id est aut sanctitatis aut peccati. In imagine dei ambulamus, quādo cogitationes bonæ, quæ nobis à deo insitæ sunt, in nobis permanēt, & ad opera bona nos perducunt. Memoria ergo dei excludit à corde nostro cūcta flagitia atq; peccata, quæ diabolus nititur in corde nostro seminare atq; depingere. Vnde dicitur à Propheta: Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Nihil ergo prodest legisse uel audisse, nisi ea quæ legeris, aut audieris bona, in memorię thesauro reposueris. Sicut enim tria sunt in homine, id est, corpus, anima, et spiritus: sic tria sunt eminētiora, quę nos aut ad bona, aut ad mala perducūt, hoc est, aut cogitatio, aut locutio, aut operatio. Quæ tria breuiter spiritus sanctus in primo Psalmo comprehendit, dicens: Beatus uir qui non abijt in consilio impiorū, & in uia peccatorū non stetit, & in cathedra pestilentię non sedit. Isti enim sunt terni statores diaboli, qui miseræ insidiantur animæ, ut aut dicto, aut facto, aut cogitatu eam incitent ad peccatum. Spiritu ergo, anima, & corpore, aut bene agimus, aut male: aut casti sumus, aut fornicamur. Et ideo sicut auari, & raptores serui sunt mammonæ, & sicut gulones & ebriosi serui sunt uentris atque libidinis, sic omne peccatum dominatur hominibus, probante hoc Propheta, ac dicente: Erunt quinq; ciuitates in terra Aegypti loquentes lingua Chanaan. Hi sunt quinque sensus carnales, qui miseræ animæ tenebris Aegypti oppressæ loquūtur. Aegyptus enim persequens, siue tribulans interpretatur. Nisi ergo Aquilonem frigidissimū uentum, calore fidei, Christo nos iuuante, qui bona docet & delectatur, uicerimus, statim nobis calorem concupiscentiæ atq; libidinis suscitabit. Attenuetur ergo ieiunijs caro, & circuncidetur omnis spirituali concupiscentia cultro, nec regnet peccatum in nostro mortali corpore, ut effugere consortia mundi, & opprobria diaboli possimus. Ieiunium ergo, afflictio atque humiliatio animæ est, afflictio autem & corporis. Hæc de imagine dei, ad quam factus est homo, dicta sufficiant. Erubescant nunc impij hæretici, qui aereum, aut simulatorium phātasticum corpus, aut deum fuisse, aut nostrū futurum esse, aut μεταψύχωσιν mentiuntur. Satis reuera impium est & iniustum, ut Iob, qui oculis suis uulnera conspexit sua, & putredines ac uermes corporis sui manibus palpauit, in alia dicatur carne aut anima resurgere. Quod ergo de beato Iob diximus, hoc de Petro,

Declaratur locus Esaiæ

Luc. 2

1. Cor. 1

Imaginem suam Christus reparauit.

Psal. 38

In imagine dei ambulare.

Psal. 72

Tria in homine.

Declaratur locus primi Psalmi.

Aegyptus quid sonet

Ieiunium.

Resurrectio corporum cuiusmodi sit futura.

hoc de Paulo, & de omnibus sanctis, qui diuersis pro deo tormentis animas posuerunt. Quæritur sanè illusorie à nobis ab hæreticis, utrum in resurrectione diuersitas sexus sit, id est, fœminæ cum uiris resurgant, ignorantes cæci sententiam domini dicentis: Regina Austri surget in iudicio cum uiris generationis huius, et condemnabit eos. Vbi ergo uera caro, ibi diuersitas sexus est: & si diuersitas sexus, ibi utiq; & Ioannes, Ioannes est: et Maria, Maria est: uere quippe carnis resurrectio sine operibus carnis erit: quia sicut ueritas ait: Neq; nubent, neq; uxores accipient, sed erunt sicut Angeli dei in cœlo. Similitudo ergo Angelica promittitur, non substantia carnis negatur. Quomodo enim dicitur: Neq; nubent, neq; nubentur, nisi de his dicatur, qui possunt nubere, & tamen non nubent? Si enim hic in ista uita, quæ tota tentatio est super terram, multi propter regnum cœlorum semetipsos castrantes non nubunt, & non solum uiri, sed etiam fœminæ Christo iuuante hoc faciunt, quanto magis hoc in illa beata uita non dicamus fieri? Sed nec de istis cogitare libebit. Catholicum ergo & rectum est, utrunq; sexum in carnis resurrectione sine sexus operibus confiteri, cùm ut dictum est, adhuc in hac uita positi nitamur cum dei adiutorio opera carnis, quæ contra spiritum concupiscit, non implere, probante hoc Apostolo ac dicente: Vos in carne non estis, sed in spiritu. Negando enim eos in carne, quos in carne esse constabat, non carnis substantiam, sed peccata, id est, opera carnis in eis damnauit. Et iterũ: Vt absorbeatur quod mortale est à uita. Quia licet exterior homo noster corrumpatur, sed renouatur interior. Quod tamen nõ solum in regno cœlorum, & baptismate, sed etiam in pœnitẽtibus quotidie fieri nouerimus, in quibus carnis interitus ad profectum cedit spiritalem. Ergo nec opera carnis erunt, nec augmenta membrorum, nec capillus crescet aut unguis: quia omnes in uirum perfectum, qui Christus est, resurgemus. Si enim patribus in eremo quadraginta annis non capilli, non ungues creuerunt, aut uestimenta, aut calciamenta attrita sunt, hoc in regno cœlorum, ubi aufugiet dolor, & gemitus, & tristitia, quæri quàm impium sit, sapiẽs lector intelligit. Sed contra hanc tam ueram tamq; firmam doctrinam, & tam clara documenta, & omni uirtute subnixa, solent nobis hæretici illud Apostoli opponere quo ait: Non omnis caro, eadem caro: sed alia caro hominis, alia uolucrum, & cætera quæ prosequitur, non intelligentes miseri, beatum Apostolum de corporis hoc onere, non generis differẽtia dixisse. Alia est caro hominis, id est seruí dei: alia pecoris, id est, ethnici, & peccatoris atque hæretici. Qui cùm in honore esset, sanguine redemptus Christi, atq; honoratus, nõ intellexit, sed comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis: alia uolucrũ, id est, martyrũ, qui ad cœlestia pẽnis spiritus sancti subuecti conscendũt: alia piscĩũ, id est, qui post salutaris baptismi aquam assumuntur: alia gloria solis, id est, Christi: alia gloria lunæ, id est, Ecclesiæ, & alia gloria stellarum, id est, seminis Abrahæ, & eorũ qui se per fidem & opera bona filios eius ostendunt. Stella enim ab stella differt in claritate, id est, Apostoli & Prophetæ, illi qui cupierunt uidere & audire Christum: isti autem uiderunt & audierunt eum. Sunt & corpora cœlestia, & corpora terrestria, id est, Christianorum & Iudæorum. Postremo autem ut omnium resurrectionem ostenderet, sic concluſit sententiam suam, dicens: Sic erit & resurrectio mortuorum. Quod ut ita possit intelligi, nostræ cõditionis quod in hoc seculo fit ponamus exemplum: Infans enim cùm in puerũ creuerit, puer uerò in iuuenẽ, iuuenis aũt in uirum, et uir in senem, nequaquam per singulas ætates perit, sed semper idem est qui fuit. Paulatim ergo hic ætas, non autẽ natura perit. In illa autem cœlesti Hierusalem, ubi sol iste ac luna septuplũ lucebunt, diuersitates non erunt ætatum. Ibi enim nec infans, nec senex, nec paruus erit, qui non impleat dies suos, utpote filius resurrectionis, & in mensuram peruenìat plenitudinis Christi, ut nec desint alicui annorum spatia, nec superſint. In illo ergo tempore, cùm ætas fuerit una cunctorum, sanctus & peccator simili erũt resurrectione perfecti, nec inter se uariabunt tempore, nec ætate, sed alius ad præmia æterna, & in centuplum bona percipiẽda, alius ad supplicia pertrahetur æterna. Cùm ergo in genere humano aliter & aliter nascamur homines, in carnis resurrectione una omnibus & similis erit resurrectio. Aliter enim Adam, aliter Eua, aliter Cain, & Abel, & omnes homines nati sunt atq; nascuntur: aliter aũt homo Christus Iesus, qui est mediator dei & hominum natus est. Licet ergo diuersis exordijs nascatur homo, una tamen hominis natura nõ differt resurrectiõe carnis,

Diuersitas sexus in resurrectione.

1. Cor. 15

Declaratur locus Pauli 1. Cor. 15

Caro uolucrum.
Caro piscium.

Stellas differre à stellis quid sit.

Aetas resurgentium.

carnis, omniumq; membrorum. Quæ omnia membra una domini sententia declarabatur, cùm de illo homine loqueretur, qui nō habuit uestem nuptialem, nec seruauit illud mandatum: Omni tempore munda sint uestimenta tua, quem manibus pedibusq; constringi iussit, & auferri, ne recumberet in conuiuio, ne sederet in solio, ne staret ad dexteram dei, sed mitti in gehennam ignis. Si enim in igne isto temporali, qui omne quod accipit consumit, omnipotens deus potentiam suam in tribus pueris ostendit, qui in cami no ignis ardentis capillos eorum intactos seruauit, in resurrectione capillos nostros non resuscitabit? Resuscitabit planè sine aliquanto augmento, uel detrimento. Ipsi ergo procedent de monumentis, qui in monumentis illati fuerant. Veniet ergo omnis caro non solum de terra, sed etiã de mari, & de fluminibus, ut uideat salutare dei. Mandabit enim piscibus, ac fluminibus, ac bestijs terræ, & uolatilibus cœli, & eructabunt ossa & carnes mortuorum, ut resurgant alij in uitam æternam, alij in opprobrium & confusionem sempiternam. Tunc uidebunt iusti impiorum pœnam atq; cruciatus, quoniã uermis eorum non moritur, & ignis non extinguetur, & erunt in conspectu omni carni. Quia uerò hanc habemus spem, sicut exhibuimus membra nostra famulari immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita exhibeamus ea famulari iustitiæ in sanctificationem uitæ, ut resurgentes à mortuis in nouitate uitæ ambulemus, ut uita domini Iesu manifestetur in carne nostra mortali, propter spiritum eius habitantem in nobis. Iustum igitur est, & uerè iustum, ut qui semper mortificationē Christi in corpore nostro circũtulimus, uita quoque eius in corpore nostro manifestetur, spoliãtes nos uetere homine cum actibus suis, & erroris tunica nos exuamus, ut nouam, qui Christus est, induamus, imitantes spōsam eius dicentem: Nocte exui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Hanc ergo maiestatis ac potentiæ artem, id est resurrectionem, figulus ille facit, qui per Hieremiam prophetam loquitur ad populum peccatorē, dicēs: Nunquid sicut figulus iste, nō potero uos reformare, ac redintegrare domus Israel? Qui etiam hanc mirabilē maiestatis suę potentiã in manu Moysi ostendit, quam in candorē mutatã deinceps colori pristino restituit. Sed & ipsum resurrectiōis uocabulũ aperte significat, non aliud ruere, & aliud resuscitari. Quod ergo in homine moritur, hoc & uiuificatur. Ita ergo secundum resurrectionē mortuorum, nec cùm errat ignorat. Vulneratus denicq; ille Hierichontinus in Euangelio continuo fertur ad stabulũ, & delictorũ plagæ per miserantis gratiam immortalitate sanantur. Prophetia ergo quæ pendebat, uere in domini Christi carne completa est, quam spiritus sanctus nos cupiens edocere, locutus est. Ait enim: Quæ est ista, quę ascendit dealbata, innitens super fratruelem suum, & delitijs affluens? Et iterũ: Fatruelis meus candidus & rubicundus. Rubicũdus ergo ex incarnatione, candidus autem ex diuinitate. Quod ita esse comprobat beatus Ioannes Apostolus, cùm dicit: Quia equus super quẽ sedebat dominus rubeus erat, corpus scilicet sanctũ, quod ex sancta Virgine assumpsit. Cui in cœlos ascendenti dicitur: Quis est iste, qui uenit de Aedom, tinctis uestibus de Bosra? Et: Quare rubrum est uestimentũ tuũ, & indumenta tua, sicut calcantium in torculari? Et est sensus: Quis est iste, qui ascendit è terra, cuius uestimenta sunt sanguine respersa? Illud autem quod in Zacharia propheta dicitur: quia sequebantur eum equi uariorũ colorum, id est, qui uel in martyrio rubri, uel sturnini in uolatu, uel uarij in uirtutibus, uel candidi in uirginitate monstrãtur. Quod autem equus iste rufus, albus denuo à sancto Ioanne describitur, diuinitatis immortalitas, & incorruptio eius ostenditur. Et ideo oēs, qui eum sequuntur, candidis non solũ utunt uestibus, sed etiã equis sedentibus, incorruptis uidelicet immortalibusq; corporibus. Et ideo hũc omnes sancti, ipso iuuante, imitantur: quia uestimenta sua non coinquinant ac uirgines gratia ipsius donante permanent, & ideo in albis uestibus (ut dictum est) erũt, sequentes agnũ quocunq; ierit. Totum ergo hominem (sicut dictum est) filius dei suscepit ex Virgine, totum integrum resuscitabit, id est, animam & corpus, & adimplens sententiam suam, qua ait: Omne quod dat mihi pater ad me ueniet, & non perdã ex eo quicquam, sed ego suscitabo illud in nouissimo die. Quod dictũ tam de se, quàm de membris suis dominum Christum dixisse intelligimus, qui suo, & membrorum suorum ore in omnibus sanctis loquitur libris. Clamat ergo ad deum & caput in corpore, & corpus in capite, hoc est, & Ecclesia in Christo, & Christus in Ecclesia, quia in nullo mẽbra à capite, neq;

Matt. 22
Eccl. 9
Cant. 5
Hier. 18
Resurrectionis nomen.
Rubicundus fratruelis in Canticis
Zach. 1
Ioan. 6

neq; caput ſeparatur à membris. Tunc ergo uidebunt eum aduerſarij eius, qui eum compunxerunt, & clamauerunt: Tolle, tolle, crucifige eum. Tunc Angelorum uaticinium comprobabitur, qui ſtupentibus Apoſtolis, dixerunt: Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlũ? ſic nanq; ueniet, quemadmodum uidiſtis eum euntem in cœlum. Quod autem dominus poſt reſurrectionẽ ſuam duobus in uia diſcipulis colloquens, repente euanuiſſe legitur, diuinæ uirtutis fuit, non umbræ, aut phantaſmatis. Alioquin & ante paſſionem cùm tenuiſſent, & eduxiſſent eum de Nazareth, ut præcipitarent de ſupercilio montis, ſupra quem ciuitas illorum ædificata erat, dubium quod tranſiuit per medium illorum? id eſt, elapſus eſt de manibus eorum. Aut nunquid carnem nõ habuit, qui flagellũ de fune fecit, & omnes inimicos eius ac perſecutores de templo eliminauit? Vbi omnis diuinitatis eius potẽtia claruit. Illud autem quod poſt reſurrectionem ad diſcipulos clauſis ingreſſus eſt ianuis, eiuſdem uirtutis fuit, cuius ex oculis euaneſcere. Dicũt enim homines ſeculi iſtius, APOLLONIVM magum, cùm ante DOMICIANVM imperatorem in conſiſtorio ſtaret, repente non comparuiſſe. Hæc tamen nos diximus, non quod magum dæmone repletum domino Chriſto comparemus, ſed ut hæreticorum inſaniã confutaremus. Quod ergo mago licet, ſi tamẽ uerũ eſt, domino non licet? Linx quippe (ut phyſiologi ferunt) omnia oppoſita uiſu limpidiſſimo penetrat, dominus autẽ Chriſtus clauſis ianuis, niſi phantaſma fuerit, intrare non poterit? Quod certe & ante reſurrectionem pendulo ſuper mare ambulauit inceſſu, eiuſdem uirtutis fuit. Et hoc ipſum Apoſtolo ſuo præbuit Petro, qui cùm fide ſuper aquas ambularet, infidelitate poſtea mergi cœpit, qui mergi potuiſſet, niſi eum citius dextera domini continuiſſet. Aquilæ & uultures tranſmarina cadauera ſentiunt, ſaluator Apoſtolos ſuos niſi oſtia aperuerit nõ uidebit? Ad poſtremum dicas mihi uelim, quod maius ſit, tantam terræ magnitudinem tribus appendere digitis, & ſuper aquam incertam librari, an dominũ tranſire per clauſam creaturam? Creatori quod maius eſt tribuis, & quod minus eſt calumniaris. Petrus Apoſtolus (ut iam dictũ eſt) ſuper aquas ambulabat, & graui & ſolido corpori mollis unda, niſi paululum dubitaſſet, non ceſſerit, & tu deum calumniaris quare clauſis ingreſſus ſit oſtijs? Paululũ ergo fides Petri dubitauit, & ſtatim naturã ſuam corpus agnouit, ut noſ ſcíremus ſuper aquas nõ corpus ambulaſſe, ſed fidem. Noli ad iudicium tuũ potentiam domini magorũ præſtigijs aut æquare, aut inferiorem facere, ut uideatur fuiſſe, quod nõ fuit: ut putetur comediſſe ſine dentibus, fregiſſe panem ſine manibus, ambulaſſe ſine pedibus, locutum fuiſſe ſine lingua aut capite, reclinatum eſſe monſtrare ſine corpore. Et quomodo, inquies, non cognoſcebant eum in itinere, ſi ipſum habebat corpus, quod ante paſſionẽ ſuam habuit? Erras enim, & multũ erras, qui non audis Euangeliũ: Quia oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerẽt. Et paulò poſt: oculi, inquit, eorum aperti ſunt, & cognouerunt eum. Nunquid in tantũ deſipis, ut aliũ eum fuiſſe dicas, quando cognoſcebat? & certe unus idemq; erat. Cognoſcere ergo & non cognoſcere uidentium oculorum fuit, non eius qui uidebatur, ut uaticinium ſancti Hieremiæ compleretur, qui ait: Quare ſicut colonus futurus es in terra, & ſicut uiator declinans ad manẽdum? Denicq; ut ſcias errorem qui uerſabatur in medio, nõ corporis domini, ſed oculorum fuiſſe clauſorum: aperti ſunt oculi eorum, & mox agnoſcebant eum. Nam & Maria Magdalena, quamdiu uiuum quærebat inter mortuos non cognoſcebat Ieſum. At ubi eum cognouit, mox dominum confitetur. Iam naui uerò omnibus diſcipulis unà poſitis, Ieſus ſtabat in littore: cæteris autem eum non cognoſcentibus, Ioãnes prior cognouit eum, & dixit: Dominus eſt. Dicebat rem ueram, & ſatis congruum erat, ut uirginitas uirginale prius cognoſceret corpus. Idem ergo erat, & idem non ab omnibus uidebatur. Statimq; Euãgeliſta ſubiungit: Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum: Tu quis es, ſcientes, quia dominus eſt. Non tamen quod alter deus, alter homo eſſet, ſed unus atq; idem eſſet filius dei, & filius hominis: Cognoſcebatur enim ut homo, adorabatur aũt ut deus: cõplens illud quod eis ipſe dominus imprecatus fuerat, dicens ad patrẽ: Hæc eſt autẽ uita æterna, ut cognoſcãt te ſolum uerum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtũ. Dignũ ergo eſt, & ſatis dignum, ut caro hominis cœlis inferatur, cuius habitator deus eſſe dignatus eſt, nec poteſt uideri iniuria hominem factum eſſe cœli incolam, cuius uaginã nõ eſt dedignatus ſpiritus, qui deus eſt. Iuſtũ ergo fuit, ut corpus in quo deus habitãdo terram uiuifi-

Chriſtum non fuiſſe phantaſma.

Apollonius magus.

Lincis in uidendo uis.

Vultures tranſmarina cadauera olfaciunt.

Fides Petri ſuper aquas ambulauit, non corpus.

Non agnitus Chriſtus à diſcipulis.

Chriſtus à Ioanne primum agnitus.

uiuificare dignatus est, per quod particeps nostri factus est, ad immortalitatem perduceret. Vbi ergo dei habitatio esse debuit, nisi in regno dei? Vbi autem regnum dei, nisi in cœlis? ibi omnis Ecclesia cum illo erit. Cùm ergo lutum carnis nostrę in testam fuerit excoctum, & quæ prius graui pondere premebatur in terram, acceptis pennis gratiæ spiritalis cum subuectione Angelorum uolabit ad cœlum, ibi uerum & pacificum suę salutis obsidem habet in æternum.

FINIS.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI ORATIO

IN MORTE THEODOSII IMPERATORIS, HABITA IN CELEBRITATE QUADRAGESIMI DIEI OBITUS SUI, HONORIO PRINCIPE FILIO EIUS ASSISTENTE.

HOC nobis motus terrarum graues, hoc iuges pluuię minabantur, & ultra solitum caligo tenebrosior denunciabat, quod clemẽtissimus Imperator Theodosius decessurus esset è terris. Ipsa igitur excessum eius elementa mœrebant. Cœlum tenebris obductum, aer perpeti horrens caligine, terra quatiebatur motibus, replebatur aquarum alluuionibus. Quid ni mundus ipse defleret eum principem continuo esse rapiendum, per quem dura mundi istius temperari solerẽt, cùm criminum pœnas indulgentia præueniret? Et ille quidem abijt sibi, regnumq; non deposuit, sed mutauit, in tabernacula Christi iure pietatis ascitus, in illam Hierusalem supernam, ubi nunc positus dicit: Sicut audiuimus, ita & uidemus in ciuitate domini uirtutum, in ciuitate dei nostri, quam deus fundauit in æternũ. Sed plurimos tanquam paterno destitutos præsidio dereliquit, ac potissimum filios. Sed non sunt destituti, quos pietatis suę reliquit hæredes. Non sunt destituti, quibus Christi acquisiuit gratiam, & exercitus fidem: cui documento fuit, deum fauere pietati, ultoremq; esse perfidiæ. Eius ergo principis & proximè conclamauimus obitum, & nunc quadragesimum celebramus, assistente sacris altaribus Honorio principe: qui sicut sanctus Ioseph patri suo Iacob quadraginta diebus humationis officia detulit, ita & hic Theodosio patri iusta persoluit. Et quia alij tertium diem & trigesimũ, alij septimum & quadragesimum obseruare consueuerunt, quid doceat lectio, consideremus. Defuncto, inquit, Iacob pręcepit Ioseph pueris sepultoribus, ut sepelirent eum. Et sepelierunt sepultores Israel, & repleti sunt ei quadraginta dies. sic enim dinumerantur dies sepulturę. Et luxit eum Aegyptus septuaginta diebus. Hæc ergo sequenda solennitas, quam præscribit lectio. Sed & in Deuteronomio scriptum est: Quia planxerunt filij Israel Moysen diebus triginta, & consummati sunt dies luctus. Vtraq; ergo obseruatio habet authoritatẽ, qua necessarium pietatis impletur officium. Bonus itaque Ioseph, qui formam pio muneri dedit, quem amabat pater, cuique dixit: Adiuuet te deus meus, & benedicat te benedictione terræ habentis omnia propter benedictionem mammillarum & uuluæ, benedictiones matris tuæ, & propter benedictionem patris tui. Pij patris soboles bona. Celebrat ergo & iste quadragesimam patris Iacob, supplantatoris illius, & nos celebramus Theodosii quadragesimam: qui imitatus Iacob, supplantauit perfidiam tyrannorum, qui abscondit simulachra Gentium. Omnes enim cultus idolorum fides eius abscondit, omnes eorum cerimonias obliterauit. Qui etiam ijs qui in se peccauerant, doluit quam dederat perijsse indulgentiam, & ueniam denegatam. Sed non negabunt filij, quod donauit pater: non negabunt, etiam si quidam interturbare conatus sit. Neque enim poterunt negare, quod in commune donauit, qui soluunt quod singulis dedit. Nihil glorioſius exitus tanti principis habuit, qui omnia iam filijs tradidisset, regnum, potestatem, nomen Augusti: Nihil, inquam, speciosius ei in mortem seruatũ est, quàm quod immani

Psal. 47

Gen. 50

Ibid.

Deut. 34

Gen. 49

immani quantitate promissa annonarum exigẽdarum relaxatio dum moratur, facta est successio eius indulgentiarum hæreditas, ut ille qui uoluit impedire, sibi odium fecerit, Theodosio tamen tantæ cumulus gratiæ non sit adẽptus. Nec immerito. Si enim priuatorum ultimæ uoluntates & deficientium testamenta habent perpetem firmitatẽ: quomodo potest tanti principis esse irritũ testamentũ? Glorioſior quoq; in eo Theodosius, qui nõ cõmuni iure testatus est. De filijs enim nihil habebat nouũ quod cõderet, quibus totum dederat, nisi ut eos præsenti cõmendaret parenti: de subditis sibi & commissis testari debuit, ut legata dimitteret, fidei commissa signaret. Præcepit dare legem indulgentiæ, quam scriptam reliquit. Quid dignius, quàm ut testamentum Imperatoris lex sit? Ergo tantus Imperator recessit à nobis, sed non totus recessit. Reliquit enim nobis liberos suos, in quibus eum debemus agnoscere, & in quibus eum & cernimus & tenemus. Nec moueat ætas: Fides militum, imperatoris perfecta est ætas. Est enim perfecta ætas, ubi perfecta est uirtus. Reciproca hæc, quia & fides imperatoris, militum uirtus est. Recognoscitis nempe quos uobis Theodosii fides triumphos acquisiuerit. Cum locorum angustijs & impedimentis calonum agmen paulo serius in aciẽ descenderet, & inequitare hostis mora belli uideretur, desiliuit equo princeps, & ante aciem solus progrediẽs, ait: Vbi est Theodosii deus? Iam hoc Christo proximus loquebat. Quis enim posset hoc dicere, nisi qui Christo se adhærere cognosceret? Quo dicto excitauit omnes, & exemplo omnes armauit. Et iam certe senior ætate, sed ualidus fide. Theodosii ergo fides, fuit uestra uictoria: uestra fides, filiorũ eius fortitudo sit. Fides ergo auget ætatem. Denique nec Abraham ut in senectute generaret filiũ, considerauit ætatem: nec Sara, ut pareret. Nec
Heb. 11 mirum si auget ætatem fides, cùm repræsentet futura. Quid enim est fides, nisi rerum earum quæ sperantur substantia? Sic nos scripturæ docent. Ergo si substantia eorũ quę sperantur, fides est: quanto magis eorum quæ uidentur? Bona fides, de qua scriptum est: lu-
Abac. 2 Heb. 10 stus autem ex fide uiuit. quod si subtraxerit se, non placebit animæ meę. Nos autem non subtrahamus nos ad dispendium animæ, sed inhæreamus fidei ad animæ nostræ acquisi-
Ibid. 11 tionem: quoniam in hac fidei militia testimonium consecuti sunt seniores nostri Abra-
Gen. 15 ham, Isaac, Iacob. Et ideo hæreditatem nobis fidei reliquerunt. Fidelis Abrahã, qui non
Ibid. 22 ex operibus, sed ex fide iustificatus est, quoniam deo credidit. Isaac per fidem nec gladiũ
Ibid. 28 feriturí parentis expauit, Iacob paternæ fidei uestigijs intentus, dum iter agit, Angelorũ
4. Reg. 6 uidit exercitum, & uocauit concilium dei. Alibi quoq; id est in libris Regnorum, Heliæus erat intra Samariam, & subito eum circunfusus Syrorum obsedit exercitus. Vidit eos Giezi, & ait ad dominum suum: O domine, quid faciemus? Et dixit Helisæus propheta: Noli timere: quoniam nobiscum plures sunt, quàm cum illis. Et rogauit, ut aperiret deus oculos Giezi. Et aperti sunt oculi eius, & uidit plenum montem equis & curribus in circuitu Helisæi: & rogauit Helisæus ut percuteret eos deus cæcitate, & percussi sunt: & introierunt in ciuitatem, quò ingrederentur, nequaquam uidentes. Audistis certe milites qui circunfusi estis, quia ubi perfidia, ibi cæcitas est. Merito ergo cæcus erat exercitus infidelium. Vbi aũt fides, ibi exercitus Angelorũ est. Bona itaq; fides, quę frequẽter operatur in mortuis. Denique aduersarius & legiones suæ quotidiana martyrum uirtute torquentur. Vnde arbitror quod fila chordarum citharæ ideo fides dicantur, quoniã & mortua sonum reddant. Quo magis ac magis enitendum est, ne in hoc uiuendi munere siti, simus ingrati: sed pij pignoribus Principis sedulum ac patrium impendamus affectum. Soluite filijs eius, quod debetis parenti. Plus debetis defuncto, quàm debuistis uiuenti. Etenim si in liberis priuatorum, non sine graui scelere minorum iura temerantur, quanto magis in filijs Imperatoris? Addatur, & cuius Imperatoris? Imperatoris pij, Imperatoris misericordis, Imperatoris fidelis, de quo non mediocre locuta est scriptura, di-
Prou. 20 cens: Magnum & honorabile est homo misericors: inuenire autem uirum fidelem, difficile est. Si magnum est misericordem aut fidelem quemcunq; hominem inuenire, quanto magis Imperatorem, quem quum potestas ad ulciscendum impellat, reuocet tamen ab ultione miseratio? Quid præstantius fide Imperatoris, quem non extollat potentia,
Ibid. 16 superbia non erigat, sed pietas inclinet? De quo præclare Salomon ait: Iniqui regis minitatio, similis rugituí leonis: sicut aũt ros in herba, sic & hilaritas eius. Quantum igitur est, deponere terrorẽ potẽtiæ, præferre suauitatẽ gratiæ? Beneficiũ se putabat accepisse

augustæ

auguſtæ memoriæ Theodoſius, cùm rogaretur ignoſcere: & tunc propior erat ueniæ, cùm fuiſſet commotio maior iracundiæ. Prærogatiua ignoſcendi erat, indignatũ fuiſſe: & optabatur in eo quod in alijs timebatur, ut iraſceretur. Hoc erat remedium reorum. Quoniam cùm haberet ſupra omnes poteſtatem, quaſi parẽs expoſtulare malebat, quã quaſi iudex punire. Sæpe trementes uidimus quos obiurgabat, & conuictos ſceleris, cùm deſperaſſent, ſolutos crimine. Vincere enim uolebat, non plectere: æquitatis iudex, non pœnæ arbiter: qui nunquam ueniam confitenti negaret. Aut ſi quid eſſet quod occulta conſcientia inuolueret, deo ſeruabat. Hanc uocem eius homines magis quàm pœnam timebant: quod tanta Imperatorem ageret uerecundia, ut mallet ſibi homines religione quàm timore aſtringere. Maximum Philoſophorum impunitatẽ ferunt dediſſe ijs facinoribus, quæ per iram commiſſa forent: ſed ſcriptura diuina melius ait: Iraſcimini, & nolite peccare. Maluit peccatum recidere, quàm excuſare. Satius eſt indignatione laudem clemẽtiæ reperire, quàm ira in ultionem excitari. Quis ergo dubitabit filijs eius maximum præſidium fore apud deum? Domino fauente Arcadius Imperator iam ualidus iuuenta, Honorius continuo pulſat adoleſcentiæ fores, prouectior ætate quàm Ioſias. Ille enim deſtitutus patre orſus imperium uſq; ad triceſimum & primum annum regni ſui perduxit ætatem, & placuit domino, quod præ cæteris regibus Iſrael domini paſcha celebrauit, & ceremoniarum aboleuit errores. Aſa quoq; adhuc inualidus corporis robore, cùm regnandi curricula recepiſſet, quadraginta annis regnauit in Hieruſalem. quoniam cùm Aethiopum infinita urgeretur atq; innumerabili multitudine, ſperauit à domino & in paucis ſe poſſe ſaluari. Vtinã tam fidelis proceſſu, quàm deuotus exordio. Nã ſeruatus in paucis & uictor, poſtea à Syrijs auxilia relicto domino poſtulauit, & medicos adhibuit ad pedum dolorem. Accepto enim tanto indicio diuini fauoris, auxiliatorem ſuum derelinquere non debuit, ſed tenere. Ideo ei nec medici profuerunt, & quaſi incredulus mortem impleuit. Sed illorũ patres Abias & Amos ambo infideles, Theodoſius uerò plenus timoris dei, plenus miſericordiæ, ſperamus quod liberis ſuis apud Chriſtum præſul aſſiſtat, ſi dominus propitius ſit rebus humanis. Bonum eſt miſericors homo, qui dum alijs ſubuenit, ſibi cõſulit, & in alieno remedio uulnera ſua curat: Agnoſcit enim ſe eſſe hominẽ, qui nouit ignoſcere: & uias Chriſti ſequitur, qui carne ſuſcepta maluit in hunc mundum redemptor uenire quàm iudex. Vnde pulchrè Pſalmiſta dixit: Dilexi, quoniam audiet dominus uocem orationis meæ. In quo pſalmo dum legitur, ue lut ipſum Theodoſium loquentem audimus. Dilexi, inquit. Agnoſco uocẽ piam, cuius teſtimonia uocis agnoſco. Et uerè dilexit, qui officia diligẽtis impleuit, qui ſeruauit hoſtes, qui dilexit inimicos, qui ijs à quibus eſt appetitus ignouit, qui regni affectatores perire nõ eſt paſſus. Nõ mediocris ſed perfecti in lege uox iſta eſt dicere, dilexi. Plenitudo enim legis, dilectio eſt. Sed quid dilexerit, audiamus. Cùm tacet, urget nos. Dilectionis utiq; diuinę gratia ſignificat qua diligimus illud quod eſt ſuper omnia deſiderabilia deſiderabile: de quo ſcriptum eſt: Diliges dominum deum tuum. Ergo decedens è terris pia anima, & ſancto repleta ſpiritu, quaſi interrogantibus ijs qui ſibi occurrerent, cũ ſeſe ad ſublimia & ſuperna ſubrigeret, dicebat: dilexi. Nihil hoc plenius, nihil expreſſius. Interrogabant angeli uel archangeli: Quid egiſti in terris? (occultorum enim ſolus cognitor deus) dicebat: dilexi. Hoc eſt dicere: Legẽ impleui, Euangelium non prætériui. Hoc eſt dicere, morti me obtuli, & tota die exiſtimatus ſum ſicut ouis occiſionis. Et ideo confido, quia neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; uirtutes, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos ſeparare à charitate dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. Hoc mandatũ Legis etiam in Euangelio dominus Ieſus docet eſſe ſeruandum, cùm dicit ad Petrum: Simon Ioannis diligis me? Et ille reſpondit: Tu ſcis domine quia diligo te. Et iterum dixit: Simon Ioannis diligis me? Et iterum reſpondit: Etiã domine: tu ſcis, quia diligo te. Et tertio interrogatus ait: Omnia tu ſcis, tu ſcis quia amo te. Confirmauit itaque charitatem trina reſponſio, uel aboleuit trinæ negationis errorem. Et hic trinam reſponſionem ſi quærimus, inuenimus. Dilexi, quoniam audiet dominus uocem orationis meæ. Dilexi, quoniam inclinauit aurem ſuam mihi, ut in diebus meis inuocarem eum. Dilexi, quia tribulationem & dolorem inueni, & pro nomine dei mei pericula inferni non refugi, ſed expectaui ut comprehendere & inuenire me

Pſalm. 4

4. Reg. 22. & 25
3. Reg. 15
2. Para. 16

Pſalm. 117

Roma. 13

Roma. 8

Ioann. 12

Pſalm. 114

Et pulchrè ait, Dilexi: quia iam cursum uitæ huius impleuerat. Vnde & Apostolus in
2.Timo.4 passione iam positus ait: Certamen bonum certaui, cursum consummaui, fidem seruaui.
Quod reliquum est, reposita est mihi corona iustitię. Magnus dominus, qui nobis dedit
certamina, quibus mereatur qui uicerit coronari. Dilexi, inquit, confidens, quoniam au
diet dominus uocem orationis meæ. Dilexi, & ideo inclinauit aurem suã mihi, ut iacen-
tem erigeret, mortuum suscitaret. Non enim deus inclinat aurem suam ut audiat corpo-
raliter, sed ut condescendat nobis, quo nos audire dignetur, & infirmitatis nostrę releua
re substantiam. Inclinat se nobis, ut nostra ad eum ascendat oratio. Voce nõ indiget, qui
misericordiam defert. Neq; enim uoce indiguit, qui Moysen tacentem audiuit: & nõ lo-
quentem, sed interpellãtem, gemitibus ineffabilibus ad se clamare dicebat. Nouit deus
& sanguinem audire, cui nulla uox subest, lingua non suppetit, sed accepit uocem sacræ
titulo passionis. Clamauit in martyrio, clamauit in parricidio, quod pertulit pro sacrifi-
cio. Dilexi, inquit, & ideo diligens feci uoluntatem domini, & inuocaui eum non in pau
cis, sed in omnibus diebus uitæ meæ. Nam certis diebus inuocare, nõ omnibus, fastidien
tis est, non sperantis: & pro usu affluentium commodorum, mercedem gratiarum refer
1.Thes.5 re, nõ pro deuotionis affectu. Et ideo Paulus in omnibus, inquit, gratias agite. Quando
enim non habes, quod deo debeas? aut quando sine dei munere es, cui quotidie uiuen-
1.Cor.4 di usus à domino est? Quid enim habes, quod non accepisti? Ergo quia semper accipis,
semper inuoca. Et quia quod habes, à domino est, debitorem te semper esse cognosce.
Malo tamen ut quasi diligẽs quàm coactus debitũ tuũ soluas. Audis dicentẽ: Circunde-
Psalm.114 derunt me dolores mortis. Ego tamen & in mortis dolore dominum dilexi. Pericula in-
ferni inuenerunt me, nõ timentẽ utiq;, sed amantem, sed sperantẽ, quod nullæ me angu-
Rom.8 stiæ, nulla persecutio, nulla pericula, nullus gladius separat à Christo. Deniq; uolens in-
uenit tribulationẽ & dolorem, sciens quia tribulatio patientiam operatur, patientia pro
bationem, probatio spem. Etenim quasi bonus athleta quæsiuit certamina, ut coronam
inueniret: quã tamen non suis uiribus, sed domini auxilio nouit sibi esse donatam. Non
enim potuisset uincere, nisi eum qui certãtes adiuuat inuocasset. Miser homo congredi-
tur ut uincat, & ipse in periculum ruit, nisi domini nomen affuerit, nisi cùm ueretur ora-
Psalm.114 uerit, dicens: O domine libera animam meam. Hinc illud Apostolicũ: Video legẽ car-
Rom.7 nis meæ repugnantẽ legi mẽtis meæ, & captiuantẽ me in lege peccati, quod est in mem-
bris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia dei per Ie
sum Christum dominum nostrum. Ille uincit, qui gratiam dei sperat, nõ qui de sua uirtu-
te præsumit. Cur ergo non præsumas gratiam, cùm habeas præsulem certaminis miseri-
Psalm.114 cordiam? Misericors enim & iustus dominus, & deus noster miseretur. Bis misericordiã
posuit, semel iustitiam. In medio iustitia est, gemino septo inclusa misericordiæ. Superab
undant enim peccata, superabundet ergo misericordia. Apud dominum omnium uirtu
tum abundantia est, quia dominus uirtutum est. Neq; tamẽ iustitia sine misericordia est,
Eccle.7 neq; sine miseratione iustitia: quia scriptum est: Noli esse nimiũ iustus. Quod supra men
suram est, etsi bonum est, tamen tu non sustines. Mensuram serua, ut secundum mensu-
ram recipias. Non impedit tamen iustitia misericordiam, quia misericordia ipsa iustitia
Psalm.111 est. Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Nouit enim iustus de-
bere se infirmis atq; inopibus subuenire. Vnde dominus ueniens ad baptismum, ut no-
Matth.3 bis infirmantibus peccata donaret, ait ad Ioannẽ: Sine modo. Sic enim decet nos imple-
re omnem iustitiam. Liquet igitur iustitiam esse misericordiã, & misericordiam esse iusti
tiam. Etenim si dei nos misericordia non sustentaret, quomodo in ipso exordio paruuli
uiueremus, cùm effusi utero de calidis in frigida, de humidis in arida pisciũ more iacte-
mur, quos naufragos in hanc uitã quidã uelut naturæ fluctus expuerit? Ratio deest, sed
gratia diuina nõ deficit. Ipse ergo custodit paruulos, aut certe eos qui se paruulos humi-
li confitentur affectu. Bona igitur humilitas, quæ liberat periclitãtes, iacentes erigit. No
2.Reg.24 uit eam ille qui dixit: Ecce sum, ego peccaui, & ego pastor male feci, & isti in hoc grege
quid fecerunt? Fiat manus tua in me. Bene hoc dicit, qui regnum suũ deo subiecit, & pœ
nitentiã gessit, & peccatum suum cõfessus ueniam postulauit. Ipse per humilitatẽ perue
nit ad salutem. Humiliauit se Christus, ut omnes eleuaret. Ipse ad Christi peruenit re-
quiẽ, qui humilitatẽ Christi fuerat secutus. Et ideo quia humilẽ se præbuit Theodosius

Imperator,

Imperator, & ubi peccatum obrepit, ueniam postulauit: conuersa est anima eius in requiem suam, sicut habet scriptura quæ dicit: Conuertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit mihi. Pulchre dicit animæ conuertere, quasi diuturno cuiusque operis sudore exercitæ: ut à labore conuertatur ad requiem. Conuertitur equus ad stabulum, ubi cursum impleuerit: nauis ad portum, ubi ad stationem fidam à fluctuũ mole subducitur. Sed quid est quod ait: Ad requiem tuam, nisi secundum illud intelligas quod ait dominus Iesus: Venite benedicti patris mei, hæreditate possidete paratum uobis regnum à constitutione mundi? Tanquam enim possessionem hæreditariam, recipimus ea quæ promissa sunt nobis. Fidelis enim deus, qui semel seruis suis præparata non subtrahit. Si fides nostra maneat, manet & sponsio. Vide ô homo circa te gratiam Christi. Adhuc in terris quaeris, & in cœlo possides. Ibi ergo sit cor tuum, ubi est possessio tua. Hæc est requies quæ iustis debetur, negatur indignis. Vnde ait dominus: Sicut iurauí in ira mea, si introibunt in requiem meam. Qui enim non cognouerunt uias domini, non ingrediuntur in requiem domini. Qui autem bonum certamen certauit, & cursum consummauit, ipsi dicitur: Conuertere in requiem tuam. Bona requies, præterire quæ mundi sunt, & in illis quæ supra mundum sunt cœlestium consortijs requiescere secretorum. Hæc est requies ad quã Propheta properauit, dicẽs: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & uolabo & requiescam? Hanc sanctus requiem suam nouit, ad hanc requiem conuertendũ animæ suæ dicit. Erat ergo anima in requie sua, ad quam dicit esse redeundum. Hæc est requies sabbati magni, ut unusquisq; sanctorum supra mundi sensibilia sit in illo intelligibili secreto totus intentus atq; adhærens deo. Hæc est requies illa sabbati, quo requieuit deus ab omnibus operibus mundi istius. Feriatus his seculi curis Theodosius se ereptum gaudet, & eleuat animam suam, atq; ad illam perpetuam dirigit requiem, pulchre sibi consultum asserens, quod eripuerit animã eius deus de morte, quam mortẽ frequenter in hoc seculi istius lubrico sustinebat, inquietus fluctibus peccatorum: eripuerit etiã oculos eius à lachrymis. Fugit enim dolor, & tristitia, & gemitus. Et alibi habemus: Deleuit omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors non erit amplius, neq; luctus, neque clamor, neq; dolor. Si ergo mors non erit, lapsum sentire nõ poterit in illa requie constitutus: sed placebit deo in regione uiuorum. Non enim ut hic homo inuolutus est mortis corpore obnoxio lapsibus atq; delictis, ita & illic. Ideoq; regio illa uiuorum est, ubi anima est, quæ ad imaginem & similitudinem dei facta est, non caro figurata de limo. Ideo in terram reuertitur, anima ad requiem festinat supernam, cui dicitur: Cõuertere anima mea in requiem tuam. In quam festinauit intrare Theodosius, atq; ingredi ciuitatẽ Hierusalem, de qua dictum est: Et reges terræ ferent gloriam suam in illam. Illa est uera gloria quæ ibi sumitur, illud regnum beatissimum quod ibi possidetur, ad quod festinabat Apostolus, dicens: Audemus ergo, & consentimus magis peregrinari de corpore, & ad esse ad dominum: & ideo connitimur siue absentes siue præsentes placere illi. Absolutus igitur dubio certamine fruitur nunc augustæ memoriæ Theodosius luce perpetua, tranquillitate diuturna, & pro ijs quæ in hoc gessit corpore, munerationis diuinæ fructibus gratulatur. Ergo quia dilexit augustæ memoriæ Theodosius dominum deum suũ, meruit sanctorum consortia. Et ego, ut quidem sermonem meum per orationẽ concludam, dilexi uirum misericordem, humilẽ imperio, corde puro & pectore mansueto præditum, qualem dominus amare consueuit, dicens: Supra quem requiescam, nisi supra humilem & mansuetum? Dilexi uirum, qui magis arguentem, quàm adulantem probaret. Strauit omne quo utebatur insigne regium, defleuit in Ecclesia publicè peccatum suũ, quod ei aliorum fraude obrepserat, gemitu & lachrymis orauit ueniam. Quod priuati erubescunt, non erubuit Imperator, publicè agere pœnitentiam: neq; ullus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem. Quid quod præclaram adeptus uictoriam? tamen quia hostes in acie strati sunt, abstinuit à consortio sacramentorum, donec domini circa se gratiam, filiorum experiretur aduentu. Dilexi uirum, qui me in supremis suis ultimo spiritu requirebat. Dilexi uirum, qui cùm iam corpore solueretur, magis de statu Ecclesiarum quàm de suis periculis angebatur. Dilexi ergo fateor, & ideo dolorem meum intimo uiscere dolui, & prolixiore sermonis prosecutione solandũ putaui. Dilexi, & præsumo de domino, quod suscipiat uocem orationis meæ, qua prosequor animam piam.

Psalm. 114

Matth. 25

Psalm. 94

2. Timo. 4

Psalm. 54

Apoca. 21

Psalm. 114

Apoc. 21

2. Corin. 5

Esaiæ. 66

Psalm.114 Circundederunt me dolores mortis, pericula inferni inuenerunt me. Multorum enim pericula sunt, sed remedia paucorum. In omnibus sacerdos periclitatur, in omnibus reis angitur. Quod enim alij patiuntur, ipse sustinet: & iterum liberatur, cùm alij qui tenentur, periculis liberantur. Conteror corde, quia ereptus est uir, quem uix possumus inuenire. Sed tamen tu solus domine inuocandus es, tu rogandus, ut eum in filijs repræsentes. Tu domine custodiens etiam paruulos in hac humilitate, saluos facito sperantes in te. Da requiem perfectam seruo tuo Theodosio, requiem illam, quam pręparasti sanctis tuis. Illò conuertatur anima eius, unde descendit, ubi mortis aculeum sentire nō possit,
Rom.6 ubi cognoscat mortem hanc non naturæ finem, sed culpæ. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est, ut iam peccato locus esse non possit. Resurget autem, ut perfectior renouato munere uita reparetur. Dilexi, & ideo prosequor eum usq; ad regionem uiuorum, nec deseram, donec fletu & precibus inducam uirū quo sua merita uocant, in montem domini sanctum, ubi perennis uita, ubi corruptelæ nulla contagio, nullus gemitus, nullus dolor, nulla cōsortia mortuorum, uera regio uiuentium, ubi mortale hoc induat
1.Corin.15 immortalitatem, & corruptibile hoc induat incorruptionem. Magna requies, quæ uotum impleat diligentis, pulcherrima promissio. Ideo centesimus quartusdecimus Psalmus inscribitur. Denicq; supra in quartodecimo Psalmo perfectionem hominis accepimus. Sed illic formatus, perfectus licet uir, sed adhuc peccato obnoxius, quia uiuit in seculo. Hic uera perfectio est, ubi iam culpa cessauit, gratia perpetuæ quietis affulsit. Ideo centesimus quartusdecimus Psalmus, quia remuneratio charitatis est, unde domini pascha quartadecima luna formā celebritatis accepit: quoniam qui pascha celebrat, debet esse perfectus, debet amare dominum Iesum, qui diligens populum perfecta charitate, sese obtulit passioni. Et sic diligamus nos quoq;, ut si necesse fuerit pro domini nomine
1Ioann.4 mortem non fugiamus, nullum existimemus dolorem, nihil metuamus. Perfecta enim charitas timorem expellit foras. Grande numeri mysteriū, quando pater filium unicum pro nobis omnibus tradidit, cùm pleno luminis sui orbe luna fulgeret. Ita est enim Ecclesia, quæ piè pascha celebrat domini nostri Iesu Christi, sicut luna perfecta in æternū manet. Quisquis bene hic domini pascha celebrat, in lumine perpetuo erit. Quis splendidius celebrauit, quàm qui sacrilegos remouit errores, clausit tēpla, simulacra destruxit? In hoc Iosias rex superioribus antelatus est. Manet ergo in lumine Theodosius, & sanctorū cœtibus gloriatur. Illic nunc cōplectitur Gratianum iam sua uulnera non mœrentem, quia inuenit ultorem. Qui licet indigna morte præreptus sit, requiem tamen animę suæ possidet. Illic bonus uterq; & pietatis interpres largius misericordiæ suæ consortio
Psalm.18 delectatur. De quibus bene dicitur: Dies diei eructat uerbum. Cōtrà autem Maximus & Eugenius in inferno quasi nox nocti indicat scientiam, docentes exemplo miserabi-
Psalm.36 li quàm durum sit arma suis principibus irrogare. De quibus pulchre dicitur: Vidi impium superexaltatum & eleuatū super cedros Libani, & transiui, & ecce non erat. Transiuit enim pius de caligine seculari ad lumen æternum, & non erat impius qui esse desiuit iniquus. Nunc se augustæ memoriæ Theodosius regnare cognoscit, quando in regno domini Iesu, est & considerat templum eius. Nunc sibi rex est, quando recipit etiam filium Gratianum, & pulcherrima & dulcissima sibi pignora quæ hic amiserat, quando eius Flaccilla adhæret fidelis anima deo, quando patrem sibi redditum gratulatur, quando Constantino adhęret. Cui licet baptismatis gratia in ultimis constituto omnia peccata dimiserit, tamē quod primus Imperatorum credidit, & post se hæreditatem fidei principibus dereliquit, magni meriti locum reperit, cuius temporibus completum est illud
Zach.14 propheticum: In illo die erit quod super frenum equi est, sanctum domino omnipotenti. Quod illa sanctæ memoriæ Helena mater eius infuso sibi dei spiritu reuelauit. Beatus Constantinus tali parente, quæ imperanti filio diuini muneris quæsiuit auxilium, quo inter prælia quoq; tutus assisteret, & periculum non timeret. Magna fœmina, quæ multo amplius inuenit, quod Imperatori cōferret, quàm quod ab Imperatore accíperet. Anxia mater pro filio cui regnum orbis Romani cesserat, festinauit Hierosolymam, & scrutata est locū dominicæ passionis. Stabulariam hanc primo fuisse asserunt, sic cognitam Constantio seniori, qui postea regnum adeptus est. Bona stabularia, quæ tam diligenter præsepe domini requisiuit. Bona stabularia, quę stabularium non ignorauit illum, qui

uulnera curauit à latronibus uulnerati. Bona ſtabularia, quæ maluit exiſtimari ſtercora ut Chriſtum lucrifaceret. Ideo illam Chriſtus de ſtercore leuauit ad regnum, ſecundum quod ſcriptum eſt: Quia ſuſcitat de terra inopem, & de ſtercore erigit pauperem. Venit ergo Helena, cœpit reuiſere loca ſancta, infudit ei ſpiritus ut lignum crucis requireret, acceſſit ad Golgotham, & ait: Ecce locus pugnæ, ubi eſt uictoria? Quæro uel uexillum ſalutis, & non inuenio. Ego, inquit, in regnis, & crux domini in puluere? Ego in aulis, & in ruinis Chriſti triumphus? Ille adhuc latet, & palma uitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbitror, ſi redemptio ipſa non cernitur? Video quid egeris diabole, ut gladius quo peremptus es, obſtrueretur. Sed Iſaac obſtructos ab alienigenis puteos erudeuit, nec latere aquam paſſus eſt. Tollatur igitur ruina, ut uita appareat. Promatur gladius, quo ueri Goliæ caput eſt amputatũ. Aperiatur humus, ut ſalus fulgeat. Quid egiſti diabole, ut abſconderes lignũ, niſi ut iterũ uincereris? Vicit te Maria, quæ genuit triumphatorẽ, quæ ſine imminutione uirginitatis edidit eũ qui crucifixus uinceret te, & mortuus ſubiugaret. Vinceris & hodie, ut mulier tuas inſidias deprehendat. Illa quaſi ſancta dominum geſtauit, ego crucem eius inueſtigabo. Illa generatum docuit, ego reſuſcitatum. Illa fecit ut deus inter homines uideretur, ego ad remedium peccatorum diuinum de ruinis eleuabo uexillum. Aperit itaq; humum, decutit puluerem: tria patibula confuſa reperit, quę ruina contexerat, inimicus abſconderat. Sed non potuit obliterari Chriſti triumphus. Incerto hæret ut mulier, ſed certam indagínem ſanctus ſpiritus inſpirat, eo quòd duo latrones cum domino crucifixi fuerint. Quærit ergo medium lignum. Sed poterat fieri ut patibula inter ſe ruina confunderet, caſus mutaret, & inuerteret. Redit ad Euangelij lectionem, inuenit quia in medio patibulo prælatus titulus erat, Ieſus Nazarenus rex Iudęorum. Hinc collecta eſt ſeries ueritatis, titulo crux patuit ſalutaris. Hoc eſt quod petentibus Iudæis Pilatus reſpondit: Quod ſcripſi, ſcripſi, id eſt, non ea ſcripſi quæ uobis placerent, ſed quæ ætas futura cognoſceret: non uobis ſcripſi, ſed poſteritati, propemodũ dicens: Habeat Helena quæ legat unde crucem domini recognoſcat. Inuenit ergo titulum, regem adorauit, nõ lignum utiq;, quia hic Gentilis eſt error, & uanitas impiorum, ſed adorauit illum qui pependit in ligno, ſcriptus in titulo, illum inquã, qui ſi cut ſcarabęus clamauit, ut perſecutoribus ſuis peccata donaret. Auida mulier feſtinabat tangere remedium immortalitatis, metuebat calcare ſacramentum ſalutis. Læto corde, & trepidanti ueſtigio quid faceret neſciebat. Pertendit tamẽ ad cubile, ueritatis lignum refulſit, & gratia micuit. Et quia iam fœminam uiſitauerat Chriſtus in Maria, ſpiritus in Helena uiſitaret, docuit eã quod mulier ignorabat, & deduxit in uiam quã mortalis ſcire non poterat. Quæſiuit clauos, quibus crucifixus eſt dominus, & inuenit. De uno clauo frænos fieri præcepit, de altero diadema intexuit: unum ad decorem, alterum ad deuotionem. Viſitata eſt Maria ut Euam liberaret, uiſitata eſt Helena, ut Imperatores redi meret. Miſit itaq; filio ſuo Conſtantino diadema gemmis inſignitum, quas precioſior ferro innexas crucis redemptionis diuinæ gemma cõnecteret. Miſit & frænum. Vtroq; uſus eſt Conſtantinus, & fidem tranſmiſit ad poſteros reges. Principium itaq; credentium imperatorum, ſanctum eſt quod ſuper frænum: ex illo fides, ut perſecutio ceſſaret, deuotio ſuccederet. Sapiens Helena quæ crucem in capite regum leuauit, ut crux Chriſti in regibus adoretur. Non inſolentia iſta, ſed pietas eſt, cùm defertur ſacræ redemptionis. Bonus itaque clauus Romani imperij, qui totum regit orbem, ac ueſtit principum frontem: ut ſint prædicatores, qui perſecutores eſſe conſuerunt. Recte in capite clauus, ut ubi ſenſus eſt, ibi præſidium. In uertice corona, in manibus habena. Corona de cruce, ut fides luceat, habena quoq; de cruce, ut poteſtas regat: ſitq; iuſta moderatio, non iniuſta precatio. Habeant hoc etiam principes Chriſti ſibi liberalitate conceſſum, ut ad imitationem domini dicatur de imperatore Romano: Poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo. Ex illo gratulatur Eccleſia, erubeſcit Iudæus: nec ſolum erubeſcit, ſed etiam torquetur, quod ipſe ſibi author confuſionis eſt. Dum inſultat Chriſto, confeſſus eſt eum regem: dum regem Iudæorum appellauit, ſacrilegium ſuum qui non credidit, confitetur. Ecce, inquiunt: Crucifiximus Ieſum, ut Chriſtiani & poſt mortem reſurgant, & mortui regnent. Non crucifiximus quem reges adorant. Quem non adoramus, ipſi adorant. Ecce & clauus in honore eſt: & quem ad mortem impreſſimus, remedium

Philipp. 3

Pſalm. 112

Gene. 28

1. Reg. 17

Ioann. 19

Pſalm. 20

dium salutis est, atq; inuisibili quadam potestate dæmones torquet. Putabamus nos uicisse, sed nos uictos fatemur. Iterum Christus resurrexit, & resurrexisse eum principes agnouerunt. Iterum uiuit, qui non uidetur. Nunc maior nobis contentio, nũc pugna nobis uehementior aduersus eum. Cui regna famulantur, cui seruit potestas, illum contemsimus, quomodo regibus resistemus? Ferro pedum eius reges inclinantur. Reges adorant, & Fotiniani diuinitatẽ eius negant? Clauum crucis eius diademati suo præferunt Imperatores, & Arriani potestatẽ eius imminuũt? Sed quæro, quare sanctum super frænum, nisi ut Imperatorũ insolentiam refrenaret, cõprimeret licentiam Tyrannorum, qui quasi equi in libidines adhinnirent, quod liceret illis adulteria impune cõmittere? Quæ Neronum, quæ Caligularum cæterorum q; probra comperimus, quibus non fuit sanctũ super frænum? Quid ergo aliud egit Helenæ operatio, ut fræna dirigeret, nisi ut omnibus Imperatoribus sancto dicere spiritu uideretur: Nolite fieri sicut equus & mulus, sed in fræno & chamo maxillas eorum constringeret, qui se non agnoscerent reges, ut regerent sibi subditos? Prona enim potestas in uitium ferebatur, & more pecudum uaga sese libidine polluebat. Ignorabãt deum, restrinxit eos crux domini, & reuocauit à lapsu impietatis. Leuauit oculos eorum, ut Christum in cœlo quærerent. Exuerunt se chamo perfidiæ, susceperunt fræna deuotionis & fidei, secuti dicentem: Tollite iugum meum super uos. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue est. Inde reliqui principes Christiani præter unum Iulianum, qui salutis suæ authorem reliquit, dum philosophiæ se dedidit errori. Inde Gratianus & Theodosius. Non ergo mentita est prophetia, dicẽs: Ambulabunt reges in lumine tuo. Ambulabunt plane ac maxime Gratianus & Theodosius præ cæteris principes, non iam armis militum, sed meritis suis tecti, non purpureum habitum, sed amictum induti gloriæ. Qui cùm hic delectarentur absolutione multorum, quanto magis illic pepercisse se pluribus recensendo, pietatis suæ recordatione mulcentur, qui nunc luce fruuntur candida? longe meliora illic, quàm hic possidebant, habitacula consecuti, dicẽtes: O Israel, quàm magna est domus domini, & quàm ingens locus possessionis eius: magnus, & non habens finem. Et perfuncti maximis laboribus inter se cõferunt: Bonũ est uiro cùm portauerit iugũ graue à iuuentute, sedebit singulariter, & silebit, quia portauit iugũ graue. Qui enim iugũ graue portauit à iuuẽtute, requiescit: posteaq; remotus à turba præcipuum locum quietis suæ possidet, dicens: Quoniam tu singulariter in spe constituisti me. Portauit iugum graue à iuuentute sua Lazarus pauper, ideo singulariter in sinu Abrahæ requiescit, diuinæ testimonio lectionis. Portauit iugum graue Theodosius à iuuentute, quando insidiabantur eius saluti, qui patrem eius triumphatorem occiderant. Portauit iugum graue, quando subijt pietatis exilium, quando infusis Romano imperio barbaris suscepit imperium. Portauit iugum graue, ut Tyrannos Romano demoueret imperio. Sed quia hic in labore, ibi in requie. Sed iam ueniamus ad Augusti corporis transmissionem. Fles Honori germẽ Augustum, & lachrymis pium testificaris affectum, quod inhonorũ adhuc honore tumuli patris corpus per spacia multa transmittis. Sed & patriarcha Iacob propter populum liberandum quẽ tetra fames grauí urgebat periculo, relicta domo senex ad peregrina contendit, atq; ibi defunctus, ad sepulchrum patrium per aliquot dies filio prosequente deductus est. Nec derogatum est aliquid meritis eius, sed magis accessit ad laudem quod pro suis carens dedita domus sorte, quodam supremi funeris est peregrinatus exilio. Fles etiã Imperator Auguste, quod non usq; Constantinopolim reuerẽdas reliquias ipse prosequeris. Eadẽ tibi causa nobiscum est, omnes iusto dolore prosequimur: omnes (si fieri posset) deductores tecum esse cuperemus. Sed Ioseph ad finitimã accessit prouinciã. Hic multa interiacẽt regionum diuortia, hic maria transfretanda sunt. Nec hoc quidẽ tibi laboriosum, nisi te teneret respublica, quam boni Imperatores & parentibus & filijs prætulerũt. Deniq; ideo te Imperatorem pater fecit, dominus confirmauit: ut nõ solum militares patri, sed omnibus imperares. Nec uereare ne inhonoræ uideantur quocunq; accesserint reliquiæ triumphales. Non hoc sentit Italia, quæ claros spectauit triumphos, quæ à Tyrannis iterum liberata, concelebrat suæ libertatis authorẽ. Non hoc Constantinopolis, quę secundo ad uictoriam principem misit: quem cùm uellet tenere, nõ potuit. Expectabat quidem in reditu eius triumphales solennitates, & titulos uictoriarũ, expectabat totius orbis

Philiph. 31

Matth. 11

Esa. 60

Baruch. 3

Thren. 3

Psalm. 4

Luc. 16

Gene. 46

orbis Imperatorem, stipatum exercitu Gallicano, & totius orbis subnixum uiribus: sed nunc illuc Theodosius potentior, nunc glorioſior redit: quem angelorum caterua deducit, quem sanctorum turba prosequitur. Beata plane quę paradisi incolam suscipis, & habitatorem supernæ illius ciuitatis augusto sepulti corporis tenebis hospitio.

FINIS.

INDEX EPISTOLARVM DIVI AMBROSII Mediolanensis episcopi.

EPISTOLAE LIBRI PRIMI.

Ambrosius Iusto, exponens quid significet illud didrachmum, cuius dimidiū Hebræus præcipitur offerre pro redemptione animæ suæ. Epistola. I
Ambrosius Simpliciano, explanans quid sibi uelit quod Moyses post oblatum sacrificium, & immolatas domino salutares hostias, dimidiam partē sanguinis in crateras misserit, dimidiam autem ad altare fuderit. Epist. II
Ambrosius Simpliciano, causam reddēs cur Moyses propheta maximus inueniat, magis Aaron fratris cōsilium quàm suum probasse. Cur etiam tam difficile tamq; rarum sit pœnitentiam peccati gerere in hac uita homini. Epist. III
Ambrosius Irenæo, declarans quomodo intelligendum sit quod in Exodo legitur. Abominanda apud Ægyptios immolemus deo? Qualibus præterea ductoribus, & qua uia ad ecclesiam Christi perueniatur. Qui illam ingrediantur, & quid eis in ipsa sit agendum. Epist. IIII
Ambrosius Felici Comensi episcopo, asserens se & lectione sermonis illius, & spe futuri aduentus refocillatum, simulq; ut uenire non negligat adhortans. Epist. V
Ambrosius Irenæo, Pythagoricum mandatum commemorans, quo ille discipulos suos communem atq; usitatam populo uiam ingredi prohibuit, & ut idem à sacerdotibus obseruetur, multiplici ratione persuadens. Epist. VI

EPISTOLAE LIBRI SECVNDI.

Ambrosius Simpliciano, eleganter de uera libertate ac etiam seruitute disputans, fortissimisq́ue argumentis solum sapientem uera libertate gaudere, & omnem insipientem seruum esse comprobans, atque ad illam amplectendam plurimum cohortans. Epist. VII
Ambrosius Faustino, eundem propter obitum Germanæ acerbo dolore mœrentem, consolans. Epist. VIII
Ambrosius Bellicio graui ægritudine priusquam in dominum Iesum crederet iactato, postea uerò reualescente, illum ex diuinæ uisitationis pietate in fide Christi confortans, & ad aliorum sacramentorum perceptionem exhortans. Epist. IX

EPISTOLAE LIBRI TERTII.

Ambrosius Simpliciano, pulchre de ueris diuitijs, ac cōtraria paupertate disserens, & q̄ omnis solusq; sapiens uerè diues, atq; insipiens pauper sit, demonstrans. Epist. X
Ambrosius Irenęo, uersiculum illū, Speciosus forma, &c. Gręco sermone annotatū uoluens, pluribusq; rationibus & exemplis nos prouocās, ut illi summo bono quod est dominus Iesus, quo nihil est speciosius, animo intendamus, illud quæramus, illud intueamur, illud teneamus, in illo uersemur, illi adhæreamus, & in eo pascamur. Epi. XI
Ambrosius Irenæo, prosequens illud uerbum Aggæi prophetæ: Si tempus uobis est ut habitetis in domibus cælatis: multo ex hoc nos sermone commonens ut in superioribus domibus, & non in uallestribus & subterraneis habitemus, talesq; domos nosmetipsos domino ædificemus. Epist. XII

EPISTOLAE LIBRI QVARTI.

Ambrosius Irenæo, hanc quæstionem: Vtrum sit aliqua apud deum differentia charitatis eorum qui à pueritia & eorum qui iuuentutis aut posterioris ætatis processu crediderint, dissoluens. Epist. XIII
Ambrosius Irenæo, errorem remouēs, ne quis eum de quo in superiori epistola dictum est, quòd duas habebat uxores, & duas asciuisse sibi animas intelligat. Epist. XIII

Ambrosius Irenæo, causam reddens cur lex prohibuerit mulieres uti ueste uirili, atq; uiros indui stola muliebri. Epist.xv
Ambrosius Irenæo, epistolam ad Ephesios summaria ac breui explanatione perstingens. Epist.xvi
Ambrosius clericos quosdam qui propter leuem aliquam offensionem ab officio desistunt, redarguit, & ad constantiam exhortatur. Epist.xvii

EPISTOLAE LIBRI QVINTI.

Ambrosius Horontiano, eum docens ex Michæa propheta, quomodo anima uetus & infirma à recto itinere deuians lapsa sit: quóue processu conuertatur, gradumq; reparet ac reformet, & ut in proposito suo perseueret admonens. Epist.xviii
Ambrosius Horontiano, disserens quemadmodum animam euangelicã quæ est ecclesiæ filia, dominus Iesus primo susceperit, erudierit, atq; consummauerit. Epist.xix
Ambrosius Horontiano, quæ sit diuina hæreditas definiẽs, & cur tanti æstimetur, ut propter eam plerique morti se offerant. Epist.xx
Ambrosius Horõtiano, quæstionem de natura & substantia animæ subtili responsione dissoluens. Epist.xxi
Ambrosius Horontiano, superioris quæstionis responsionem latius explanans atque complens. Epist.xxii
Ambrosius Horontiano, dubitationem tollens de quo spiritu dictum sit, quia postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Epist.xxiii
Ambrosius Marcello, narrans se causam ueternosi iurgij inter illum & fratrem ac sororem componendi tanquam arbitrum suscepisse, rationemq; huiuscemodo compositionis exponens. Epist.xxiiii
Gratianus Augustus beato Ambrosio, ut ad se docendum uenire festinet postulans, & ut scripturis atq; argumentis spiritũ sanctũ deũ esse conuincat, rogãs. Epist.xxv
Ambrosius Gratiano Augusto, epistolam ipsius plurimum commendans, suæq; uoluntati se satisfacturum pollicens. Epist.xxvi
Ambrosius Valentiniano imperatori, legationis suæ expositionẽ insinuans. xxvii
Ambrosius Theodosio imperatori, seipsum excusans, & ut ille facinoris sui pœnitentiã agat, rationibus atq; exemplis suadens, rogans, hortans, & admonens. Epi.xxviii
Ambrosius Theodosio imperatori uindicari iubenti in episcopum & Christianos qui synagogam incenderunt, uehemẽter eum ob hoc arguẽs, atq; ut aliã epistolã dictari iubeat, & quod prius iussum fuerat emendet, exhortans. Epist.xxix
Ambrosius Valentiniano, eundem rogans atq; conueniens ne ad petitionem Gentiliũ aras eorũ imperatorio decreto instaurari iubeat, ostendensq; ex tali decreto, primum deo, deinde patri & fratri iniurias irrogari. Epist.xxx
Symmachi urbis præfecti persuadentis ritus ueteres circa cultum deorum esse seruandos, ad imperatores relatio.
Ambrosius Valentiniano imperatori, relationi Symmachi respõdens, aptissimisq; confutationibus eam refellens. Epist.xxxi
Ambrosius Valentiniano imperatori, recusans certare cum Auxentio Arriano in consistorio imperatore iudicaturo ex eo quod in causa fidei episcopi de laicis in ecclesia, & non laici de episcopis in consistorio debeant iudicare. Epist.xxxii
Sancti Ambrosii in Auxentium de basilicis tradendis inuehentis, suosq; ad cõstantiam atq; tolerantiam exhortantis, Oratio.
Ambrosius Marcellinæ sorori suæ, referens illi quid in causa de basilicis tradẽdis actum sit, & in quo statu res ipsa nunc consistat. Epist.xxxiii
Ambrosius Theodosio imperatori, decessum Valẽtiniani Augusti uehemẽter se dolore aptissimumq; pro sepultura eius locũ præparatũ esse insinuans. Epist.xxxiiii
Ambrosius Eusebio episcopo, apparitori præfecturæ offensam quam contraxerat esse remissam, Faustinũq; paruulũ tussi laborantẽ ad sororẽ uenisse referẽs. Epi.xxxv

EPISTOLAE LIBRI SEXTI.

Ambrosius Sabino episcopo, eos qui indignũ duxerint, quòd Paulinus uẽditis facultatibus, & seculo relicto, secretum quoddã elegerit, cõfutans & cõprobans, quod non ignomi-

ignominiosum aut turpe,sed glorioſum ſit,opprobrioſum, uilem, & nudum fieri pro Chriſto.Quid etiam denudatio ipſius Dauid figurauit,exponens. Epiſt.XXXVI
Ambroſius Chromatio, ex illo quod in libro Numerorũ à Balaam dictum eſſe legitur, quia non mẽtitur deus,nec eſt augurator in Iſrael:diſcutiẽs unde habuerit iſte qui augur erat,ut oraculum dei loqueretur,& futura manifeſtaret. Epiſt.XXXVII
Ambroſius Horontiano,rationem huic quæſtioni reddens,cur prius omnia uel uolatilia,uel terreſtria,uel quæ in aquis ſunt, producta fuerint, quàm homo propter quem cuncta illa creata ſunt formaretur. Epiſt.XXXVIII
Ambroſius Horontiano,de diuiſione prophetica quę operatorem atq; opera diſtinxit, ratione quoq; ſex dierum quibus factus eſt mundus, & myſterio ſeptimi atq; octaui numeri ſubtiliter diſſerens. Epiſt.XXXIX
Ambroſius Sabino,libellos illi mittens,atq; rogans ut ſcrutanter diſcutiat, & quæ corrigenda decreuerit,arbitrij ſui iudicio corrigat. Epiſt.XL
Ambroſius Sabino,ex eo quod illi complacuit uſus epiſtolarũ,ſpondens ſe frequentius eum ſcriptis ſuis,præſertim cùm ſolus ſit,uelle alloqui,ſolitudinemq; plurimum commendans atq; ſuadens. Epiſt.XLI
Ambroſius Sabino,de paradiſo quid alij ſenſerint referens,& quæ ſua de myſtico paradiſo ſit ſententia,pulchra expoſitione declarans. Epiſt.XLII
Ambroſius Siſynnio,pietatem illius commendãs quod filio ignouerit,qui eo inconſulto uxorem acceperat. Epiſt.XLIII

EPISTOLAE LIBRI SEPTIMI.

Ambroſius Conſtantium,quomodo plebem ſuam regere debeat docet. Epiſt.XLIIII
Ambroſius Sabino, cauſam reddens cur poſt ſcripturam prius directam codicem apertius ſcriptum tranſmiſerit.Cur etiam propriam manum ſtylo ſuo affixerit,ad epiſtolarem inde ludum eum inuitans,& uſum illius exponens. Epiſt.XLV
Ambroſius Euſebio,iucũditatẽ illius in filijs & filiorũ benedictionẽ recenſens. XLVI
Ambroſius Irenęo, cõfutãs errorẽ cuiuſdã maledici Apollinariſtę,qui nõ poteſt audire quod dominus noſter Ieſus Chriſtus pro nobis ſeruitutẽ ſuſceperit. Epiſt.XLVII
Ambroſius Irenæo,proſequens illud quod in Hieremia ſcriptum eſt: Clamauit perdix, congregauit quę non peperit:naturã iſtius auis deſcribendo,& eam diabolo ac membris ſuis adaptando. Epiſt.XLVIII
Ambroſius Syricio,narrans illum Priſco aduenienti literas dediſſe,& ſe eidem reuertenti alias reddidiſſe.Et quia utrunq; eorum officio remuneratus ſit, etiã eius officij precium incrementa debere adipiſci gratiæ. Epiſt.XLIX
Ambroſius Attico,ſcribens literas ſuas Priſcum ſibi,& ſe illi alias reddidiſſe,Priſcum dilectioni ſuæ amplius commendans. Epiſt.L
Ambroſius Felici,ſignificans tuberum ſibi miſſorum partem amicis direxiſſe. Et illum quod ſe tamdiu nequaquam reuiſerit,arguens. Epiſt.LI
Ambroſius Romulo,quęſtioni illius,cur uidelicet deus dixerit:Ponam cœlum æreum, & terram ferream,ſatisfaciens. Epiſt.LII
Ambroſius Titiano,illi congaudens quod à Rufino liberatus ſit, quem ſibi grauiorem iudicem in negocio cum nepte ſua arbitrabatur. Epiſt.LIII
Ambroſius Syrcio, gratum ſibi aſſerẽs cum & ab ipſo literas accipiat, & ille aliquos de conſeruitio ſuo dirigat,eosq; ſe diligere conteſtans, qui non patiuntur ſe à ſuo munere diutius abeſſe,& ad ſequendum dominum Ieſum ſuadens. Epiſt.LIIII
Ambroſius Fœgadio & Delphino epiſcopis, inſinuans Polybium ut utriq; eorum ſcriberet popoſciſſe,ac poſt datam epiſtolam utriuſq; nomine conſcriptam,alteram exegiſſe,& ei ſe illam dediſſe. Epiſt.LV
Ambroſius Romulo,de eo quod Aaron populo poſcẽti ſibi deos fieri aurũ detraxerit, & quòd de auro figuratũ ſit uituli caput , & quod Moyſes tam dure indignatus ſit ut iuberet quẽmq; inſurgere in necẽ proximi ſui,quid ipſe ſentiat exprimẽs. Epi.LVI
Ambroſius Seuero epiſcopo,ſcribens compresbyterum ſuum Iacobum Campanię ſibi ad requieſcendum littora,ubi orationi uacet,& deo ſeruiat, elegiſſe,ſe uero in medio omnium moleſtiarum fœto uerſari conquerens. Epiſt.LVII

Ambrosius Studio, pia illi persuasione respõdens quid in causa cuiusdam criminosi potius agere debeat. Epist. LVIII
Ambrosius sacerdotibus quibusdam & omni clero plebis Thessalonicensium, de obitu uita, uirtutibus, & conuersatione sancti uiri Acholij. Epist. LIX
Ambrosius Anysio sancti Acholij successori, de successione eius congaudens, uitamq; sancti Acholij commendans, & illius adolescentiam, iuuentutem atq; senectutem benedicens. Epist. LX
Ambrosius Candidiano, splendorem sermonis & fulgorem affectus eius commendans illicq; benedictionem optans. Epist. LXI

EPISTOLAE LIBRI OCTAVI.

Ambrosius Irenæo, quæstionem cur dominus deus manna pluerit populo patrum, & nunc non pluat, dissoluens. Epist. LXII
Ambrosius Iusto, differens quod ueteres quos plericq; secũdum artem scripsisse negant, secundum gratiam quæ super omnem artem est, scripserint: de quorum tamẽ scriptis ij qui de arte scripserunt, artem inuenerunt. Epist. LXIII
Ambrosius Syagrio Veronensis ecclesiæ episcopo, literis illius respondens, eumq; uehementer arguens de iudicio attentato in causa cuiusdã uirginis per turpes quasdam personas accusatæ, & cur causam istam ad se reuocauerit, & qualem in ea sententiam pronunciauerit, exponens. Epist. LXIIII
Ambrosius Syagrio, pro castitatis contumelia dolentem querelam faciens, atq; ex scripturis sanctis ostendens quantum maiores nostri reuerentiæ detulerint castimoniæ, quantumue ultionis studium aduersum temeratores pudicitiæ fuerit. Epist. LXV
Ambrosius Paterno, eundem quia filio neptem, ex filia copulare uoluit, redarguens, & ut ab ea discedat intentione, commonens. Epist. LXVI
Ambrosius Quinegio, illum de consultatione sua commendans. Epist. LXVII
Ambrosius Antonio, amorẽ eius in se, & sui animum in illum cõmemorans. LXVIII
Ambrosius Alypio, literas illius sibi esse redditas, & se suis respondisse literis significans. Epist. LXIX

EPISTOLAE LIBRI NONI.

Ambrosius Vigilio, instituens eum quomodo plebem docere debeat, ac inter cętera ut coniugia ex alienigenis refugiant, Sampsonisq; exemplo comprobans quàm perniciosum sit alienigenæ mulieris copulam adsciuisse. Epist. LXX
Ambrosius Irenæo, occasione eius quod in Apostolo scriptum est: Lex enim iram operatur, &c. quæstionem cur lata sit Lex, absoluens. Epist. LXXI
Ambrosius Irenæo, causam reddens cur pleraq; in Lege præcepta sint, quæ per Euangeliũ uacuata uidentur, ut est circũcisio corporalis, & obseruatio sabbati, aliaq; plura huiusce modi. Cur etiam Lex pædagogus dicatur. Epist. LXXII
Ambrosius Clementiano, uim Apostolicæ disputationis in superiori epistola notatæ aperiens, simulq; ostendens Iudæum non esse secundũ adoptionẽ hæredẽ. LXXIII
Ambrosius Horontiano, ex eo quod ab Apostolo commemoratum est, Abraham credidit deo, & reputatum est ei ad iustitiã, &c. colligens quod ij magis Abrahæ filij qui ex fide hæredes sunt, ipsam quoq; fidem plurimum commendans. Epist. LXXIIII
Ambrosius Bellicio, exponẽs quid sibi uelit illud quod dominus Iesus uidens à genera tione cæcum, expuit, & fecit lutum, & superunxit oculos cæci, &c. Epist. LXXV
Ambrosius Studio, quæstionem ab eo propositam quam in quadã epistola superius ad eundem scripta absoluit, latius ac plenius pertractans & absoluens. Epist. LXXVI
Ambrosius Cõstãtio, causam reddẽs cur circũcisio Veteris testamẽti authoritate quasi utilis imperetur, & noui testamẽti magisterio quasi inutilis repudietur, aduersantiũq; obiectiones arguta responsione dissoluens. Epist. LXXVII

EPISTOLAE LIBRI DECIMI.

Ambrosius Theophilo, dolenter cõquerens de statu causæ discordiarũ inter Euagrium & Flauianum, & quid eum in hac re agere uelit, exponens. Epist. LXXVIII
Ambrosius Theophilo & Anysio, excusans se de iudicio ferendo in Bonosum episcopum & accusatores eius, illisq; causam istam committens. Eosdem præterea approbans

bans merito abhorruisse blasphemiam quorundam qui inuiolatam uirginẽ Mariam plures peperisse filios mentiuntur. Epist. LXXIX

Syricius papa Mediolanensi ecclesiæ, narrans quid actum sit contra hæreticos qui sub uelamento pij nominis serpẽtino sermone catholicã ueritatẽ corrumpere, ac fideles Christianos sauciare moliti sunt, admonensq; ut ab illis se custodiant. Epi. LXXX

Ambrosius, Bassianus & ceteri, Syricio papæ, pastoralem illius sollicitudinem circa out le Christi custodiendum, & ludos arcendos commendantes, uirginitatemq; contra istorum dementiam coniugio præferentes, Immaculatam præterea Christi genitricem Mariam, ratione, testimonijs, figuris, & exemplis astruentes in partu uirginem permansisse, Præconia denicq; uiduitatis attexentes, ac tandem Iouinianũ & reliquos hæreticos esse damnatos insinuantes. Epist. LXXXI

Ambrosius Vercellensi ecclesiæ, & eis qui inuocant nomen domini nostri Iesu Christi, dolenter conquerens quod ipsa sola adhuc sacerdotem non habeat, illosq; admonens ut parentum exempla sequantur ad postulandum sacerdotem. Eorum præterea errorem qui nullum dicunt esse abstinentiæ meritum, uel uirginitatis fructum, rationibus scripturis & exemplis confutans, uoluptatem quoq; cõdemnans, & ieiunium, abstinentiam, temperantiam ac uirginitatem excellenter commendans, Vercellenses deinceps ad constantiam & alias uirtutes exhortans. Quodq; maxime in Episcopi petitione abesse debeat malignitas. Ac tandem qualis in episcopũ eligendus, qualesue & ipsi esse debeant, exponens. Epist. LXXXII

Ambrosius episcopis per Æmiliam constitutis, eos de celebritate paschali instruens. Epistola. LXXIII

Ambrosius sacræ uirgini Demetriadi, magnis præconijs ueram humilitatem exaltans, aduersantemque illi superbiam digna uituperatione confundens. Ac per hoc ipsam ad elationem cauendam, & præsidio synceræ humilitatis armandam persuadens. Epist. LXXXIIII

FINIS.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI EPISTOLARVM LIBER I

Diui Ambrosii ad Iustum, exponentis quid significet illud didrachmum cuius dimidium Hebræus præcipitur offerre pro redemptione animæ suæ. Epistola I

AMBROSIVS Iusto. Pulchrè admones frater, ut epistolares fabulas, & sermonem absentium ad interpretationẽ cõferamus oraculi cœlestis, interrogans me quid significet illud didrachmum cuius dimi 1
dium Hebræus præcipitur offerre pro redẽptione animę suę. Quid enim tam consociabile, quàm de diuinis rebus sermonem contexere? Est autem dimidium didrachmi drachma. Redemptio autem animæ fides. Fides ergo drachma, quam illa mulier in Euangelio, Luc. 15
ut legimus, amissam diligenter requirit, lucernã accendens, & mundans domum suam: & si inuenerit, conuocat amicas & uicinas, petens congratulari eas secum, quod inuenerit drachmam quam perdiderat. Magnum enim damnum animæ, si quis fidem amiserit, uel gratiam, quam fidei precio acquisiuit sibi. Et tu ergo accende lucernam tuam. Lucerna tua oculus tuus est, ille interior oculus scilicet mentis. Istam Matth. 6
lucernam accende, quæ accipit oleum spiritale, & lucet in tota domo tua. Quęre drachmam, redemptionem animæ tuæ: quam qui amiserit, turbatur: qui inuenerit, exultat. Est & redemptio animæ misericordia. Redemptio enim animæ hominis, diuitiæ eius sunt, quibus utiq; fit misericordia, quæ sumptu pauperes iuuat. Fides igitur gratia, Prouer. 13

gratia,

gratia misericordia, misericordia redēptio est animæ, quæ drachma, hoc est integro pre
cio summę plenioris expendit. Sic enim scriptū est, dicēte domino ad Moysen: Quod si
Exod. 30 acceperis computationē filiorū Israel in uisitatione ipsorū, dabunt singuli redēptionem
animę suę domino, & nō erit in his ruina in uisitatiōe eorū. Et hoc est quod dabūt quot
quot perambulāt uisitationē, didrachmi dimidiā partē, quod est secūdum didrachmum
sanctum. Viginti oboli didrachmū. Dimidia aūt pars didrachmi illatio domino. Omnis
qui intrauerit uisitare à uiginti annis & supra, dabūt illationē domino. Qui diues est, nō
adijciet: & qui pauper est, nō minorabit à dimidia parte didrachmi, cùm cœperint dare
oblationē domino, & exorare p animab. suis. Et accipies pecuniā illationis à filijs Israel,
& dabis illam in opus tabernaculi testimonij, & erit filijs Israel legitimum memoriale in
conspectu domini, & orare pro animabis uestris. Ita ergo deerat uel diues qui plus offer
ret, uel pauper qui minus haberet, si in pecunia dimidium didrachmū istud & non in uir
tute esset. Vnde aduertendū quod non materialis ista, sed intelligibilis drachma sit, quæ
ex æquo ab omnibus conferenda æstimatur. Deniq; etiam de illa cœlesti esca (Esca au
tem & delectatio alimēti cœlestis sapiētia est, qua uescebātur in paradiso locati, qui erat
indeficiens animæ cibus, quem uocauit manna diuinus sermo) ita legimus distributio
nem factam per singulas animas, ut æqualis fieret diuisio. Et collegerunt secūdum dispo
sitionem Moysi, is qui plurimum, & qui minimum, & mensurā fecerūt gomor, & non
abundauit & superfuit ei qui multum: & ei qui minus, non defuit. Vnusquisq; enim pro
numero animarū quæ apud se erant in tabernaculis, collegerunt per singula capita go
mor, id est mensuram uini, sicut habet interpretatio. Est autē mēsura sapientiæ: quæ si su
Eccles. 7 pra mensuram sit, nocet, quia scriptum est: Noli esse multum sapiens. Et Paulus docuit se
1. Corin. 12 cundum mensuram dari diuisionē gratiarum, cùm dicit: Quia unicuiq; datur manifesta
tio spiritus ad utilitatem, alij sermo sapientię, alij sermo sciētię secundū eūdem spiritum,
alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in uno spiritu, & diuidi eam gratiam se
cundum uoluntatem spiritus. Quod diuidit, æquitatis est: quod autem secundum uolun
tatem suam diuidit, potestatis. Vel quia id uelit unicuiq; conferre quod profuturum no
uerit. Gomor ergo mensura est, & mensura uini, quod lætificat cor hominis. Quid au
tem nisi sapientiæ potus, iucunditas cordis est? Hoc est illud uinum quod miscuit in cra
tere sapientia, & offert bibendum, ut sumamus nobis sobrietatem & prudentiam, quod
ea æqualitate transfundi oportet sensibus & cogitationibus nostris, & omnibus mo
tibus, qui intra hanc nostram sunt domum, ut sciamus posse abundare omnibus, defi
cere nulli. Plenius autem desanguine Christi intelligitur, cuius ad gratiam nil minui
tur, nihil adaugetur. Et si parum sumas, & si plurimum haurias, eadem perfecta est om
nibus mensura redemptionis. Pascha quoque domini, hoc est, agnum ita patres epulari
iubentur, ut secundum numerum animarum epulentur, suarum, neque plures, neq; pau
ciores, neq; alijs plus dari, alijs minus sed secundum animas singulorum: ne aut fortio
res amplius sumant, aut infirmiores minus. Gratia enim æqualis singulis diuiditur, re
demptio diuiditur, donum diuiditur. Neque plures oportet esse, ne quis uacuus spei &
Matth. 10 redemptionis recedat. Plures sunt quando aliqui extra numerum sunt, sancti autem nu
2. Timot. 2 merati sunt omnes, & capilli eorum. Cognouit enim dominus qui sunt ipsius. Neq; pau
ciores, ne magnitudine gratiæ sit ad recipiendum infirmior. Et ideo omnes æqualita
tem deuotionis & fidei deferre præcepit ad pascha domini, id est, ad transitum. Pascha
autem est quando anima irrationabilem deponit passionem, sumit autem bonam com
passionem, ut compatiatur Christo, & transitum eius in se suscipiat, ut inhabitet in ea, &
deambulet, & fiat eius deus. Gratia itaq; æqualis per omnes, uirtus autē diuersa in singu
lis. Vnusquisq; ergo portionem competentē suis uiribus sumat, ne aut fortior indigeat,
Matth. 20 aut oneretur infirmior. Habes hoc in Euangelio, quia merces æqualis omnibus soluitur
in uinea laborantibus, sed pauci ad brauium, pauci ad coronā perueniunt, pauci dicunt:
2. Tim. 4 Reposita est mihi corona iustitię. Alia est enim merces liberalitatis & gratię, aliud uir
tutis stipendiū, alia laboris remuneratio. Ergo didrachmū redēptio est, imò dimidiū di
drachmi. Redimit autē nos Christus à morte, redimit à seruitute, ne subiecti simus mun
Matth. 17 do, cui renunciamus. Vnde dominus in Euangelio dicit ad Petrum ut uadat ad mare, &
3 mittat hamum, in ore piscis inuentum staterem sumat, & det pro domino & pro se, exi
gentibus

gentibus didrachma. Hoc est igitur didrachma quod exigebatur secundum legem, sed non debebat illud filius regis, sed alienus. Quid enim si Christus redimeret ab hoc mundo, qui uenerat ut tolleret peccatum mundi? Quid si à peccato redimeret, qui descenderat ut omnibus peccatum dimitteret? Quid si redimeret à seruitute, qui se exinaniuerat, ut uniuersis libertatem daret? Quid si redimeret à morte, qui carnem susceperat, ut morte sua omnibus resurrectionem acquireret? Non utiq; opus habuit redemptione redemptor uniuersorum: sed sicut circuncisionem accepit ut legem impleret, & ad baptismum uenit ut impleret iustitiam: ita etiam didrachma exigentibus solutionem non recusauit, statim staterem pro didrachmo iussit pro se & Petro dari. Maluit enim supra legem soluere, quàm id quod erat legis negare. Ostendit autem contra legem Iudæos facere, qui ab uno didrachmum exigerent, cùm dimidium didrachmi exigendum Moyses præscripserit. Et ideo & pro se & pro Petro tãquam singulas drachmas in statere solui mandauit. Bonus autem census Christi, qui statere soluitur, quia statera iustitia est, iustitia autem supra legem. Denicq; finis legis Christus est ad iustitiam omni credenti. Hic 4 Rom. 10
stater in ore piscis inuenitur: illius piscis quem capiunt piscatores hominum, illius piscis qui ponderat sermones suos, ut igne examinatos proferat. Hunc staterem nescierunt Iudæi, quem proditori dederunt. Lex autem dimidium didrachmi pro redemptione animæ exigit, quam drachmam deo deputat, quia totum didrachmum uindicare non poterat. Vix enim in Iudæo uel portio deuotionis poterat inuestigari. Qui autem uerus est liber, uerus Hebræus, totus est dei: totum quod habet, libertatis est. Nihil habet illius qui libertatem recusat, dicens: Dilexi dominum meum, & uxorem, & infantes: non abibo Exod. 21
liber. Quod non solum ad dominum, sed etiam ad eius refertur infirmitatem qui se subiecerit mundo, quod diligat mundum, uel mentem suam, id est, νῦν huius authorem uoluntatis. Nec solũ ad uxorem, sed etiam ad delectationem refertur, quæ domesticam nõ illam æternam curam suscipit. Huic ergo ad limen & ostium suum dominus suus aurem pertundit, ut meminerit sermonis sui quo seruitutem elegit. Et ideo tu Christiane istum ne imiteris, quia tibi scriptum est, non ut didrachmi dimidium (si tamen uis per Matth. 19
fectus esse) deo offeras, sed ut omnia tua uendas, & des pauperibus. Nec ut portionem seruitutis mundo reserues, sed ut totum te abneges, & domini crucem tollas, & sequaris eum. Cognouimus itaq; ideo dimidium didrachmi lege postulari, quia dimidium 6
generi huius mundi, id est, conuersationi seculari, & usui domestico & posteritati reseruabatur, quibus necesse erat & sortem ex sorte, id est, transmissionis deputari. Vnde & dominus tentantibus se Pharisæis subdola interrogatione utrum suaderet censum dari Cæsari, respondit: Quid me tentatis hypocritæ? ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium, in quo erat imago Cæsaris. Ait illis: Reddite quæ sunt Cęsaris, Cæsari: & quæ sunt dei, deo, ostendens illos ita esse imperfectos, qui sibi perfecti uiderentur, ut prius Cæsari quàm deo soluerent. Quibus enim prior esset cura mundi, ab ijs prius soluendum foret quod erat mundi. Vnde & ait: Reddite, id est, uos reddite quæ sunt Cæsaris, apud quos figura & imago inuenitur Cæsaris. Illi ergo Hebræi pueri Ananias, Azarias, Misael, ille Daniel sapientior, qui non adorauerunt imaginem regis, qui Daniel.
non receperũt eam, qui nihil de illa mensa regis accipiebant, nõ tenebantur ad solutionem tributi. Nihil enim eorum quæ sub rege terreno erant, possidebant. Ergo eorum imitatores non soluunt tributum, quibus portio deus est. Ideo dominus ait: Reddite, id est, uos reddite qui protulistis imaginem Cæsaris, apud quos inuenitur: ego autem nihil debeo Cæsari, quia nihil huius mundi habeo. Venit enim huius mundi princeps, & in Ioan. 14
me inueniet nihil. Nihil debet Petrus, nihil Apostoli mei, quia non sunt de hoc mundo. Et si in hoc mundo sunt, ego misi eos in hunc mundum. Sed iam non sunt de hoc mundo, quia mecum sunt supra mundũ. Ergo quod diuinæ legis est, solui iubetur, non quod Cæsaris. Et tamen & ipsum perfectus, id est, prædicator Euangelij iam non debebat, qui plus prædicabat. Non debebat filius dei, non debebat & Petrus in adoptionem à patre adscitus per gratiam, sed ne scandalizentur, inquit, uade ad mare, & mitte hamum, & Matth. 17
eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ibi staterem, illum sumens da ijs pro me & te. O magna mysteria, dat dimidiũ didrachmi quod Lex iubebat, & non negat quod legis est, quasi factus ex muliere factus sub lege secundũ incarna Galat. 4

tionem locutus sum. Ex muliere secundum sexum. mulier sexus est, uirgo species. sexus generis, uirgo integritatis. in quo ergo uenit sub lege, in eo factus est ex muliere, id est, in corpore. Et ideo didrachmũ solui iubet pro se & Petro, quia uterq; sub lege generati. Iubet ergo secundum legem solui, ut eos qui sub lege erant, redimeret. Et tamen staterem dari iubet, quo uectes imponerent ori suo, ne ex multiloquio peccatum admitterent. Et iubet dari in ore piscis repertum, ut agnoscerent uerbum. Qui enim quod legis est, exigebant: cur quod legis est, nesciebant? Verbum enim dei ignorare non debebãt:
Deut. 30 quia scriptum est: Prope est uerbum in ore tuo, & in corde tuo. Totum igitur didrachmum deo soluit, qui seculo nihil reseruauit. Deo enim iustitia soluitur, quę est mentis so-
Rom. 10 brietas. Deo soluitur sermonis custodia, quæ est sermonis sobrietas. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autẽ confessio fit ad salutẽ. Potest autem & drachma pro Veteri testamento accipi, didrachmum pro utriusq; testamenti precio, quia secundum legem unusquisq; per legem redimebatur. Qui autem secundum Euangelium redimitur, soluit drachmam secundum legem, sanguine redimitur Christi secundum gratiam, geminam habens redemptionem, & deuotionis & sanguinis. Nec enim fides sola ad perfectionẽ satis est, nisi etiã baptismatis adipiscatur gratiã, & sanguinẽ Christi redemptus accipiat. Bona ergo drachma quæ deo soluitur. Non est drachma denarius, sed diuersum est. De
niq; in denario imago Cæsaris est, in drachma imago dei, quia unius est dei, ad imitationẽ ipsius. Ab uno incipit, & in infinitũ diffunditur: & iterum de infinito numero in unũ
7 quasi in finem omnia reuertuntur: quia deus & principium & finis omnium est. Vnde nec numerum monada, sed elementum numeri quibus ea cura est appellauerũt. Et hoc
Apoca. 1 propterea diximus, quia scriptum est: Ego sum α & ω: primus, & nouissimus. &, Audi Is-
Deut. 6 rael: Dominus deus tuus deus unus est. Et tu ergo ad similitudinem domini unus esto atq; idem. Nõ hodie sobrius, cras ebriosus: hodie pacificus, crastina die litigiosus: hodie frugi, crastina die incontinens. Mutatur enim unusquisq; morum uarietate, & fit alter,
8 in quo non agnoscitur quod fuit, & incipit esse quod non fuit, sui degener. Graue est enim mutari in peius. sed esto sicut imago in drachma, immutabilis, eundem habitum seruans quotidie. Videns drachmam, attende imaginem: hoc est, uidens legem, attende in lege imaginem dei Christum. Quia ipse imago dei inuisibilis & incorruptibilis, luceat tibi uelut in speculo legis. Confitere eum in Lege, ut eum in Euangelio recognoscas. Si cognouisti in mandatis, recognosce in operibus. Vale, & si non infructuose didrachmũ istud commissum mihi arbitraris, iterum si quid habes, committere ne dubitaueris.

Sancti Ambrosii ad Simplicianum, explicantis quid sibi uelit quod Moyses post oblatum sacrificium, & immolatas domino salutares hostias, dimidiam partem sanguinis in crateras miserit, dimidiam autem ad altare fuderit. Epist. II

Exodi. 4 1 A Mbrosius Simpliciano. Motum te cùm legeres, significasti mihi, quid sibi uelit, quod Moyses post oblatum sacrificium, & immolatas domino salutares hostias, dimidiam partem sanguinis in crateras miserit, dimidiam autem ad altare effuderit. Sed quid est quod ipse dubites, & à nobis requiras, cùm fidei & acquirendæ cognitionis diuinæ gratia totum orbem peragraueris, & quotidianæ lectioni nocturnis ac diurnis uicibus omne uitæ huius tempus deputaueris, acri præsertim ingenio etiam inintelligibilia complectens? Vtpote qui etiam philosophiæ libros quàm
2 à uerò sint deuij demonstrare soleas, & plerosq; tam inanes esse, ut prius scribentium in suis scriptis sermo quàm uita eorum defecerit. Tamen quia collatio sermonis, ut pecuniæ, magno est usui, atq; ea maximus in commune emolumentum negociationis profectus paratur: quod mirabilis sit ista sanguinis diuisio, reticere non queo. Pars enim eius moralem sapientiæ disciplinam uidetur significare, pars mysticam. Illa quæ in crateras mittitur, moralis est: hæc quæ ad altare effunditur, mystica: eo quod diuino munere & aspiratione quadam humanis infundatur mentibus, ut conuenientia & fidei plena de deo sentiant. Deniq; qui locuti sunt de eius maiestate, & de cœlestibus, uel Apo-
1. Corin. 12 stoli, uel sancti Prophetæ, non nisi ex reuelatione demonstrata sibi loqui ausi sunt. Vn-
Acto. 7 de Paulus & raptum se in paradisum, & audisse se uerba quæ non licet homini loqui, in
Esa. 6 epistola sua testificatus est. Stephanus quoq; uidit cœlos apertos, & Iesum ad dexteram
Deut. 34 dei stantem. Et Esaias propheta uidit sedentem. Nam de Moyse quid loquar, de quo

dicit

dicit ſcríptura, quod non ſurrexit amplius propheta in Iſrael ſicut Moyſes, qui ſciuit dominum facie ad faciem in omnibus ſignis & prodigíjs quæ fecit in terra Aegypti? Myſtica ergo deo líbantur, qui ſplendore diuinæ ſapientiæ, cuius pater & genitor eſt, inflammat animæ uígorem, ac mentem illuminat. Sapientia autem dei Chriſtus, in cuius pectore recumbebat Ioannes, ut de principali illo ſecreto& ſapientiæ hauſiſſe diuina prodere tur myſteria. Deniq; ipſe conſcius muneris hoc ſcripſit, qui ſibi quod acceperat uíndicare, & ſuo aſſignare ingenio reformidabat. Sed & ipſe dominus dicebat Apoſtolis os ſuũ aperiens: Accípite ſpíritum ſanctum, quo declarauit ſe eſſe qui Moyſi dixerat: Ego aperiam os tuum, & inſtruam te quid debeas loqui. Ergo hæc ſapientia diuina inenarrabílis, impermixta atq; incorrupta ſanctorum animis ſui infundit gratiam, & cognitionem reuelat, ut ſpeculentur eius gloriam. Illa autem moralis ſapientiæ diſciplina eſt, quæ mittitur in crateras, & ex illis percípitur atq; hauritur. Crateres igitur ſenſuum receptacula. Crateres oculi ſunt duo, aures ſunt, nares ſunt, os quoq; & aliæ partes conuenientes muneri. Oculi enim uiſum recípiunt & miníſtrant, auditum aures, odorem nares, ora guſtatum, & cætera. In íſtos crateres uerbum illud in quo eſt príncipatus ſacerdotíj uel prophetiæ effundit ſanguinis ſui partes, ut uiuificet atq; animet irrationabíles portiones, & faciat rationabíles. Deniq; ubi Legis diuinæ præcepta numerauit atq; annunciauit populo, Theoriam poſtea intelligíbilis illius arcæ teſtimoníj uel candelabri uel thymiamatis locuturus, immolauit hoſtias & líbauit, ſanguinis partem infundens altaribus ſacris, partem autem infudit crateríbus. Fit ergo diuiſio myſticæ illius, hoc eſt, diuinæ moralisq; ſapientiæ. λόγος enim diuiſor eſt animarum atq; uírtutum. λόγος autem uerbum dei ualídum & acutum, quod pertranſit & penetrat uſq; ad diuiſionem animæ, uírtutes quoque diſtínguit & diuidit, cuius miníſter Moyſes diuiſione ſanguinis uírtutum genera diſtínxit. Et quia níhil præ cæteris in Lege, niſi Chriſti aduentus annunciatur, atq; eius præfiguratur paſſio, uide ne iſta ſit hoſtia ſalutaris, quam uerbum deus in ſemetipſo obtulit, atq; in ſuo immolauit corpore, quod primo moralem in Euãgelio, ſed etiam in Lege docuit diſciplinam, & in ſua patientia atq; in ipſo actu & opere monſtrauit, tanquam in crateras ita in mores noſtros ſenſusq; transfundẽs uelut ſubſtantiam quandã & uitalia ipſa ſapientiæ, quibus mentes hominum uiuificauit ad uírtutis ſemináriũ, & inſtituta pietatis. deinde accedens ad altare effudit hoſtiæ ſuæ ſanguinem. Itaq; ſiue ita hæc accipias, pius (ut arbitror) ſenſus eſt: ſiue ſecundũ Salomonẽ uelis, concurrit æquè, ut quia ſanguinem miſit in crateras Moyſes propheta, cognoſcas ipſum eſſe ſanguinem de quo ſcriptũ eſt: quia ſapientia miſcuit in cratere uínum ſuum dicens ut relinquerent inſipientiam, & quærerent ſapientiã. Hauritur ergo de cratere ſapientia, hauritur diſciplina, hauritur intellectus, hauritur correctio, hauritur uitæ emendatio, hauritur morũ & conſiliorũ temperatio, pietatis gratia, uírtutis incrementum, fons ubertatis. Quod uerò ad altare effundit ſanguinẽ, intelligere licet ablutionẽ mundi, remiſſionẽ omnium peccatorũ. Etenim ſanguinẽ illum ad altare quaſi hoſtiã effundit ad multorũ exhaurienda peccata. Agnus enim hoſtia eſt, ſed agnus non irrationabílis naturæ, ſed diuinę potentię, de quo dictum eſt: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccatũ mundi. Non ſolum enim mundauit ſanguine delicta uniuerſorum, ſed etiam diuina poteſtate donauit. An non tibi uidetur effudiſſe ſanguinem ſuum, de cuius latere ſupra ipſum paſſionis altare aqua cucurrit & ſanguis? Vale, & nos parentis affectu dílige, ut facis.

ἔγνω

Ioan. 13

Ioann. 20

Exod. 4

3

Hebr. 4

Prouer. 9

Hebr. 9

Ioan. 1

Díui Ambroſii ad Simplicianum, cauſam reddentis cur Moyſes propheta maxímus inueniatur magis Aaron fratris conſiliũ quàm ſuum probaſſe: Cur etiã tam difficile tamq; rarũ ſit pœnitentiã peccati gerere in hac uita homini. Epiſt. III

A Mbroſius Simpliciano. Quantus ſit unuſquiſq; in ſuo munere, exemplo debet eſſe lectio, quæ iure te mouit, quod Moyſes ille quo nemo præſentius deum uidit, neq; ſurrexit amplius in Iſrael propheta qui deum facie ad faciẽ ſicut Moyſes uideret, ille qui quadraginta diebus cum deo iugiter & noctibus fuit cùm Legẽ acciperet in monte: ille, inquã, cui deus dabat quos loqueretur ſermones, inuenitur magis Aaron fratris conſilium quàm ſuum probaſſe. Fuit ergo quiſquam hominum Moyſe prudentior & inſtructior? Atq; ipſum Aaron poſtea cum Maria circa Aethiopiſſæ perſonam legimus erraſſe. ſed hoc ipſum díligenter diſcute, ubi Moyſes ſcientia

Deut. 34

Exod. 34

præponderet,ubi Aaron consilio. Moyses magnus propheta, qui de Christo dixit: Si-
Deut.18 cut me,ipsum audietis.Et de quo ipse dominus ait:Si Moysen & prophetas non audiũt:
Luc.16 nec si quis ex mortuis ad illos abierit,credent.Ergo in causa prophetiæ præfertur Moy-
ses sicut propheta, ubi autem causa & munus & officiũ sacerdotij est, præfertur Aaron
Leui.10 sicut sacerdos. Tractemus ergo ipsum locum.Immolatus erat hircus pro peccato, & ob
latus in holocaustum. Quæsiuit eum postea Moyses, & combustus erat. Et iratus est
Moyses ad filios Aaron Eleazar & Ithamar,qui superfuerant,dicens: Quare non man-
1 ducastis quod oblatum est pro peccato in loco sancto? Quoniam quidẽ sancta sancto-
rum sunt hæc uobis manducare, ut auferatis peccatum synagogæ, & intus manducan-
dum esse,sicut mihi præceptũ est,ait.Cùm ergo iratum eum uidisset Aaron, placidè re-
spondit ei:Si hodie obtulerint pro peccato suo holocausta sua contra dominum,& acci
derint mihi talia,manducabo quod pro peccato obtulerũt hodie? nunquid placebit do-
mino? Et audiuit Moyses,& placuit illi.Quid ista significent, consideremus. Nihil pec-
care,solius est dei:emendare sapientis est, & corrigere erratum, & pœnitentiam gerere
peccati.Id tamen est difficile in hac uita hominum.Quid enim tam rarum,quàm ut inue
2 nias uirum qui seipsum coarguat, & factum condemnet suum? Rara itaq; confessio de
peccato,rara pœnitentia,rara in hominibus uerbi eius assertio. Repugnat enim natura,
repugnat uerecundia.Natura,quia omnes sub peccato: & qui carnem gerit, culpæ ob-
noxius est.Ergo repugnat natura carnis,& illecebra seculi innocentiæ integritatiq;.Re
pugnat etiam uerecundia,quia erubescit unusquisq; propriam culpam fateri, dum præ-
sentia magis quàm futura cogitat.Studebat autem Moyses peccati uacuam reperire ani
mam,ut exuuias erroris deponeret, & nuda culpæ sine ullo sui pudore discederet. Sed
3 non inuenit,quia cito impetus irrationabilis præuenit, & flamma quædã celerrimi mo-
tus animam depascitur,atq; exurit eius innocentiam. Præponderant enim futuris præ-
sentia,& uiolenta moderatis,& plura pauciorib⁹,& iucunda serijs,& asperis mollia,&
Psalm.13 tristibus læta, & illecebrosa rigidioribus,& præpopera tardioribus. Velox enim est ini
quitas,quæ ad nocendum occasiones suggerit, quia ueloces pedes eius ad effundendũ
sanguinem.Lenta autem uirtus omnis & diuturna cunctatrix antè iudicat, & adorien-
da inspicit.Ita mens boni,speculatrix consiliorum suorum est,priusq; examinat quid de
corum atq; honestum:iniquitas uerò opere cogitationem anteuertit.Pigra igitur & ue-
recunda est pœnitentia,quia premitur & reuocatur præsentium pudore. Solis enim in-
tendit futuris, quorum spes sera, tardior fructus, & ideo petitio ipsa tardior. Inter hæc
spei & uirtutis molimina præcurrit impudentia, & specie præsentium pœnitẽtia exclu-
ditur, & tanquam exuritur affectus eius, & huiusmodi aboletur inuitus. Quærit eam
lex,& non inuenit. Ambusta est enim feruore & fumo iniquitatis, & indignatio quæ-
dam legis mouetur. Dicit Moyses deuorandam fuisse pœnitentiam in sanctis sancto-
rum,sacerdotes quasi segniores increpat. Respondit Aaron, prouidũ debere esse iudi-
cium sacerdotale, nec facilè male sanæ conscientiæ committendum id muneris, ne fiat
error priore deterior. Vase enim fœtido uel oleum uel uinum facile corrumpitur ac de-
4 terioratur.Quomodo autem poterat ubi ignis alienus erat, peccatum exuri, & hoc sub
conspectu domini, cui & occulta sunt cognita? Nunquid potest placere domino si quis
cũ adhuc uersetur in iniquitatibus,& iniustitiã corde inclusam teneat, dicat se agere pœ-
nitentiam? Simile est,ac si quis æger se sanum simulet,magis ægrotabit:quia nihil ei pro
desse potest simulatio sanitatis,cùm uerbo adumbretur, non ullo fulciatur uirtutis subsi
dio:Ignis itaq; alienus est libido. Ignis alienus est omne iniustæ incẽdium cupiditatis.I-
gnis est alienus omnis ardor auaritiæ.Hoc igni nemo mundatur,sed exuritur. Nam ubi
iste ignis alienus est,si quis in cõspectu se offerat domini, ignis eum cœlestis absumit,si-
Leuit.10 cut Abiud & Nadab quos exussit ignis cœlestis pariter cum ijs quę pro peccato sacris
fuerãt oblata altaribus.Qui ergo uult mundare peccatum suum,ignem à se remoueat a-
lienum.Illi soli igni se offerat qui culpam non hominem exurit. Qui sit iste ignis, audi di
centem: Quia Iesus baptizat in spiritu sancto & igni. Hic est ignis qui siccauit hæmor-
Matth.3 rhousæ per duodecim annos sanguinem profluẽtem.Hic est qui peccatũ Zachęi absu-
Matth.9 lit dicentis quod dimidium bonorum suorum daret pauperibus,& si cui quicquã absu-
Luc.19 lit,redderet quadruplũ.Hic est ignis qui absterst culpã latronis. Ignis enim consumens

est qui

est qui dixit ei: Hodie mecum eris in paradiso. Illos itaq; sanauit, in quibus simplicem & puram reperit confessionem, nihil malignum, nihil fraudulentum. Denique ludas ad remedium peruenire non potuit, cùm diceret: Peccaui quod tradiderim sanguinem iustum: quia alienum ignem uoluebat in pectore, qui eum inflammauit ad laqueũ. Indignus enim remedio fuit, quia non intimo mentis conuersus ingemuit, nec sedulo gessit pœnitentiã. Tãtæ enim pietatis est dominus Iesus, ut & ipsi donaret ueniã, si Christi expectasset misericordiam. Hanc ergo culpam sacerdotes non auferunt, neq; peccatum eius qui in dolo se offert, & adhuc in studio delinquẽdi est. Nõ enim possunt epulari in eo quod plenum fraudis, & serpentis interius cicatricis est. Cibus enim sacerdotis est in peccatorum remissione. Vnde ait princeps sacerdotum Christus: Meus cibus est ut faciam uoluntatem patris mei qui in cœlo est. Quæ est uoluntas dei, nisi ea, cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris? In illo ergo subdolo cibus nullus est. Denique nec ipse epulandi suauitatem capere potest in quo non syncera & pura conscientia est. Amaritudo enim fraudis epulandi suauitatem obducit: nec permittit mala conscientia ut reficiat & pascat obnoxium animum pœnitentia. Ideo ergo talis affectus, talis petitio, talis pœnitentia non est usui aut uoluptati sacerdotibus. Meritoq; hircus ille qui pro peccato oblatus est in holocaustum, quia non fuit syncera hostia, exustus est, quia in eius sacrificio ignis alienus repertus est. Non est itaq; complacitum & acceptum sacrificium deo. Non est enim acceptum, nisi quod fuerit in diuitijs sinceritatis & ueritatis probatum. Ideo & alibi legis duos hircos, unum in quo sors domini, alterum transmissionis. Illum in quo sors domini, offerri atq; immolari pro peccato: illum uero in quo sors transmissionis, dimitti in desertum, ut accipiat populi iniquitates, uel alicuius peccatoris. Sicut enim duo sunt in agro, & unus eorum assumitur, alius derelinquitur: ita sunt duo hirci, unus qui ad sacrificium est utilis, alius qui in desertum dimittitur. Hic nulli usui, neq; edendus, neque epulandus à sacerdotum filijs. Sicut enim ex ijs quæ alimentorum sunt, quod bonum est editur, quod inutile aut malum, proijcitur: ita & bona opera epulatoria dicimus, quæ sunt usui. Non placebit ergo domino si manducet sacerdos sacrificium in quo fraus sit oblationis, non sedulæ confessionis sinceritas. Et ideo hircus iste in desertum dimittendus est, ubi errauerunt patres nostri, errauerunt in eo, & non potuerunt ad resurrectionis terram peruenire, sed interijt à terra memoria eorum. Denique quæ sint epulatoria opera, audi: Et erunt sabbata terræ uobis escæ. Epulatoria enim & refectoria requies in deo, quæ facit animi tranquillitatem. Vnde & nos etiam in sermone requiescamus. Vale, & nos, ut diligis dilige: quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Irenæum, declarantis quomodo intelligendum sit quod in Exodo legitur: Abominãda apud Aegyptios immolemus deo. Qualibus præterea ductoribus, & qua uia ad ecclesiam Christi perueniatur, qui illam ingrediantur, & quid eis in ipsa sit agendum. Epist. IIII

Mbrosius Irenęo. Moueri te significasti mihi eo quod legeris, Abominanda apud Aegyptios immolemus deo. Sed habuisti quo istud solueres, quia in Genesi scriptum est quod Aegyptij pastorem pecorum abominabantur. Nõ utiq; propter hominem, sed propter pecora. Illi enim aratro terram inuertebant. Abrahã autem, & Iacob, & postea Moyses, Dauid, pastores fuerunt, regalem quandam in hoc munere disciplinam inuentes. Oderant ergo Aegyptij immolata sacrificia, id est perfecta studia uirtutũ, & plena disciplinæ. Quod ergo uitiosi oderunt, hoc apud bonos syncerum ac piũ est. Opus uirtutis detestatur luxuriosus helluo, refugit Aegyptius: ita corpus quod illecebras diligit, auersatur animæ uirtutes, abominatur imperium, refugit uirtutũ disciplinas, & omnia opera quæ huiusmodi sunt. Quę ergo Aegyptius refugit, Aegyptius ille & non homo, hæc tu amplectere, qui habes humanitatis scientiã. Illa autem declina quæ illi sequuntur atq; eligunt, quoniã duo sibi ista congruere non possunt prudentia, & insipientia. Itaq; sicut ijs quæ in quodam censu imprudentiæ atq; intemperantiæ sunt, abdicat se prudentia, abdicat continentia: ita eorum omnis exors insipiens est atq; incontinens, quæ in bonis atq; in hæreditate sapientis uiri sunt & continentis. Denique sanctæ illæ tali coniugio Lia & Rachel, una laboriosa, altera aspiratio fortis, refugientes non generis necessitudinem, sed morũ discrepantiam, cùm uiri exerciti Iacob

Matth. 27

Ioann. 4
Esa. 30. iux. 14
70

Leui. 10
5

Matth. 14

A

Exod. 8
Gene. 46
1

Gene. 29

sermone edoctæ essent quod uellet discedere, ut Laban & filiorum eius inuidiam declinaret atque ignauiam, responderunt: Nunquid est nobis portio aut hæreditas in domo patris nostri, & non sicut alienæ existimamur ei? Vendidit enim nos, & deuorauit precium nostrum. Ecce primum, quia ignauus & inuidus laboriosam & disciplinæ tenacem alienat à se ac defugit, seseq; cupit separare: quoniam eas oneri esse cernit sibi, & putat se lucrum fecisse quod alienauit eas, & hoc esse suum precium iudicat, eumq; fructum uoluptatis suæ. Nunc audiamus quomodo quæ habet uirtus, non habeat ignauia. Aiunt enim, omnes diuitiæ & gloria, quam tulit deus patri nostro, nobis erit, & filijs nostris. Merito deo arbitro dicunt esse sublata, quia ipse est author bonorum, cuius gratia ignaui exuuntur, quia decorem hæreditatis diuinæ capere improbi atque infirmi non queunt, succedit autem intentus, & spiritum in se fortis habens. Quis autem fortis nisi solus deus, qui omnia coercet & regit? His ergo debetur hæreditas dei. Vnde & Esaias dicit: Est hæreditas credentibus in domino. Et pulchrè ait: Est hæreditas. ipsa enim sola hæreditas est, alia non est. Neq; enim cæcus thesaurus, hæreditas est, neq; caduca omnia hæreditatis habent commodum. Sola est illa hæreditas, in quibus est portio deus. Vnde sanctus domini dicit: Portio mea dominus. Et alibi: Hæres factus sum testimoniorum tuorum. Videas quæ possideat iustus, mandata dei, oracula eius, præcepta eius. In his dives est, in his pascitur, in his delectatur, quasi in omnibus diuitijs. Hæc ergo possidentes Lia & Rachel, opes patrias non requirebant, in quibus erat pecunia adultera, irrationabilis species, & spiritualis expers uigoris. Deniq; quasi diuites & liberæ nõ eum diuitem, sed egentem arbitrabantur. Omnis enim bonarum & liberalium consors disciplinarum neminem insipientium diuitem putat, sed inopem atque egenum, abiectum quoq;, & si regalibus diuitijs affluat, & superbus auro suam iactet potentiam. Fugienda est igitur talium societas, & si aliqua generis copulentur necessitudine. Noxiæ sunt enim conuersationes cum insipientibus, & inficiunt sobriam mentẽ ac decolorant: quia sicut adhærens sancto sanctus eris: ita cum peruerso peruersus eris. Frequenter enim accidit ut quis contra propositum suum intemperantem audiens, cùm uelit ipse continentiæ disciplinam tenere, fuco insipientiæ coloretur, meritoq; contrariæ sibi sunt & repugnantes, disciplina atq; insolentia. Vnde cùm uir exercitatus earum sententiam quæreret, uocem emittunt probatæ iam diuturno exercitio uirtutis. Nunquid est nobis portio aut hæreditas in domo patris nostri? Id est, consulis nos utrum uelimus ab eo recedere? Quasi uerò non cognoueris quod nullam habeamus cupiditatem eius societatis, neq; nos dulcis pluribus secularium diuitiarum cupiditas teneat, aut lætitia luxuriæ: Hæc sunt quæ nos misera & aliena nobis duximus: Hæc sunt quæ plena inopiæ atq; egestatis arbitramur. Adijciunt etiam causam secessionis, quia ueram gloriam, & boni thesauri copias amisit Laban, in quibus maximus uigor datus est mentis, & bona monita imaginis dei & similitudinis, quia spiritualem monetam amisit, quia splendida magis seculi elegit, quàm uera & utilia uitæ suæ: quorum decor expertem diuinorum bonorum præterit: quoniam ille quæ putat pulchra, in ijs se fallit ipsum & decipit. Vnde audi eius uerba & iudicia. Secutus sanctum Iacob, & filias suas, ne forte apud eas suorum uitiorum reperiret aliquid, & reuocandi ad se haberet authoritatem, coarguens iustum, cum ratione esset redargutus, & nihil respondere ac referre posset, quo eum deberet tenere: Si annunciasses, inquit, mihi, emisissem te. In quo prodidit quid iustus fugerit, ne eum prosequeretur, ne deduceret, ne tali comitatu stipatus procederet. Primum quod multorum dominorum mancipio se subijcere non debuit, ut ab eo tanquam seruulus dimitteretur. Deinde quia uir exercitio intentus, & quærens ueram uiam ad uirtutem per sequendam, nõ hominem deductorem, sed oracula quæsiuit cœlestia: Quæ me, inquit, hinc præceperunt abire, & nunc comitantur uiantem. Sed quomodo me dimisisses? An cum lætitia tua, quæ plena est mœstitudinis, cum typanis scilicet atq; organis immoderata modulantibus, & sonis tibiarum suauibus, insuauia resultantibus sonis dissonis, crepitibus discrepantibus, uocibus mutis, cymbalis animam ferientibus? His me delectari posse credidisti? his reuocari? Hæc sunt quæ ego fugi: nec uereor uerborum tuorum inuidiam. Fugi, ne me talia sequerentur, ne quid de tuis accipiens abirem. Non enim talibus deductoribus ad Ecclesiam Christi peruenitur, ad quam tendebat Iacob, ut eò deduceret

Gene. 31

Esa. 53

Psalm. 118

2

3

4

Gene. 31

5

duceret populorum copias, inueheret nationum diuitias, posteritatem infunderet, fugiens umbram manium rerum, præferens insensibilibus simulachris uirtutum spirantē 6
decorem, plausibilibus præponens seria. Vides enim quemadmodum conuiuia gentiles adornent, festa annuncient, sed ea pijs mentibus infestiora sunt: quia ijs plericq; decipiuntur, dulcibus capiuntur epulis, capiuntur saltantium choris, dum ieiunia nostra fugiunt, dum ea sibi aspera putant, dum corpori noxia & molesta arbitrantur. An opinatus es quia aurum tuum desiderarem? Sed non habes aurum igne examinatū, quo iusti probantur. An quia argentum cuperem? Sed non habes argentum, qui non habes splendorem alloquij cœlestis. Sed fortasse speraui quod adijceres mihi ad obsequiū seruulos tuos. Ego uerò liberos quæro, fugio seruos peccati. Sed forte comites itineris & duces uiarum necessarij fuerunt. Vtinam sequi possent, ego illis monstrarem domini uias. Sed qui deū nescitis, uias eius quomodo nouistis? Vias eius ingrediuntur electi à domino. Non quicunq; intrant eas, sed tamē nemo excluditur. Sequatur qui paratus est, ingrediatur uiam quæ ducit ad Mesopotamiā, ut qui eam petit, per aquas transeat, aquas Tigris atq; Euphratæ, fortitudinis atq; iustitiæ, per lachrymas pœnitentiæ, baptismum gratiæ. In ea est uirtus exercitus dei. Omnes enim qui sunt in Ecclesia, deo militāt. In ea est grex ille insignis diuersarum uirtutum, quem Iacob sibi elegit. Omnis enim sine signo anima, indocta inerudita est, disciplinarum nescia. quæ autem insignita, eadem diues opum, & gratiarum opima. Ad eam qui uenit, iratum fratrem reconciliet prius. Ad eam qui uenit, Sichimam preciosam illam & actuosam inhabitet uirtutum officinam, ubi læsæ castitatis grauis est ultio. Ad eam qui uenit, luctetur cum deo, ut ad imitationem eius se exerceat, ad humilitatem Christi & passiones eius cōgrediatur. Tollat crucem suam, Luc. 9
& Christum sequatur. Denique bonus congressor non æmulatur, non inflatur, imò etiam benedicit congredientem sibi tali munere. Sequamur ergo sanctum Iacob, & uias eius, ut perueniamus ad eas passiones, ad eas congressiones, perueniamus ad murum, perueniamus ad patientiam matrem fidelium, & ad patrem Isaac, id est iucunditatis capacem, lætitiæ redundantem. Vbi iam patientia, ibi lætitia: quia post tribulationes patientia, patientia autem probationem operatur in qua est spes, de qua non confundimur: quoniam qui non fuerit confusus crucem Christi, nec Christus confundetur in eo. Vale fili. & non erubescas patrem interrogare: qui non erubescis in passionibus Christi gloriari.

Diui Ambrosii ad Fœlicem Comensem episcopum, se & lectione sermonis illius & spe futuri aduentus refocillatum asserentis, simulq; ut uenire non negligat adhortantis

Epistola V

AMbrosius Felici Comensi episcopo. Etsi habitu corporis minus ualebam, tamen ubi sermonem unanimis mihi pectoris tui legi, non mediocrem sumpsi ad conualescendum gratiam, quasi quodam tui alloquij polio refotus, simul 1
quia celebrem utriq; nostrum annunciasti diem affore, quo suscepisti gubernacula summi sacerdotij, de quo ante monumentum cum fratre nostro Bassiano loquebar. Ortus enim sermo de Basilicæ, quam condidit Apostolorum nomine, dedicatione, dedit huic sermoni uiam. siquidem significabat quod sedulo tuæ quæreret sanctitatis præsentiam. Tum ego nostris fabulis intexui diem natalis tui, qui foret in exordio ipso calendarum Nouembrium, eumq; (si non fallerer) appropinquasse, & crastina celebrandum die, unde posthac non excusaturum promisi. Ergo de te, quoniam & tibi id de me licet, promisi illi, exegi mihi. Præsumptum enim habeo quod affuturus sis, quia debes adesse. Non ergo te magis meum promissum tenebit, quàm tuum institutum, qui id in animum induxeris, ut quod oportet facias. Aduertis itaque quia non tam promissi audax, quàm tui conscius fratri spopōdi. Veni igitur, ne duos sacerdotes redarguas: te, qui non affueris: & me, qui tam facile promiserim. Natalem autem tuum prosequemur nostris orationibus, & tu nostri in tuis uotis non obliuiscaris. Te noster spiritus comitabitur, tu quoque cùm ingredieris secundum tabernaculum quod dicitur sancta sanctorum, facito nostro more, ut nos quoque tecum inducas cum spiritu. Adolens aureū illud thymiaterion, nos ne intermiseris. Ipsum est enim quod in secundo tabernaculo est, de quo plena sapiētię oratio tua sicut incensum dirigitur ad cœlestia. Ibi arca testamenti undiq;

auro tecta, id est, doctrina Christi, doctrina sapientiæ dei. Ibi dolium aureũ habens manna, receptaculum scilicet spiritalis alimoniæ, & diuinæ promptuarium cognitionis. Ibi uirga Aarõ insigne sacerdotis gratiæ quæ aruerat antè, sed in Christo refloruit. Ibi cherubim super tabulas testamẽti, lectionis cognitio sacræ. Ibi propiciatorium, supra quod
Gene. 25 in excelsis deus uerbum est, imago inuisibilis dei, quod tibi dicit: Loquar tecum desuper propiciatorium de medio duorũ Cherubim. Sic enim loquitur nobiscũ, ut nos eius
Psalm. 77 sermonem intelligamus: uel quia non mundana, sed intelligibilia loquitur, sicut ait: Aperiam in parabolis os meum. Vbi enim Christus, ibi omnia, ibi doctrina eius, ibi pecca
Num. 16 torum remissio, ibi gratia, ibi separatio mortuorum ac uiuentium. Et Aaron quidem semel stetit in medio eorum obijciens se, ne mors transiret ad uiuentium agmina à funeribus mortuorum. Hic autem quasi uerbum semper stat in singulis, quem nos non uidemus intra nos, separãs rationabiles uirtutes à cadaueribus passionum letalium, & pestilentium cogitationum. Hic stat quasi qui in hunc mundum uenerit ut aculeũ mortis hebetaret, deuoratorium eius obstrueret, uiuentibus æternitatem gratiæ daret, defunctis
Deut. 15 resurrectionem concederet. Huic tu miles militas bonam militiam, huius depositum custodis, huius pecuniam fœneras, secundum quod scriptum est: Fœnerabis gentibus. Bonum fœnus spiritalis gratiæ, quod ueniens dominus cum usuris exiget, & cùm te bene dispensasse inuenerit, dabit tibi plura pro paucioribus, eriscq; mihi fructus dulcissimus, quod meũ in te iudiciũ cõprobabit. Ordinatio nõ reprehendet, quam accepisti per impositionẽ manuũ mearũ, & benedictionẽ in nomine domini Iesu. Fac ergo bonũ opus,
Luc. 10 ut in illo die mercedẽ inuenias, & ego in te, & tu in me requiescamus. Multa messis Christi, sed pauci operarij, & difficilè reperiunt qui adiuuẽt. Verũ hoc uetus, sed potẽs est dominus qui mittat operarios in messem suã. Certe in illo ordine Comensiũ iam plerique cœperunt credere magisterio tuo, & do[illegible]a tua uerbum dei receperunt, sed qui dedit credentes, & adiutores dabit, quo & [illegible] excusandi auferatur necessitas, quod serius nos inuiseris: & mihi crebrior tuæ præsentiæ refundatur gratia. Vale, & nos dilige, ut facis.

Diui Ambrosii ad Irenæum, pythagoricum mandatum commemorantis, quo ille discipulos suos communem atq; usitatam populo uiam ingredi prohibuit: & ut idem à sacerdotibus obseruetur, multiplici ratione persuadẽtis. Epist. VI

AMbrosius Irenæo. Pythagoricum mandatũ in aliquorũ scriptis prędicari inuenimus, quo ille discipulos suos communẽ atq; usitatã populo prohibuerit ingredi uiam. Sed hoc unde assumpserit, nõ est incognitum. Nam cùm ex
1 populo Iudæorũ (ut plerique arbitrantur) genus duxerit, ex eius disciplina deriuauit etiã magisterij præcepta, meritoq; magnus apud philosophos habitus, æqualẽ (ut aiunt) uix
Exod. 3 reperit. Legerat itaq; in Exodo Moysi diuino preceptũ esse oraculo: Solue calciamentũ pedum tuorum. Id etiam præceptũ Iesu Naue uidelicet ut detritæ & popularis uiæ deponerẽt puluerem, qui uiam domini ambulare desiderarẽt. Legerat præceptũ eidem Moysi, ut montem cum sacerdotibus ascenderet, populus autẽ deorsum staret. Separauit igitur sacerdotes à populo, & postea ipsum Moysen introire intra nubem præcepit. Vides diuisiones? Nihil in sacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil cõmune cum studio atq; usu & moribus inconditę multitudinis? Sobriam à turbis grauitatem, seriam uitam, singulare põdus dignitas sibi uindicat sacerdotalis. Quomodo enim potest obseruari à populo qui nihil habet secretum à populo, dispar à multitudine? Quid enim in te miret si sua in te recognoscat, si nihil in te aspiciat q̃d ultra se inueniat, si quæ in se erubescit, in te quem reuerendũ arbitrat offendat? Superegrediamur igit plebeias opiniones, & strata quædã gregalis cõuersationis, ac detritæ uiæ orbitas declinemus, ac uulga
Iob. 9. ris semitæ solum, quã currit ille cuius uita leuior cursore, de quo dicit: Trãsiuit, & non uidit. sed quæramus nobis uiam inaccessam sermonibus insolentiũ, inuiã operibus imperi
iuxta 70 torum, quam nullus maculosus deterat, maculosus scilicet ignauię sue sordibus, & simo
2 iniquitatis oblitus, tenebrisq; & parietinis quibusdã animæ ruinosus, qui nullã uirtutis suauitatẽ gustauerit, aut certe limis eam spectandã magis quàm directo affectu, & aperto sinu mentis suscipiendam arbitratus sit (& quod plerique amant, qui sibi faceti atq; urbani uidentur, pulchritudinem sapientiæ in dedecus uersutię transfigurantes) uerã non intuens gratiam, tanquam in nocte positus non credit in die uiuẽtibus: quia de numero

Themano-

Themanorum & Sabæorum est deficientium & auertentium se â ueritate, de quibus dicit Iob: Videte uias Themanorũ, & semitas Sabæorũ, quia confusionẽ incident qui in ciuitatibus & diuitijs spem habẽt. Ita & uos insurrexistis in me sine misericordia: Vnde uiso uulnere meo timete. Has igitur deuias semitas declinantiũ, & illum deficientiũ pulue rem, qui propter suã appetentiã ceciderũt sæpe in deserto, derelinquamus. Cõuertamur autem, & sequamur sapiẽtiæ uiam quam nõ calcauerũt filij glorificantiũ se & iactantiũ, quam interitus ignorat, mors nescit, quia deus direxit eã. Abyssus dixit, nõ est in me: ma re dixit, non est mecum. Sed si quæris uiam sapientiæ & disciplinæ, colere deum, atq; ei subditũ esse, sapientia est: abstinere autẽ à peccatis, disciplina est. Quid igitur nobis cum istius seculi uia, in qua est tentatio, imò ipsa uita hominis tentatio est, & exilior quàm ser mo fabularũ, habitare in luteis domibus, dies & noctes in lucris ponere, & de lucris sem per cogitare, & sicut mercenarius diumã mercedẽ quærere, atq; (ut cicadas aiunt) aura quadam pasci cupiditatũ? Vere sicut cicadas, quia de die in diem uiuũt, quæstuq; rũpun tur suo. Quid enim aliud sunt homines nullius põderis, nullius disciplinæ, nisi ut uidean tur sicut cicadæ, ad mortem nati diurnam, strepentes magis quàm loquẽtes? Qui sub ar dore feruentium cupiditatũ se mulceant cantu sibi noxio, statimq; occidant, nullũ fru ctum ferentes, nihil habentes gratiæ. Horũ igitur uiæ noxiæ, tortuosæq; serpentium, qui uenenato lapsu corporis sese trahunt, atq; in spirã nequitiæ sese colligũt, & erigere non queunt ad cœlestia. Ingrediamur autẽ portas domini, portas iustitiæ, quas iustus qui fue rit ingressus, confitetur domino. Sed hæc paucorũ ingressio. unde dominus ait: Quia an gusta porta, & arcta est uia quæ ducit ad uitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Lata au tem porta & spatiosa uia quam multi gradiuntur, ad mortem dirigit, & uiatores suos eò ducit. Sit ergo uia nostra angustior, uirtus exuberãtior, trames pressior, fides sublimior, callis arctior, uigor mẽtis exundans, semitę rectæ, quia inflexibilia sunt uirtutũ uestigia. Vnde Salomon: O qui dereliquerũt semitas rectas. Sit gressus ad superiora, quia melius est ascẽdere quàm descẽdere. Deniq;, sicut lectũ est hodie: Væ ijs qui descendũt in Ægy ptum. Non utiq; transire in Ægyptũ, criminosum est: sed transire in mores Ægyptiorũ, transire in eorũ perfidiam, escæ cupiditatem, luxuriæ deformitatẽ, qui eò transit, descen dit: qui descendit, cadit. Declinemus itaq; Ægyptium hominem, & non deum. Vitijs e nim suis etiam ipse rex Ægyptiorũ in potestatem est datus, cuius comparatione Moy ses deus existimatus est, imperans regnis, subijciens sibi potestates. Vnde ei dictum legi mus: Faciam te in deum regi Pharaoni. Vale, & nos, ut facis, quasi filius dilige.

Iob. 6

Ibidem. 28

3
4
5
6

Psalm. 99
Matth. 7

Prouer. 2

iuxta 70
Esaiæ. 31

Exod. 7

FINIS.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS

EPISCOPI EPISTOLARVM LIBER II

Diui Ambrosii ad Simplicianum, eleganter de uera libertate ac etiam seruitute disputantis, fortissimisq; argumentis solum sapientem uera libertate gaudere, & omnem insipientem seruum esse comprobantis, atq; ad illam amplectendam plurimum cohortantis. Epist. VII

AMbrosius Simpliciano. Proximè cum ueteris amoris usu familiaris inter nos sermo cederet, delectari te insinuasti mihi cùm aliquid de Pauli Apostoli scriptis coram populo ad disputandum assumerem, quod eius profundum in consilijs uix comprehendatur, sublime in sententijs audientem erigat, disputantem accendat: tum quia in pleriscq; ita se ipse suis exponat sermonibus, ut is qui tractat, nihil inueniat, quod adijciat suum, ac si uelit aliquid dicere, Grammatici magis quàm disputatoris fungatur munere. In eo tamen, tum quoniam & ueteris affectũ amicitiæ, & quod plus est, paternæ gratiæ amorem recognosco: (nam uetustas habet aliquid cum pluribus cõsociabile, patrius amor non habet:) tum quia nõ ieiune me feciſſe iam quod postulas arbitratus es, parebo uoluntati

uoluntati tuæ:admonitus præsertim & prouocatus exemplo meo,quod mihi non difficillimum,quia nõ magnũ aliquem sed me ipsum imitabor,cùm in meos nõ magnos aliquos usus reuertor.Et de cõsilijs quidẽ,cùm beatę uitę imago atq; effigies nostro sermone exprimeretur,putamus eam factã complexionẽ,ut plurib.fortasse alijs,tibi certe amanti nostri nõ improbemur,licet difficilius sit tuo iudicio quã pluriũ nõ displicere:Sed iudicij pondus affectu ableuas,eoq; mihi blãdior.Hæc aũt epistola quoniã te absentem offendit,de sententijs Pauli est Apostoli,qui nos à seruitute in libertatẽ uocat,dicens:Precio empti estis,nolite fieri serui hominũ:ostendens libertatẽ nostrã in Christi esse sapientia.Quæ sententia magno à philosophis fluctuata atq; iactata est disputationis molimine,dicẽtibus quia omnis sapiẽs liber, omnis autẽ insipiens seruiat. Sed multo hoc prius Dauid filius dixit,qui ait:Stultus sicut luna mutat. Sapiens enim non metu frangit, non potestate mutatur,non attollitur prosperis,non tristibus mergitur. Vbi enim sapientia, ibi uirtus animi,ibi constantia & fortitudo.Sapiens ergo idẽ est animo, nõ minuit,non augetur rerum mutationibus:nec ut paruulus fluctuat,ut circunferatur omni uento doctrinę,sed manet perfectus in Christo,fundatus charitate,radicatus fide. Sapiẽs ergo defectus rerũ ignorat,& uariũ animum nescit,sed fulgebit sicut sol iustitiæ,qui in regno patris sui fulget. Vnde tamen hoc plenius hauserit philosophia, de qua patrũ disciplina & prudentia,cõsideremus.Nónne primus Noe cum aduertisset quia insipienter filius suus Cham riserat nudatũ patrẽ,maledixit ei dicens: Maledictus Chã,seruus domesticus erit fratribus suis,& præposuit ei fratres eius dominos,qui sapienter patris senectutẽ honorandam putarũt? Nónne etiã fons ille disciplinarũ omniũ Iacob, ubertatẽ disputationis huius omniũ pectoribus infudit,qui sapientię merito prælatus est fratri seniori? Deniq; pater pius qui inter duos filios affectu certaret paterno,sed discreparet iudicio(affectus enim necessitudine fertur,meritis autẽ iudicia formant) cũ diuideret alteri gratiã, alteri misericordiam: sapienti gratiã,insipienti misericordiã, quia ad uirtutẽ se propríjs uiribus erigere non poterat,nec spontaneum gressum attollere, benedixit eum ut seruiret fratri suo,& esset ipsius seruus: ostendens ita deteriorem esse seruitute insipientiã,ut remedio ei seruitus sit,quia stultus regere se non potest: & nisi moderatorem habeat, præcipitatur propríjs uoluntatibus.Diligens ergo pater & cõsulens, seruum eum fratris sui fecit, ut eius regeretur cõsilio. Ideo inconsultis populis sapientes quiq; adhibentur rectores, qui plebeiam insipientiã uigore proprio regant,ut potentiæ specie dominẽtur,quo uel inuitos authoritate potestatis subijciant ad obediendum prudentioribus,& obsequendum legibus.Imposuit igitur insipienti uelut indomito iugũ,& cui in gladio suo uiuendum dixerat,libertatem negauit,ne temeritate laberetur:præfecit ei fratrẽ,cuius authoritate et moderatione subiectus proficeret ad conuersionẽ.Et quia seruitus habet discretionem(Est enim necessitatis infirmior,uolũtatis fortior,quia pulchrius est bonũ,quod non ex necessitatẽ fit,sed ex uoluntate)ideo ei primo iugũ imposuit necessitatis,postea benedictionem ei uoluntariæ subiectionis impertiuit.Non igitur natura seruũ facit,sed insipiẽtia:nec manumissio liberum,sed disciplina.Deniq; Esau liber natus est, & seruus factus est,Ioseph uenditus in seruitutem est,& electus est ad potestatem,ut suis emptoribus imperaret.Non dedignabatur tamen obsequium sedulitatis,sed tenebat uirtutis fastigium,conseruabat libertatem innocẽtiæ,integritatis authoritatẽ. Vnde pulchrè Psalmista ait:In seruum uenundatus est Ioseph,humiliauerunt in compedibus pedes eius.In seruum,inquit,uenundatus est,nõ seruus factus.Humiliauerũt pedes eius,non animam eius.Quomodo enim humiliata est anima, de qua dicit:Ferrum pertrãsiuit anima eius? Nam cùm aliorum animas peccatum transeat(ferrũ enim peccatũ est, quod est penetrabile)Ioseph sancti anima ita non patuit peccato,ut magis peccatũ ipsa penetraret.Denique nec herilis illecebræ flexus est delinimento: nec immerito flãmas non sensit libidinis,quia maiorem diuinæ flagrabat ardorem gratiæ. Vnde & hoc pulchrè de eo dictum est:Quia eloquium domini ussit eum, quo restinxit ignitas diaboli sagittas.Quomodo hic seruus,qui erudiuit principes populi in illa frumentaria dispensatione, ut futuræ inopiæ consulerẽt,& prouiderẽt? Aut quomodo seruus, qui totam terrã acquisiuit,& uniuersum populum Ægyptiorum in seruitutem redegit? Non ut conditionẽ seruitij ignobilis irrogaret, sed ut tributum constitueret, præter possessionem tamen sacerdotalem,

1 1.Corin.7 2 Eccles.23 Matth.13 3 Gene.9 4 Gene.25 Gen.27 Psalm.104

quam

quam à tributis immunem reseruauit, ut apud Ægyptios quoq; inuiolabilis haberetur religio sacerdotalis. Non fecit igitur eum seruum uenditio. Nam utiq; negociatoribus erat uenditus. Verùm si precium spectes, multos inuenies qui emerũt sibi puellulas formæ elegantioris quarum amore capti turpi seruitio sese dederunt. Videbatur Apeme 3.Esdræ.4
concubina Darij regis sedẽs ad dexteram eius auferẽs de capite eius diadema, & suo imponens uertici, palmis faciem eius sinistra manu uerberans, quam rex aperto ore intuebatur, gaudens si quando arrideret ei mulier: quod si ea indignaretur, miserum se atq; afflictum putare, ut potestate submissa blanditias obtexeret, & conciliari sibi eam deprecaretur. Sed quid ista magno allegamus ambitu? Non uidemus plerunq; in potestatem piraticam uel immanium Barbarorum redactos parẽtes à filijs redimi? Nunquid leges pecuniæ potiores quàm leges naturæ? Nũquid in seruitute accersitur pietas? Plericq; emptores leonũ sunt, & tamen non dominantur leonibus, sed ita subijciuntur uersa uice, ut si exasperatos eos excutere ceruice toros uiderint, fugiant & delitescant. Nihil ergo præ 5
iudicat pecunia, quæ plerunq; sibi dominos emit: nihil tabulæ auctionales, quibus emptor frequenter adiudicatur atq; addicitur. Contractus non mutat genus, nec sapientiæ libertatem adimit. Denique famulo sapienti multi (ut scriptum est) seruiunt liberi, & est Eccles. 10
seruus intelligens qui regat dominos stultos. Quem ergo magis liberum censes? Sola Prouer. 17
est sapientia libera, quæ diuitibus pauperes præficit, & quæ seruos propriis fœnerare dominis facit, fœnerare non pecuniam, sed intellectum, fœnerare talentum illius dominici æterniq; thesauri qui nunquam corrumpitur, cuius & usura preciosa est, fœnerare illud Deut. 15
intelligibile eloquiorum argẽtum cœlestium, de quo Lex dicit: Fœnerabis gentibus, tu autem non mutuaberis. Quod Hebræus fœnerauerit gentibus, ipse autem nõ accepit à
populis doctrinam, sed tradidit, cui aperuit dominus thesaurũ suum, ut gẽtes pluuia ser- 6
monis sui faceret humescere, & fieret princeps gentium, ipse autẽ supra se principẽ nullum haberet. Liber est ergo qui sapiens est, precio emptus oraculorum cœlestium: illo auro, illo argento emptus sermonis diuini, precioq; emptus sanguinis: (non enim minimum est emptorẽ agnoscere) precio emptus gratiæ, qui audiuit & intellexit dicentem: Esaiæ. 55
Qui sitis, ite ad aquã: & quicunq; nõ habetis argentũ, ite, emite, & bibite, & mãducate.
Liber est ille, qui progrediens in bellum, si uiderit mulierem bonam aspectu, & prędatus opes inimicorum suorum, repertam illic concupierit eam, demptis superfluis, & indumento captiuitatis detracto, in uxorẽ eam sibi copulauerit, iam non seruam, sed liberam. intelligit enim famulatui prudentiã & disciplinã nõ subiacere. Ideoq; Lex dicit: Nõ Iob. 28
uenundabitur pecunia. Omne enim precio sum non est dignũ. Et Iob dicit: Attrahe sapientiam in interiora. Non illi comparabitur Aethiopiæ topazion, quod auro habetur
argentoq; preciosius. Sed non ille solum liber qui dominum licitatorem nõ pertulit, aut 7
tollentem digitum non uidit, sed ille magis liber, qui intra se liber est, qui legibus naturę
liber est, legem sciens naturæ præscriptam esse moribus, non conditionibus, & mensurã officiorum cõsentaneam non hominis arbitrio, sed naturæ disciplinis. Vtrum igitur iste liber tibi tantũmodo, an quidam censor uidetur, & præfectus moribus? Vnde uere ait scriptura, quia pauperes diuitum præpositi erunt, & priuati utiq; administrantium. An
tibi liber uidetur qui pecunia suffragium sibi emit? qui plausum populi magis quàm iu- 8
dicium requirit prudentium? Ille ergo liber est qui popularibus auris mouetur? Ille qui reformidat sibilũ uulgi? Sed non ista libertas, quam manumissus accipit, & palma lectoris donatus acquirit. Non enim munificentiam, sed uirtutẽ libertatem esse arbitror, quæ non suffragijs defertur alienis, sed magnanimitate propria uindicatur ac possidetur. Sa-
piens enim semper liber, semper honoratus, semper is qui præsit legibus. Denicq; iusto 1.Tim.1
non est posita lex, sed iniusto. Iustus enim ipse sibi lex est, nõ habens necesse longius sibi Rom.2
arcessere formam uirtutis, quã corde inclusam gerat, scriptũ habens opus legis in tabulis
cordis sui, cui dictũ sit: Bibe aquam de tuis uasis, & de puteorum tuorũ fontibus. Quid Prouer. 5
enim nobis tam proximũ quã dei uerbum? Hoc est uerbum in corde nostro, & in ore nostro, quod non uidemus & tenemus. Sapiens ergo liber, quoniam qui ea facit quæ uult, liber est. Sed non omnis bona uoluntas, sed sapientis est omnia quæ bona sunt uelle. Odit enim malum, quia quod bonum est elegit. Ergo si quod bonum est elegit, arbiter electionis, & eligens operationis liber est, quia quod uult facit. Liber ergo sapiẽs. Sapiens

omnia quæ facit, bene facit. Qui autem bene facit omnia, recte facit omnia. Qui uero recte facit omnia, utiq; inoffenſe & irreprehenſibiliter, & ſine damno, & commotione ſui facit omnia. Cui igitur hoc ſubeſt, ut inoffenſe faciat, faciat irreprehẽſibiliter, faciat ſine commotione ſui, ſine damno: nihil inſipienter facit, ſed ſapiẽter omnia. Qui autẽ ſapienter facit, nihil habet quod metuat. Metus enim in peccato eſt. Vbi autem nulla formido ibi libertas: ubi libertas, ibi poteſtas faciendi quod uult. Solus ergo ſapiens liber eſt. Etenim qui neq; cogi poteſt, neq; prohiberi, is nequaquã ſeruus. Sapiẽtis autẽ eſt neq; cogi, neque prohiberi. Nõ eſt igitur ſeruus ſapiens. Prohibetur enim qui nõ fungitur ijs quæ deſiderat. Quæ autẽ deſiderat ſapiens, niſi ea quæ uirtutis & diſciplinæ ſunt, ſine quibus eſſe nõ poteſt? In ipſo enim ſunt, nec diuelluntur ab eo. Quod ſi diuelluntur, iam non ſapiens, qui ſit ſine uirtutis uſu ac diſciplina, quibus ipſe ſe fraudet ſi nõ ſit uoluntarius uirtutis interpres. Quod ſi cogitur, manifeſtum eſt quod inuitus faciat. In omnibus autem factis aut à uirtute correctiones ſunt, aut à malitia prolapſiones, aut media ac indifferentia. Virtutis non coactus, ſed uolũtarius executor eſt ſapiens, quoniam omnia quæ placent agit: malitiæ fugitans, nec ſomniũ eius admittit. Indifferentibus ita nõ mouetur, ut nullis momentis ſicut uulgus hominum huc atq; illuc inclinetur, ſed tanquam in ſtatera mens eius æqua lance pendeat, ut neque ad uoluptaria propendat, neque omnino ad ea quæ ſunt auerſanda, uel leuiter ſtudium inclinet ſuũ, ſed immobilis maneat affectu. Vnde liquet quia nihil inuitus facit ſapiens, neq; cogitur: quia ſi ſeruus eſſet, cogeretur, liber igitur eſt ſapiens. Apoſtolus quoq; ſic definit dicens: Non ſum ego liber? non ſum Apoſtolus? Sed adeò liber, ut cum ſubintraſſent quidam tentare libertatem eius, nec ad horam (ut ipſe ait) cederet ſubiectioni, ut ueritas Euangelij prædicaretur. Qui ergo non ceſſit, uolens prædicauit. Vbi uoluntas, ibi merces uoluntatis. Vbi neceſſitas, ibi obſequium neceſſitatis. Melior ergo uoluntas quàm neceſſitas. Velle ergo ſapientis eſt, parere & ſeruire inſipientis. Hæc etiã Apoſtoli definitio dicentis: Si enim uolens hoc ago, mercedem habeo: ſi autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt. Sapienti igitur merces defertur, ſapiens autem ex uoluntate facit: Liber itaq; ſecundum Apoſtolũ ſapiens. Vnde & ipſe clamat: Vos enim in libertatem uocati eſtis, tantum ne libertatem in occaſionem carnis detis. Sequeſtrat à lege Chriſtianũ ne inuitus uideatur legi ſuccumbere, uocat in Euangeliũ, quod uolentes & prædicant & operãtur. Iudæus ſub lege, Chriſtianus per Euangeliũ. In Lege ſeruitus, in Euãgelio libertas, ubi cognitio ſapientiæ. Omnis ergo qui Chriſtum recipit, ſapiens: qui autem ſapiens, liber: omnis igitur Chriſtianus & liber & ſapiens. Docuit me tamẽ Apoſtolus quod ultra ipſam libertatem ſit, ut & ſeruire libertas ſit. Cum liber, inquit, eſſem, omnium me ſeruum feci, ut plures lucrifacerẽ. Quid eſt ultra libertatem, niſi habere ſpiritum gratiæ, habere charitatem? Libertas enim liberum facit hominibus, charitas amicum deo. Vnde ait Chriſtus: Vos autem dixi amicos. Bona charitas, de qua dicitur: Per charitatem ſpiritus ſeruite inuicẽ. Seruiuit & Chriſtus ut omnes liberos faceret. Manus eius in cophino ſeruierunt: qui nõ rapinam arbitratus eſſe ſe æqualem deo, formam ſerui accepit, & omnia omnibus factus eſt, ut omnibus ſalutẽ afferret. Cuius imitator Paulus, & quaſi ſub lege erat, & quaſi ſine lege uiuebat pro eorum utilitate quos cupiebat lucrari, & infirmis uolens fiebat infirmus, ut eos confumaret, & currebat ut comprehenderet, & corpus ſuũ caſtigabat, ut poteſtates aereas in Chriſto triumpharet. Eſt ergo ſapienti & ſeruire libertas. Vnde colligitur quia ſtulto & imperare ſeruitus eſt: & quod peius eſt, cũ paucioribus præſit, pluribus dominis & grauioribus ſeruit. Seruit enim proprijs paſſionibus, ſeruit cupiditatibus ſuis, quarũ dominatum nec nocte poteſt fugere, nec die, quia intra ſe dominos habet, intra ſe ſeruitiũ patitur intolerabile. Gemina enim ſeruitus eſt, altera corporis, animarum altera. Domini autẽ corporis quidẽ homines, animarum autẽ malitiæ & paſſiones à quibus ſola animi libertas ſapientem uindicat, ut ſeruitio ei liceat exire. Quæramus igitur illũ uere ſapientem uere liberũ, qui quamuis ſub plurimorũ dominatu degat, libere dicit: Quis eſt qui mecum iudicio contendat? Tu ſolus manum tuam à me abſtine, à cuius conſpectu non potero me abſcondere, & timor tuus non me percellat. Quem ſecutus Dauid rex ait: Tibi ſoli peccaui. Regali enim ſubnixus faſtigio, quaſi legum dominus legibus reus non erat, ſoli deo obnoxius tenebatur, qui dominus eſt poteſtatum. Alium audi liberũ

1. Cor. 9
Galat. 2
1. Cor. 9
Ioan. 15
Galat. 5
Pſalm. 80
Philip. 2
1. Cor. 9
Iob. 13. iuxta. 70
Pſalm. 50

Mihi

Mihi autem pro minimo est ut à uobis dijudicer, aut ab humano die, sed neq; meipsum dijudico. Nihil enim mihi sum conscius. qui autem dijudicat me, dominus est. Vera libertas hominis spiritualis, quia dijudicat omnia, ipse autem à nemine dijudicatur, nec à quocunq; creaturæ participe, sed soli Deo se subditum nouit, qui solus sine peccato est, de quo dicit Iob: Viuit dominus, qui sic me iudicat. Solus enim ille potest iudicare iustum, cuius in conspectu cœlum non est mundum, nec stellarum pura & clara lumina. Quis est qui Sophoclea in medium ferat carmina dicētia: Iupiter mihi præest, nullus autem hominū? Quanto antiquior Iob, quanto uetustior Dauid? Agnoscant ergo de nostris se habere, quæcunq; præstantiora locuti sunt. Quis igitur sapiens, nisi qui ad ipsa peruenit diuinitatis secreta, & manifestata sibi cognouit occulta sapiētiæ? Solus igitur sapiens, qui duce Deo usus est ad cognoscenda ueritatis cubilia, & mortalis homo immortalis Dei hæres, & successor est factus per gratiam, & quidem iucunditatis participes, sicut scriptum est: Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ cōsortibus tuis. Si quis igitur propius ipsa introspiciat rerum negocia, cognoscet quanta sapienti adiumenta, & quanta in ipsis insipienti refragia sint, quod huic adiumento libertas, illi impedimento seruitus sit. Insurgit enim sapiens quasi uictor debellatis à se ac triumpha tis libidini, timori, ignauiæ, mœstitudini cęteriscq; uitijs, donec ea de possessione suę mētis eliminet, & omnibus terminis finibusq; suis propulset atq; arceat: quoniam dux cautior nouit excursus cauere latrocinantium, & quædam furta belli, quæ iniquissimi animæ nostræ aduersarij ignitis sæpe pertentant spiculis. Sunt enim nobis quædā & in pace prælia, & in bello pax. Vnde & ille ait: Foris pugnæ, intus timores. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Dicit quia neq; angustijs, neq; persecutionibus, neq; fame, neq; periculo mortis terretur. Qui uero hæc timet, qui mortem reformidat quomodo non seruus? Seruit profecto, & miseram quidem seruitutem. Nihil enim sic animam ad omnem seruitutem deijcit, quomodo formido mortis. Quomodo enim se erigat abiectus & uilis sensus atq; ignobilis, demersus in omnē infirmitatis uoraginem uitæ huius cupiditate? Vide quàm seruus: Abscondam me, inquit, & ero gemens & tremens super terram, & erit, omnis qui inuenerit me, occidet me. Itaque quasi seruus signum accepit, nec sic tamen necem potuit euadere. Seruit igitur peccator formidini, seruit etiam cupiditati, seruit auaritiæ, seruit libidini, seruit malitiæ, seruit iracundiæ: & uidetur huiusmodi sibi liber? Sed magis seruit quàm si sub tyrānis positus. Illi autem liberi sunt, qui legibus uiuunt. Lex autem uera sermo rectus, lex uera non insculpta tabulis, nec ære incisa, sed impressa mentibus, atq; infixa sensibus, quando sapiens non sub lege, sed ipse sibi lex est, opus legis in corde suo cōtinens, naturali sibi stylo & quadam inscriptione formatum. Tantum ne igitur cæcitatis est, ut nō uideamus manifestas rerum expressiones, & uirtutum imagines? & quàm indignum, ut populi integri obediant humanis legibus, quo sint libertatis participes: sapientes autem ueram legem naturæ expressam ad imaginem Dei, ueramq; rationem significeram libertatis negligant & derelinquant, cū in ea tanta libertas sit, ut paruuli seruire uitijs nesciamus, alieni ab ira, exortes auaritiæ, ignari libidinis. Quam miserū igitur, ut qui nascimur in libertate, moriamur in seruitute. Sed hoc fit leuitate animi, atq; infirmitate morum, quia curas inanes uoluimus, & operamur superuacua. Sapientis autem cor actumq; & opus radicatū esse decet atq; immobile. Hoc docuit Moyses quando manus ei grauiores fiebāt, ita ut uix sustineret eas Iesus Naue. Ideoq; uincebat populus quādo nō perfunctoria gerebantur opera, sed plena ponderis atq; uirtutis, non nutātis animi, nec titubātis affectu, sed fundatæ mentis stabilitate. Ergo sapiens extendit manus suas, stultus autem cōtrahit: sicut scriptum est: Quia stultus complexus est manus suas, & uorauit uiscera sua, carnalia magis cogitans quàm spiritualia. At non filia Iudæ, quæ expādens manus clamauit ad dominum: Tu scis quia falsum testimonium aduersum me dicunt. Melius est arbitrata non peccare, & incidere in calumnias accusantium, quàm peccatum subire sub impunitatis uelamine. Ea ergo contemptu mortis seruauit innocentiam. Sed nec filia Iepte, quæ uotum patris de immolatione sua proprio atq; hortatorio firmauit assensu. Non enim ego de cōtemptu mortis libros philosophorum depromo, aut Gymnosophistas Indorum, quorum præ cæteris Calani laudatur responsum Alexandro, cum eum iuberet sequi:

1. Cor. 2

Psal. 44 9

10

1. Cor. 7 Roma. 8

Gene. 4

Roma. 2

Exod. 17 11

Eccl. 4 Dan. 13

Iudic. 11

Qua me,inquit,laude dignum Græciã petere poscis,si possum cogi facere quod nolo? Et uere plenus authoritatis sermo,sed magis mens libertatis. Denicq; et epistolã scripsit. Calanus Alexãdro: Amici persuadent tibi manus,& necessitatẽ inferre Indorũ philoso pho,nec in somnis uidentes nostra opera. Corpora enim trãsferes de loco ad locũ, ani-
13 mas nõ coges facere quod nolunt,non magis quàm saxa & ligna uocẽ emittere. Maximus ignis uiuentibus corporibus dolorem inurit, & gignit corruptionẽ.super hũc nos sumus.uiuẽtes enim exurimur. Nõ est rex neq; princeps qui extorqueat nobis facere q nõ proposuimus. Nec similes sumus Grecię philosophorũ, qui uerba pro rebus medita ti sunt ad opinionis celebritatẽ. Nobis res socię uerbis,& uerba rebus: res celeres, & ser mones breues. in uirtute nobis libertas beata est. Præclara uerba,sed uerba: pręclara cõ stantia,sed uiri: præclara epistola,sed philosophi. Apud nos aũt & puellæ de mortis ap-
14 petentia sublimes usq; ad cœlum erexere uirtutũ gradus. Quid Theclam, quid Agnen, quid Pelagiã loquar, quæ tanquam nobilia uitulamina pullulãtes,ad mortẽ quasi ad im mortalitatem festinauerũt inter leones uirgo exultauit, & rudentes bestias expectauit intrepida. Et ut nostra cũ Indorũ Gymnosophistis conferamus: quod ille uerbis gloria-tus est,sanctus Laurentius factis probauit, ut uiuus exureretur,& flãmis superstes dice-ret: Versa,mãduca. Haud deneger Abrahamidarũ & Macchabęorũ cõcertatus puero-rum, quorũ alij super flãmas canebant,alij cũ exurerentur nõ rogabãt ut parceretur,sed inuehebãtur,ut amplius persecutor inflãmaretur. Liber igitur sapiens. Quid aũt sublimius sancta Pelagia, quæ uallata à persecutoribus priusquam tamen in eorũ conspectũ ueniret,aiebat: Volens morior,nemo me cõtinget manu, nemo oculo proteruo uiola-bit. Virgineũ mecũ feram pudorem,mecũ incolumen uerecundiã. Nullũ prædones lu-crum suæ capient insolentiæ. Pelagia Christũ sequetur,libertatem nemo auferet, nemo captiuã uidebit liberã fidem,insignemq; pudicitiã,& prosapiã prudentiæ. Quod seruũ est,hic manebit nullos in usus debitũ. Magna igitur piæ uirginitatis libertas, quæ sepia agminibus persecutorũ,inter maxima pericula integritatis & uitæ nequaquã inclinata
Prouerb.29 est. At non ille cui dominatur ira, subijcitur enim iugo peccati. Homo enim iracundus
Ioan.8 peccatũ effodit. Qui autem peccatũ facit,seruus est peccati. At nõ ille liber, qui seruit a-uaritiæ. Non potest enim possidere uas suũ. Non ille liber qui seruiẽs desideriis & uolu-
1.Thess.4 ptatibus uago fluitat errore. Nõ ille liber qui curuatur ambitu: seruit enim alieno impe-rio:sed ille liber qui potest dicere: Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar pote-
16.Cor. state. Esca uentri, & uẽter escis. Ille liber qui ait: Quid enim libertas nostra iudicatur ab
Ibidem infideli cõscientia? Libertas igitur sapienti non insipienti cõuenit: quoniam qui deligat
Prouerb.26 lapidem in fundibulo,similis est ei qui dat imprudenti claritatem. seipsum uulnerat,atq; sibi potius dum intorquet iaculũ,affert periculũ. Certe sicut tormento acerbatur, & ge-minatur malũ saxi ruina,sic insipientis in libertate ruina uehementior est. Recidẽda igi tur insipienti potestas,nõ adijcienda libertas est. Seruitus enim ei cõuenit. Ideoq; addi-
Ibidem dit: Spinæ nascũtur in manu inebrioſi,seruitus autem in manu imprudentis. quia sicut il le suis uulneratur poculis,ita insipiens suis factis. Ille bibẽdo se peccato inserit,iste ope-rando se culpę adiudicat,& factis suis trahitur in seruitutẽ. Videbat se Paulus in capti-
Roma.7 uitatem trahi à lege peccati,& ideo ut liberaretur,cõfugit ad libertatis gratiã. Non sunt
Psal.31 igitur liberi insipientes, quibus dicitur: Nolite fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus. In fræno & chamo maxillas eorũ constringe, qui non appropinquant tibi. Multa flagella peccatorũ: quia multis flagellis opus est ut eorũ imprudẽtia coerceatur.
Prouerb. 13 Disciplina hoc exigit,nõ inclementia. Denicq; qui parcit baculo suo, odit filiũ suũ. simul quia unusquisq; grauis suis peccatis flagellatur. Grauia enim delictorũ pondera, grauia criminũ uerbera, sicut onus grauatur graue,& infligũt animę cicatrices,& putrescere fa ciunt mentis ulcera. Deponamus igitur tam grauẽ seruitutis sarcinã, renũciemus luxu-riæ ac delicijs, quæ nos quibusdã adstringũt nexibus cupiditatũ, & uinculis ligãt. Nihil
Prouerb. 19 enim prosunt delicię stulto. Et quicunq; à pueritia dederit se delicijs, manebit in seruitute, ut uiuens mortuus sit. Recidatur ergo luxuries, delicię resecentur. Et si quis fuit lu xurioſus,ualedicat superioribus. Recisa enim uinea fructũ affert,semiputata frondescit,
Prouerb.24 neglecta luxuriat. Ideoq; scriptũ est: Tanquam agricultura homo imprudẽs & tãquam
iuxta 70 uinea homo egẽs sensu. si reliqueris eũ,desertus erit. Colamus ergo corpus hoc nostrũ,

castigemus

castigemus illud, redigamus ad seruitutẽ, nõ illud despiciamus. Sunt enim membra nostra arma iustitiæ, sunt & arma peccati. Si eleuentur, arma iustitię sunt, ut peccatũ in his nõ dominetur: si mortuũ fuerit peccato, nõ regnabit in eo culpa, & erũt mẽbra nostra à peccato libera. Non obediamus igitur cupiditatibus eius, neq; exhibeamus mẽbra nostra arma iniquitatis peccato. Si uideris mulierem ad concupiscendã eam, mẽbra tua arma peccati sunt. Si locutus es ad solicitandã eã, lingua tua & os tuũ mẽbra peccati sunt. Si abstulisti terminos à patribus positos, mẽbra tua arma peccati sunt. Si festinasti uelocioribus pedibus ad effundendũ innocentiũ sanguinẽ, mẽbra tua arma iniquitatis sunt. Contrà si uidisti egenũ, & induxisti in domũ tuã, membra tua arma iustitiæ sunt. Si eripuisti iniuriã accipiẽtẽ, uel eũ qui ducebatur ad mortẽ, si scidisti chirographũ debitoris, mẽbra tua arma iustitię sunt. Si cõfessus es Christũ (Arma enim intellectus labia sapientiæ) labia tua mẽbra iustitię sunt. Qui potest dicere: Oculus eram cæcorũ, pes claudorũ, pater infirmorũ, mẽbra eius mẽbra iustitię sunt. Ergo liberati à peccato, quasi precio empti sanguinis Christi, nõ subijciamur seruituti hominũ uel passionum. Nõ erubescamus peccatũ nostrũ fateri. Vide quàm liber qui poterat dicere: Non reueritus sum multitudinem populi, ut non annunciarẽ in conspectu omniũ peccatũ meũ. Qui enim confitetur domino, exuitur à seruitute. Iustus enim accusator est sui in principio sermonis. Nõ solũ liber, sed etiã iustus: sed iustitia in libertate est, & libertas in cõfessione. Simul enim ac cõfessus quis fuerit, absoluitur. Deniq;: Dixi pronũciabo aduersum me iniustitiã meã domino, & tu remisisti impietatẽ cordis mei. Mora ergo absolutionis in cõfitẽdo est, cõfessionẽ sequitur peccatorũ remissio. Sapiẽs est igit qui cõfitetur. Liber cui peccatũ dimissum est, nulla iã trahẽs æra peccati. Vale, & nos dilige, ut facis, quia & ego te diligo.

1.Cor. 9
Roma. 6
Matth. 5
Iob 29
Roma. 6
Prouerb. 18
Psal. 31

Diui Ambrosij ad Faustinum, eundem propter obitum germanæ acerbo dolore mœrentem consolantis. Epistola VIII

A Mbrosius Faustino. Acerbo te doliturũ dolore obitũ germanæ tuę nõ ignorabam, nõ tamẽ ut à nobis te ablegares, sed ut nobis redderes. Nã & si minus iucunda solatia mœrentibus, tamẽ nonnunquã necessaria sunt. Tu aũt abisti in secreta montiũ, & inter ferarũ diuersaris spelæa, omni humanę cõuersationis usu abdicatus, & quod grauius est, iudicio tuo. Tãtũ ne de te cõmeruit germana tua, ut propter quam excellere apud te debuit cõditio humana, quę tam egregiã fœminã tulit, propter eã apud te minoris prerogatiuę sit? Illa certe uita excedẽs hoc se mulcebat solatio, quod te sibi superstitẽ derelinqueret, parentẽ nepotibus, præsulem paruulis, auxiliatorẽ destitutis. Tu ita te & nepotibus & nobis abnegas, ut cõsolationis illius fructum non sentiamus. Illa te chara pignora uocãt nõ ad dolendũ, sed ad consolandũ, ut cũ te uident, matrem sibi nõ credant obisse. In te eam recognoscãt, in te eius præsentiã teneant, in te uitam eius sibi manere arbitrentur. Sed doles quod dudũ florentissima repẽte occiderit. Verùm hoc nobis cõmune non solũ cum hominibus, sed etiam cum ciuitatibus terrisq; ipsis est. Nempe de Bononiensi ueniens urbe à tergo Claternã, ipsam Bononiã, Mutinam, Regiũ derelinquebas, in dextera erat Brixillũ, à fronte occurrebat Placentia, uetera nobilitatem ipso adhuc nomine sonans, ad læuã Apœnini inculta miseratus, & florentissimorum quondam populorũ castella cõsiderabas, atq; affectu relegebas dolenti. Tot igitur semirutarũ urbiũ cadauera, terrarumq; sub eodem conspectu exposita funera nõ te admonent unius, sanctæ licet & admirabilis, fœminæ decessionem cõsolabiliorem habendã, præsertim cum illa in perpetuũ prostrata ac diruta sint, hæc autem ad tempus quidem erepta nobis meliorẽ illic uitã exigat? itaq; nõ tam deplorandã quàm prosequendã orationibus reor: Nec mœstificandã lachrymis tuis, sed magis oblationibus, animam eius domino cõmendandam arbitror. Verũ forte asseres securũ te de meritis eius ac fide, nequire tamen ferre desideriũ, quod eam iam non uideas secundũ carnem, idq; tibi summo dolori sit. Nec illud te mouet Apostolicũ quod ait: Quia neminẽ nouimus ex hoc secundũ carnem: & si cognouimus secundũ carnem Christum, sed nũc iam nõ nouimus. Caro enim nostra perpetua esse ac diuturna non potest, necesse est occidat ut resurgat, necesse est resoluatur ut requiescat, ut fiat quidã finis peccati. Et ideo multos cognouimus secundũ carnem, sed nũc iam nõ nouimus. Ipsum dominũ Iesum cognouimus (inquit Apostolus) secundã carnem, sed nũc iam nõ nouimus. Iam enim

1
2
2.Cor. 5

carnis depoſuerat exuuias, iam ſpecie hominis nõ uidebatur, iam pro omnib. mortuus erat, & omnes in illo mortui, ſed ut per ipſum renouati, & uiuificati ſpiritu iam non ſibi, ſed Chriſto uiuãt Vnde & alibi ait idẽ Apoſtolus: Viuo aũt iam nõ ego, uiuit autem in me Chriſtus. Meritoq; qui antè cognouerat ſecundũ carnem Chriſtũ, iam operationes eius inuiſibiliter agnoſcens, iam nõ carnem eius ſed potentiã ſcrutans, qui antè perſecutor diſcipulos hominis, & pediſequos carnis infeſtis odijs urgebat, poſtea doctor Gentium factus ueneratores maieſtatis eius ad prædicationẽ Euangelij inſtruere atq; informare cœperat. Et ideo addidit: Si quis in Chriſto noua creatura, id eſt, qui perfectus in Chriſto noua creatura eſt, quoniam qui caro eſt, imperfectus eſt. Denicq; ipſe dominus ait: Non permanebit ſpiritus meus in iſtis hominibus, quoniã carnes ſunt. Carnalis itaq; nõ eſt in Chriſto, ſed ſi quis in Chriſto eſt, noua creatura eſt: nõ naturæ nouitate formatus, ſed gratiæ. Vetera itaq; quæ ſecundũ carnem erant, tranſierunt, facta ſunt noua omnia. Quæ illa? niſi quæ ſcriba doctus in regno cœlorũ nouit, ſimilis illius patrisfamiliãs qui profert de theſauro ſuo, noua & uetera? neq; uetera ſine nouis, neq; noua ſine ueteribus. Ideo & Eccleſia dicit: Quia noua & uetera ſeruaui tibi. Sed tranſierunt uetera, id eſt, legis myſteria abſcõdita: in Chriſto facta ſunt omnia noua. Hęc eſt noua creatura, de qua Apoſtolus ad Galatas ait: In Chriſto enim Ieſu neq; circumciſio aliquid ualet, neq; præputiũ: ſed noua creatura, per quã iam renouata caro floret, & fructũ inuenit gratiæ, quæ antè inueterati flagitij ſpinas habebat. Quid ergo eſt quod mœreamus, ſi iã ad animam dicitur: Renouabitur ſicut aquilę iuuẽtus tua? Quid eſt quod ingemiſcamus pro mortuis, cũ iam recõciliatio mũdi apud Deũ patrem facta ſit per dominũ Ieſum? Quoniam ergo Chriſti beneficia tenemus, cũ apud omnes, tũ apud te pro Chriſto legatione fungimur, ut noueris irreuocabilia eius eſſe dona, ut credas quod ſemper credidiſti, nec nimio mœrore tuã in dubiũ adducas ſententiam, quia ideo peccatũ factus eſt dominus Ieſus, ut tolleret peccatũ mundi, & eſſemus in illo omnes iuſtitia Dei, iam nõ culpæ obnoxij, ſed iuſtitiæ remuneratione ſecuri. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Gene. 7
2. Corint. 5
2. Cor. 5
Matth. 13
Cant. 7
Galat. 5
Pſal. 102
2. Corint. 5

Diui Ambroſij ad Bellicium, grauí ægritudine priuſq; in dominũ Ieſum crederet iactatũ, poſtea autẽ reualeſcere incipientẽ, illũ ex diuinæ uiſitationis pietate in fide Chriſti cõfortãtis, & ad aliorũ ſacramentorũ perceptionẽ exhortãtis. Epiſt. 1x

A Mbroſius Bellicio. Iactatum te grauí ęgritudine ſignificaſti mihi credidiſſe in dominũ Ieſum, & iam cœpiſſe reualeſcere. Ad ſalutẽ igitur ea infirmitas fuit, plus aculei quàm periculi ferẽs, quia diu promiſſum remordebas. Hoc eſt quod ait: Percutiã, & ſanabo. Percuſſit infirmitate, ſanauit fide. Vidit enim interiorẽ affectum tuũ nõ uacuum piæ cupiditatis, ſed excuti dilationibus. Et ideo admonere maluit, ita ut ſalutem nõ læderet, deuotionẽ excitaret. Quomodo enim ſaluti noceret qui ſolet dicere, ut legimus in Euangelio: Ego ueniã, & curabo eum? Ergo & cũ à tuis inuitaretur ut inuiſeret domũ tuam, ſine dubio dixit: Ego ueniã, & curabo eũ. Et ſi non audiſti eũ, ille tamen quaſi Deus inſenſibiliter locutus eſt: & ſi non uidiſti eum, ille tamen quod te incorporaliter inuiſerit, dubitari nõ poteſt. Sed uidiſti eũ, qui credidiſti ei: uidiſti eũ, qui recepiſti eũ hoſpitiõ tuæ mentis: uidiſti eum ſpiritu, uidiſti eum oculis interioribus. Tene ergo hoſpitem nouũ diu expectatũ, ſed ſero ſuſceptũ, in quo & uiuimus, & ſumus, & mouemur. Guſtaſti igitur fidei prima exordia, non fiat uerbũ occultũ in corde tuo. Hęc omnis gratia eſt, hoc omne munus. Nemo enim penetralia domus de ingreſſu ęſtimat: ſiquidem omnis fructus in interioribus eſt. Neq; enim ſapientis eſt à feneſtra reſpicere in domũ, & ſtultitia hominis audire per oſtium. Alia ſunt ſacramentorũ perfectiorum myſteria, quæ oculus nõ uidit, nec auris audiuit, quæ præparauit Deus diligentibus eũ, ut dixit ſcriptura. Alia ſunt illa quæ de gloria futura annũciarũt Prophetę, quibus reuelatũ eſt, & Euãgelizarunt ſancti, ſpiritu Dei miſſo de cœlo, in quæ cõcupiſcunt & Angeli uidere, ut ait Apoſtolus Petrus. Alia ſunt illa in quibus eſt mundi redemptio, peccatorũ remiſſio, gratiarũ diuiſio, ſacramentorũ participatio: quę cũ acceperis, tũc mirabere tantum donatũ eſſe homini, ut illud manna quod miramur fluxiſſe de cœlo Iudæis, nec tantæ operationis iudices ad ſalutẽ fuiſſe. Illud enim quicunq; acceperunt, in deſerto mortui ſunt, præter Ieſum Naue, & Caleph: hoc ſacramentũ quicunq; guſtauerit, non morietur in æternum. Sanet te dominus Ieſus. Vale.

Deuter. 32
Matth. 8
Act. 17
1. Corint. 2
1. Petri 1
Nume. 32

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS EPISTOLARVM LIBER III

Diui Ambrosij ad Simplicianum, pulchre de ueris diuitijs, ac contraria paupertate differentis, & quod omnis soluscp sapiens uere diues, atcp insipiens pauper sit, demonstrantis. Epistola X

AMBROSIVS Simpliciano. Videbamur proximè in disceptationes incidisse philosophię, cùm de Apostoli Pauli epistola, sumẽtes exordium tractaremus, quòd omnis sapiens liber. Verùm postea cùm Petri Apostoli epistolã legerem aduerti, quòd omnis sapiens etiam diues: nec sexum exceperit, qui fœminas ornatũ omnem nõ in preciosis monilibus, sed in bonis moribus habere scripserit. Nõ enim, inquit, sit extrinsecus capillorũ implicatio, aut auri circumpositio, aut habitus uestimentorũ ornamentum, sed ille absconditus cordis homo. Duo sunt igitur, & esse hominem in homine, & illũ esse diuitem, qui sibi nullarum diuitiarũ usum requirat. Pulchrè autem cordis hominem dixit, eo quòd totus sapientiæ sit absconditus, sicut ipsa sapientia quæ nõ uidetur, sed intelligitur. Nemo ante Petrũ tali expressione usus est, ut diceret cordis hominem. Exterior enim homo plurima in se membra habet: Interior autem cordis homo totus sapiẽtiæ est, plenus gratiæ, plenus decoris. In corruptione, inquit, quieti & modesti spiritus, qui est antè Deum diues. Et uerè diues, qui in cõspectu Dei potest dicis uideri, in cuius conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est. Sed solum illũ Deus diuitem nouit, qui sit diues æternitati, qui nõ opum, sed uirtutum fructus recondat. Quis autem ante Deum diues, nisi quietus & modestus spiritus, qui nunquã corrũpitur? Non ne tibi uidetur diues, qui habet pacem animi, tranquillitatem quietis, ut nihil cõcupiscat, nullis exagitetur cupiditatum procellis, nec uetera fastidiat, & noua quærat, & semper desiderando, fiat in summis diuitijs inops? Ea est pax uerè diues, quæ superat omnem mentem. Diues pax, diues modestia, diues fides. (Fideli enim totus mũdus possessio est.) diues simplicitas. Sunt enim & diuitiæ simplicitatis, quæ nihil discutit, nihil cõtractum, nihil suspectũ, aut fraudulentum putat, sed puro se fundit affectu. Diues bonitas: quam si quis seruauerit, pascitur in diuitijs cœlestis hæreditatis: & ut antiquioribus exemplis scripturæ utamur, beatus, inquit, uir, quem arguit dominus. Admonitionem autem Dei ne recusaueris. In fame liberabit te à morte, in prælio de manu ferri liberabit te, & à flagello linguę te abscondet. Feræ bestię pacificæ erunt tibi, & scies quòd in pace erit domus tua. Mitigatis enim carnis huius passionibus, quę militare aduersum animã solent, tabernacula tua sine perturbatione erunt, domus sine offensione, semen sine defectu, posteritas sicut odor agri pleni, sepultura sicut messis. Siquidem quando alij suum defectũ arbitrantur, tunc aceruus tritici tui supernis maturus inferetur apothecis. Merito iustus semper fœnerat, iniquus indiget. Ille iustitias fœnerat mãdato Dei pauperibus & egenis, at uero insipiens & quod putat se habere, nequaquã possidet. An putas illũ possidere, qui thesauro suo die ac nocte incubans, auara & misera torquetur solicitudine? Ille uero eget, & si alij diues uidetur, sibi pauper est, qui nõ utitur eo quod habet, qui adhuc alia rapit, alia desiderat. Vbi enim nullus cupiditati modus, qui fructus diuitiarum? Nemo est diues, qui quod habet secũ hinc auferre nõ potest. Quod enim hic relinquitur, nõ nostrum, sed alienũ est. Dies Enoch, qui quod habuit secum transtulit, & omnẽ illum bonitatis suę censum cœlestibus intulit receptaculis: qui ideo raptus est, ne cor eius malitia mutaret. Diues Helias, qui uirtutũ suarũ thesauros curru igneo sublimis sedibus æthereis inuexit. Et tamẽ iste nõ mediocres diuitias hęredi reliquit, quas ipse nõ amitteret. Quis hunc pauperem uel tunc dixerit, cũ uictus quotidiani indigens alimonia mitteretur ad uiduã, ut pascęretur ab ea, quando ad eius uocẽ cœlum claudebatur & aperiebatur, quãdo ad eius uerbum hydria farinę & uas olei nõ deficiebat per triennĩ: sed abũdabat, nec minuebatur usu, sed replebatur? Quis illũ pauperem dixerit, ad cuius uoluntatẽ descendebat ignis,

1 1.Pet.3 Ibidem 2 Philip.4 Prouerb.1 iuxta 70 Iob.5 3 4 Gene.5 5 4.Reg.2 3.Reg.17

quem inuia flumina nō cōcludebant, sed in suum fontem recurrebāt, ut sicco propheta
3. Reg. 21 trāsiret pede? Duos finitimos uetus historia describit, regem Achab, & pauperē Nabutham: quem horū pauperiorē, quē ditiorē credimus? Alter regali fulcro diuitiarū prędi-
tus, inexplebilis insatiabilisq; opibus suis, exiguā pauperis uineā desiderauit. Alter des-
piciens animo, βασιλέων τὰς πλυνχρύσους τύχας imperialesq; gazas, suo erat cōtentus pal-
mite. Non ne uidetur hic magis diues, hic magis rex, qui sibi abūdabat, suas regebat cu
piditates, ut nihil alienū cōcupiscere? Ille autem egentissimus, cui aurū suum uile, alie-
nus palmes pretiosissimus existimabat? Sed qua ratione egētissimus cognosce. Quia
Iob 20 iuxta 70 diuitiæ iniustæ cōgregatæ euomūtur, radix autem iustorū manet, & ut palma floret. An
nō egētior pauper ea is qui tanquā umbra prēterit? Hodie impius exaltatur, cras nō erit,
nec inuenietur aliquis locus eius. Quid est itaq; diuitē esse, nisi abūdare? Quis aūt abun
dat qui sit animo cōtractior? Qui autē animo cōtractior, utiq; angustior. Quæ igitur in
angustijs abundantia? Non ergo diues, qui nō abundat. Vnde pulchre Dauid: Diuites,
Psal. 33 inquit, eguerunt & esurierunt: Quoniā cum haberent scripturarum thesauros cœlestiū,
eguerunt qui nō intellexerunt, & esurierunt qui nullū spiritualis gratiæ gustarunt cibū.
Nihil igitur affectu sapientis ditius, nihil insipientis egentius. Nam cum regnū Dei pau
perum sit, quid esse locupletius potest? Et ideo preclare Apostolus: O altitudo, inquit,
Roma. 11 Psal. 118 diuitiarū sapientiæ & scientiæ Dei. Præclare etiam Dauid, qui in uia testimoniorū cœle-
Deute. 33 stium quasi in omnibus diuitijs delectabatur. Expresse Moyses, qui ait: Neptalim satie-
tas accipiētium. Neptalim, abundātia significatur Latina interpretatione, uel dilatatio.
Ibi ergo abundātia, ubi satietas. Vbi autem fames cupiditatum, ubi inexplebilis appe-
tentia, ibi utiq; paupertas. Sed quia uix ulla rei pecuniariæ uel mundi huius cupiditas sa
1. Petri 3 tietatem habet, ideo addidit: Et replebitur benedictione. Secundū hæc Petrus Apostolus definiuit nō in auro & argento, & indumentis fœminarū esse ornamentū, sed in occulto cordis homine atq; abscondito: unde nulla se exuat cultum pietatis, ornatum gratiæ, uitæ æternæ hæreditatem. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Irenæum, uersiculū illum: Speciosus forma, & cętera, Gręco sermone annotatū uoluentis, pluribusq; rationibus & exemplis nos prouocantis, ut illi summo bono quod est dominus Iesus, quo nihil est speciosius, animo intendamus, illud quæramus, illud intueamur, illud teneamus, in illo uersemur, illi adhæreamus, & in eo pascamur.

Epistola XI

AMbrosius Irenęo. Inter legendum cū paululū requieuissem animo, quia lucubratione destiterā, uersiculum illū cœpi mecum uoluere, quo uesperi in
Psal. 44 1 uigilijs usi fueramus, ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων. ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων αὐτόν. Et uerè nihil speciosius illo summo bono, cuius etiā prædicatio speciosa est nimis, & maximè perseuerantis sermonis processus, & quædā Apostolicę prędicationis uestigia. Sed illa qui possunt? Quibus donauit Deus non solùm ut Christum annunciarent, sed etiā pro illo paterentur. Nos quantum possumus intendamus illo animum, & in illo simus, illud animo teneamus, quod est pulchrū, decorum, bonum, ut fiat illuminatione eius & fulgore speciosa anima nostra, & mens dilucida. Nam si oculi nostri cum aliqua obducuntur caligine, pascuntur agrorū uiriditate, & specie nemoris uel collis herbosi omnem inæqualitatem ægrescentis obtutus repellūt, & quadam salubri specie pupillæ ipsæ atq; orbes colorari uidentur: quanto magis hic mentis oculus cū illud summū intuetur bonum, & in eo uersatur, atq; eo pascitur, splendescit atq; enitet, ut
Psal. 62 Prouerb. 27 iuxta 70 fiat illud quod scriptum est: Tanquā adipe & pinguedine repleatur anima mea? Denicq; qui scienter agnoscit animas gregis sui, curam adhibet herbis cāpestribus, ut sint ei pascua plurima. Herbis enim suauioribus & agni pinguiores fiunt, & succus lactis salubrior: quibus pascuis usi sunt diuites illi qui manducauerunt & adoraueruūt. Sunt enim bona fidei pascua, in quibus collocatur sanctus Dei. Est ergo & fœnum quo alūtur greges ouium, qui emittunt uellera sapientiæ, & dant amictum prudentiæ. Et fortasse hoc est fœnum montanum, in quod uerba descendunt prophetæ sicut nix super fœnum, & quod diligenter colligit sapiens, ut sint ei oues, ad uestitū spiritalis utiq; uelaminis. Habet ergo cibum suum & amictum anima quæ illi summo bono adhæret, quod est diui-
2. Pet. 1 num, quod Apostolus Petrus suadet quęrēdum, ut per eius cognitionis acquisitionem

diuinæ

diuinę ſimus cõſortes naturę. Huius cognitionẽ aperit ſanctis ſuis Deus bonus, & donat hoc de theſauro ſuo bono, ſicut teſtificat Lex ſacra dicẽs: Quia iurauit dominus patribus tuis dare tibi & aperire theſaurũ ſuũ bonũ, de quo theſauro cœleſti dat pluuiam terræ ſuæ, benedicere omnia, opera manuũ tuarũ. Hęc eſt pluuia, eloquium legis, quod irrorat animã illam fœcundã & fertilem bonorũ operum, ut habeat humorẽ gratię. Huius boni cognitionẽ quærebat Dauid, ſicut ipſe ſignificat dicẽs: Vnam petij à domino, hanc requirã, ut inhabitem in domo domini omnes dies uitæ meæ, & uideã delectationes domini, & cõſiderem templũ eius. Deniq; hoc eſſe ſummũ bonum ſubtexuit ſtatim in eodem Pſalmo: Credo uidere bona domini in terra uiuentiũ. Hic enim quæritur, illic facie ad faciem plene uidetur. Hoc bonũ in domo Dei eſt, in illo ſecreto eius ac receſſu. Vnde iterũ ait: Replebimur in bonis domus tuę. Alibi quoq; hanc ſummã eſſe benedictionis expreſſit, dicens: Benedicat te dominus ex Sion, & uideas quę bona ſunt in Hieruſalem. Ideo beatus qui illic habitat in ingreſſu fidei, hoſpitioq; mentis, deuotionis habitaculo, cõuerſatione uirtutis. In illo igit̃ ſimus, atq; in eo maneamus, de quo & Eſaias dicit: Quam ſpecioſi pedes euangelizantiũ pacem, euangelizantiũ bona. Qui ſunt qui euãgelizant, niſi Petrus, niſi Paulus, niſi omnes Apoſtoli? Quid euãgelizant nobis, niſi dominũ Ieſum? Hic eſt pax noſtra, hic eſt bonũ illud ſummum quia ipſe bonus ex bono: Ex arbore enim bona, bonus fructus legit̃. Deniq; & ſpiritus eius bonus qui ex ipſo accipit, & deducit Dei ſeruulos in uiã rectã. Quis aũt habẽs ſpiritũ Dei in ſe, neget bonũ, cũ ipſe dicat: An oculus tuus nequã eſt, quia ego bonus ſum? Hoc bonũ ueniat in animam noſtrã, in noſtræ mentis uiſcera, quod propitius Deus dat petẽtibus ſe. Hic eſt thesaurus noſter, hic eſt uia noſtra, hic eſt ſapientia noſtra, iuſtitia noſtra, paſtor noſter, & paſtor bonus, hic eſt uita noſtra. Vides quanta bona in uno bono? Hæc bona nobis prædicant Euangeliſtæ. Hæc bona requirẽs Dauid, ait: Quis oſtendit nobis bona? Et oſtendit ipſum eſſe, bona, ſubijciens: Signatũ eſt in nobis lumen uultus tui. Quis autẽ lumen uultus patris, niſi ſplendor gloriæ, & imago inuiſibilis Dei, in quo & uidetur & clarificatur pater ſicut ipſe clarificat filiũ ſuum? Ipſe eſt ergo dominus Ieſus ſummũ bonũ quod nobis annunciatũ à Prophetis, prædicatum ab Angelis, promiſſum à patre, euangelizatum eſt ab Apoſtolis: Qui nobis tãquam maturitas aduenit. Nec ſolum tanquã maturitas, ſed tanquã maturitas in montibus adeſt: ut nihil acerbum, nihil immaturũ in noſtris cõſilijs ſit, nihil immite, nihil aſperum in operibus ac moribus, qui primus euãgelizans bona adfuit. Vnde & ait: Ipſe qui loquebar, adſum: id eſt, qui loquebar in Prophetis, adſum in corpore quod ſuſcepi ex Virgine, adſum interior imago Dei, character ſubſtantiæ, & adſum ut homo, ſed quis cognoſcit me? Hominem enim uiderunt, ſed operibus ſupra hominem crediderũt. An nõ ut homo cum Lazarũ fleret, & rurſus ſupra hominem, cũ eum reſuſcitaret? An nõ ut homo cum uapularet, rurſus ſupra hominem cũ totius mundi peccatũ tolleret? Ad illum igitur properemus, in quo ſummũ eſt bonum, quoniã ipſe bonitas, ipſe patientia Iſrael, qui ad pœnitentiã te uocat, ne uenias in iudicium, ſed accipias remiſſionem peccatorũ. Agite, inquit, pœnitentiã. Ipſe eſt de quo clamat Amos propheta: Exquirite bonũ. Ipſe eſt ſummum bonum, qui nullius indiget, & abundat omnibns. Facile abũdat, in quo plenitudo diuinitatis habitat corporaliter. Facile abundat, de cuius plenitudine omnes accepimus, & in illo repleti ſumus, ut dicit Euãgeliſta. Hoc igitur uerum & ſummũ bonũ ſi illo cõcupiſcibili ſuo & delectabili anima guſtauerit, & duabus his hauſerit affectionibus, excludẽs dolorem & formidinem, incredibiliter exæſtuat. Oſculata enim uerbũ Dei, modum non capit, nec expletur, dicens: Suauis es domine, & in iucũditate tua doce me iuſtificationes tuas. Oſculata Dei uerbum, concupiſcit ſuper omnem decorem, diligit ſuper omnem lætitiam, delectatur ſuper omnia aromata, cupit frequẽter uidere, ſæpe intendere, cupit attrahi, ut ſequi poſſit. Vnguentũ, inquit, exinanitum eſt nomen tuum: propterea te diligimus adoleſcentulæ, propterea certamus, ſed cõprehendere te non poſſumus. Attrahe nos, ut poſſimus currere, ut odore unguentorum tuorum accipiamus uirtutem ſequendi. Feſtinat etiam interna myſteria uidere, ipſam requiem uerbi, ipſam boni illius ſummi habitationem, & lucem eius, & claritatem. In illo ſinu ac receſſu patrio feſtinat audire ſermones eius: & cum audierit, ſuper omnem ſuauitatem accipit. Doceat te propheta qui guſtauit, & ait:

Deuter. 28

Pſal. 26

ibidem

Pſal. 124
Pſal. 127

Eſaiæ 52
Roma. 10
Pſal. 52

Matth. 20

Pſal. 4

2

Eſa. 52

Matth. 3
Amos 5
Coloſſ. 2
Ioan. 1

Pſal. 118

Cant. 1

Psal. 18 Quã dulcia faucibus meis uerba tua, ſuper mel & fauũ ori meo. Quid enim aliud deſide
Exod. 34 ret anima quæ ſemel ſuauitatẽ uerbi guſtauerit, quę ſemel claritatẽ eius uiderit? Moyſes
3. Reg. 19 in mõte poſitus quadraginta diebus Legẽ accipiens, cibũ corporis nõ requirebat: He-
lias ad illã feſtinãs requiem rogabat ut acciperetur anima ſua à ſe, Petrus aſpiciẽs & ipſe
Matth. 17 in mõte dominicæ reſurrectionis gloriã, nolebat deſcẽdere, dicens: Domine, bonũ eſt
nos hic eſſe. Quanta igitur illa diuinæ ſubſtãtię gloria, quãta uerbi bona, in quę concu-
piſcunt & Angeli proſpicere? Anima igitur quæ illud uidet, corpus hoc nõ requirit, mi
nimamq; ſibi familiaritatẽ cum eo eſſe debere intelligit, renũciat ſeculo, abducit ſe à uin
Acto. 7 culis carnis, exuit omnibus uoluptatũ iſtarũ nexibus. Denicq; Stephanus Ieſum uidebat
& lapidari nõ formidabat: imò cum lapidaretur, nõ pro ſe, ſed pro illis à quibus perime-
2. Cor. 12 batur rogabat. Paulus quoq; raptus uſq; ad tertiũ cœlum, cũ corpore eſſet an ſine cor-
pore, neſciebat. Raptus inquã in paradiſum, uſum propriį iam nõ ſentiebat corporis, &
audiens uerba Dei, quomodo ad corporis infirmitates deſcenderet, erubeſcebat. Itaq;
Coloſſ. 2 ſciens quid uidiſſet in paradiſo, uel quid audiſſet, clamabat, dicẽs: Quid adhuc uelut ui-
uentes de hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, ne attaminaueritis, ne guſtaueritis quę
3 ſunt omnia ad corruptelã ipſo uſu. Volebat enim nos in figura eſſe iſtius mundi non in
poſſeſſione atq; uſu, ut ita utamur hoc mũdo tanquã nõ utamur, tanquã prætereuntes,
nõ tanquã reſidentes, ambulãtes tanquã in imagine ſeculi, nõ in cupiditate ut uelociſſi-
4 ma diſputatione ipſam imaginẽ huius mundi trãſeamus. Denicq; ipſe fide ambulans nõ
ſpecie peregrinabatur à corpore, ſed aderat domino: & cũ eſſet in terris: nõ in terrenis,
ſed in cœleſtibus cõuerſabatur. Ergo anima noſtra quæ Deo uult appropinquare, ele-
uet ſe à corpore, ſemper illi ſummo adhæreat, illi bono quod eſt diuinum, quod eſt ſem-
Acto. 17 per, & quod erat ab initio, & quod erat apud Deũ, hoc eſt Dei uerbũ. Ipſum eſt illud di-
uinũ in quo uiuimus, & ſumus, & mouemur. Ipſum eſt quod erat in principio, ipſum eſt
quod eſt. Dei enim filius Ieſus Chriſtus in nobis, inquit, eſt: in quo nõ fuit eſt & non, ſed
2. Corint. 1 eſt in illo, fuit. Ipſe dixit Moyſi, ut diceret: Qui eſt, miſit me. Cũ hoc igitur anima noſtra
Exod. 3 ſit, & ſit (ſi fieri poteſt) ſemper, ut & noſtrũ poſſit quis dicere: Anima mea in manibus
Pſal. 118 tuis ſemper. Erit autem, ſi nõ in carne ſit, ſed in ſpiritu. Erit, ſi ſe terrenis nõ miſceat. Cum
enim ad carnalia reflectitur, tunc ei illecebra obrepit corporis, tunc ira & indignatione
5 exæſtuat, tunc mœſtitia afficitur, tunc ſupinatur per arrogantiã, tunc dolore affligitur.
Hę ſunt ęgritudines animæ graues, quibus plerunq; ad mortem cogitur, dũ oculi eius
cæcantur, ut nõ uideant ueræ lumen glorię, & diuitias æternæ hæreditatis. Quod ſi eos
ad Deum ſemper intendat, accipiet à Chriſto fulgorẽ ſapientiæ, ut illuminatũ in agni-
tione Dei habeat obtutum, ut uideat illã ſpem noſtræ uocationis, aſpiciat illud quod eſt
bonum, & placitũ, & perfectum. Quod enim bonum, cõplacitum patri: quod compla-
Matth. 5 citum, perfectũ: ſicut habes in Euangelio, ubi dicit dominus: Diligite inimicos ueſtros,
Luæ 6 ut imitemini patrẽ qui pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, quod eſt utiq; bonitatis. Et poſtea
Roma. 13 cõcludit dicens: Eſtote perfecti, ſicut pater ueſter qui in cœlis eſt, pefectus eſt. Charitas
enim perfecta eſt, denicq; plenitudo legis eſt. Quid autẽ tam bonum quàm charitas, quę
malum nõ cogitat? Et ideo terras fugito, in quibus inuidia eſt, ubi ambitio, ubi conten-
tio. Boni ergo illius capacem ſe anima tua præbeat, ut ſupra nubes uolet, ſicut aquila re-
6 nouetur, ſicut aquila pennas emittat, ut renouatis alarũ remigĳs alta petere non refor-
Sap. 9 mident, hãc habitationem relinquat. Terrenum enim habitaculũ grauat animam. Exuat
uetera, abĳciat erroris deſideria, abluat oculos ſuos, ut uideat illum fontem ueræ ſapien
tiæ, illum fontem uitæ æternæ, qui affluit atq; exundat omnibus, nullius indigens. Quis
enim dedit illi, cum ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo omnia ſint? Vitæ igitur fons eſt ſum-
Roma. 11 mum illud bonum, ex quo uiuendi ſubſtantia miniſtratur omnibus. Ipſum autem in ſe
habet uitam manentem, à nullo quaſi inops accipit. Largitur bona alĳs, non aliũde aſ-
Pſal. 15 ſumit ſibi. Neq; enim noſtri indiget. Vnde & ait ex perſona hominis: Quoniam bono-
rum meorum non indiges. Quid ergo pulchrius, quàm ei appropinquare, ei adhærere?
Quę maior uoluptas eſt, quàm quũ quis id uiderit, & de fonte aquę uiuę gratis guſtaue-
rit? Quid poteſt aliud deſiderare? quæ regna? quas poteſtates? quam pecuniam? cũ ad-
uertat quam miſerę etiam hic Regum conditiones ſint, quàm mutabiles imperĳ ſtatus,
quàm exigua uitę huius ſpatia, quãta in ipſo imperio ſeruitia, cũ ad aliorũ non ad ſuum
uiuant

uiuant arbitrium. Quis autem peculiatus ad uitã æternam transit, nisi uirtutũ fultus peculio, quod receptũ omnibus, solis diuitibus impossibile pronunciatur? Non ergo his uti beatũ est, sed illud uidere quo ista despicias, & uana ueris refellas, atq; inania & cassa iudices, illam nudæ ueritatis pulchritudinem diligas, quæ has seculi fucosissimas uanitates redarguat. Erige igitur oculos anima tuos, illos de quibus tibi uerbũ Dei dicit: Corde nos cepisti soror mea sponsa, corde nos cepisti uno ab oculis tuis. Ascende in palmam, uince seculũ, ut teneas uerbi altitudinem. Imaginẽ istam mundi foris relinque, foris malitiã, introduc autem bonitatem mentis, quæ habet gratiam in ligno uitæ, si lauerit stolam suã, & ingrediatur in ciuitatem, quæ uera est patria sanctorum, in qua est Dei tabernaculum, circa quod scribæ domini prętendunt, ubi nõ dies, aut sol, aut luna lumen ministrant, sed ipse dominus lumen est totã illam ciuitatẽ illuminans. Est enim lux mundi. Non utiq; lux uisibilis, sed animarũ quæ in hoc mundo sunt, intelligibilis claritudo, quibus se splendenti lumine rationabilis infundit prudentiæ, & ut prædicatur in Euangelio, incorporeæ uirtutis inflãmans uapore secreta mentiũ, animorumq; penetralia. Si quis igitur incola esse cœperit illius ciuitatis supernæ, incola uidelicet cõuersatione ac moribus, non discedat ab ea, nõ exeat, non reflectat uestigiũ, nõ corporis dico, sed mentis uestigium. Non reuertatur retro. Retro luxuria, retro impuritas est. Deniq; ascendẽs ad montẽ Loth, retro reliquit Sodomitana flagitia. Quæ autem respexit retro, non potuit ad superiora euadere. Non ergo pedes tui retro, sed mores nõ reuertantur. Non fiãt manus tuæ remissæ, & deuotionis tuæ ac fidei genua dissoluta. Non fiat uoluntatis tuæ recidiua infirmitas, nõ ullus intercursus criminũ. Si ingressus es, mane: peruenisti, consiste: saluans salua animam tuã. Ascendens directum attolle gradũ, nullus inde tuto redit. Hinc uia, inde ruina est. Hinc ascensus, inde præcipitiũ. Ascendendi quidem labor, sed descendendi periculũ. Sed potens est dominus, qui te fundatum illic custodiat, septum Propheticis muris, & Apostolicis turribus. Ideo tibi dicit dominus: Intrate, calcate, quia assistit uindemia. Intus nõ foris simus. Et in Euãgelio Dei filius dicit: Qui est in tecto, nõ descendat uasa sua tollere. Non utiq; de hoc tecto dicit, sed dicit de illo: Extẽdit cœlũ sicut camerã. Intus ergo esto, intra Hierusalem, intra animã tuam pacificã, mitẽm atq; tranquillam. Non exeas de ea, neq; descendas uas tuum istud aut honoribus aut diuitijs aut arrogantia attollere. Intus esto, ut per te alienigenæ nõ transeant, peccata animam tuam non transeant, uanæ operationes & cogitationes inanes: non transibunt autem, si sanctificaueris bellum pro deuotionis & fidei certamine, pro ueritatis studio aduersus passionũ illecebras, & sumpseris arma Dei aduersum spirituales nequitias, & astutiam diaboli, qui pertentat sensus nostros fraude ac dolo, quem mãsuetus bellator facile proterit, qui nõ ferat iurgia, sed sicut decet seruũ domini, cum modestia fidẽ doceat, & eos qui aduersantur redarguat. De hoc dicit scriptura: Qui mansuetus est, bellator exurgat, & infirmus dicat: Omnia possum in eo qui me cõfortat. Hac fide fretus etiã qui infirmus est prævalebit, & erit sancta anima eius, & stillabunt ei montes prophetici uel Apostolici dulcedinem, & colles fluent lac, qualis ille collis qui lactis potũ Corinthijs dabat, & fluent ei aquæ de suis uasis, & de puteorum suorũ fontibus, uel de uentre eius aquæ uiuæ, spirituales uidelicet, quas fidelibus suis spiritus sanctus ministrat, qui etiam animam tuam dignetur rigare, ut abundet in te fons aquæ salientis in uitam æternam. Vale, & nos ut filius dilige, quia nos te ut parentes diligimus.

Matt. 24 *Psal. 103* *Philip. 4* *Ioel 3* *Ioan. 7*

Diui Ambrosij ad Irenæum, prosequentis illud uerbum Aggæi prophetæ: Si tẽpus uobis est ut habitetis in domibus cælatis? multa ex hoc nos sermone cõmonentis ut in superioribus domibus, & nõ in uallestribus & subterraneis habitemus, talesq; domos nosmetipsos domino ædificemus. Epist. XII

A Mbrosius Irenæo. Vbi superiorem absolui epistolã, & præferendã tibi tradidi, uenit in mẽtem illud quod dominus in manu Aggæi prophetę locutus est, dicens: Si tempus uobis est, ut habitetis in domibus cælatis? Quid ergo istud est, nisi in superioribus habitandũ, non in uallestribus & subterraneis habitaculis? Qui enim infra terrã habitãt, nõ possunt ædificare tẽplũ Dei, & dicũt: Nõ uenit tẽpus ut ædificẽ domus domini: simul quia luxuriosorũ est hypogęa quærere, captantiũ frigus æstiuũ, eo quod resoluti delicijs æstus aliter ferre ac tolerare nequeãt, & ideo requirant umbrosa

Aggæi 1 1 2 3

umbrosa penetralia: uel quod desidiosi ignaua sub terris agant ocia: deinde quod tenebrosa illos & opaca delectent magis, quibus operiri flagitia sua credant, secundũ illud:

Eccl. 23 Tenebræ circundant me & parietes, quem uereor? Sed frustra hoc sperãt, cum profunda abyssi & abscondita Deus cernat, & omnia deprehendat antequam fiant. At non

3. Reg. 17 Helias in hypogæis, non Helisæus habitabant. Denicꝙ alter mortuum uiduæ filiũ tulit

4. Reg. 4 ad superiora, in quibus consueuerat sedere, & ibi eum resuscitauit. Alteri quoꝙ Sunamitis illa magna mulier (ut scriptura testificatur) in superioribus hospitium parauit, & ibi concipiendæ sobolis, quia non habebat, meruit prærogatiuam, eiusdemꝙ resuscitati pignoris uidit miracula. Quid de Petro dicam, qui ad horam sextam ascendens in su-

Act. 10 periora, baptizandarum gentium cognouit mysteria? At uero parricida Abessalon in

2. Reg. 18 ualle sibi regis titulum statuit, & in fossam proiectus est, cum esset peremptus. Ergo sancti ascendunt ad dominum: flagitiosi ad uitia descendunt. Sancti in mõtibus, criminosi

3. Reg. 20 in uallibus. Deus enim montiũ est, & nõ Deus uallium. Qui ergo illic, id est in domibus habitabant uallestribus, in quibus non habitat Deus, domũ Dei in se habere non poterant. Hanc enim dominus quærebat ab illis domũ, ut semetipsos ædificarent, atꝙ intra se Dei templum uiuis fidei lapidibus attollerent. Neꝙ enim terrenorũ parietum cõstructiones, & syluestrium ligna culminũ desiderabat, quæ cum fuissent, manus diruerat hostilis, sed illud templũ quærebat, quod in hominũ conderetur mentibus, quibus dicen-

1. Cor. 6 dum foret: Vos estis templum Dei, in quo habitaret dominus Iesus, & unde ad redemptionem uniuersorũ procederet, ut in utero Virginis sacra reperiretur aula, in qua rex habitaret cœlestiũ, & corpus humanum Dei templum fieret, quod etiam cum solutum

Ioan: 2 esset, in triduo resuscitaretur. Sed hanc domũ non luxuriosi ædificant, qui cælatas inhabitant domos, & cælato argento delectãtur. Sordet enim illis purũ argentum, ita & istis sordet simplicis habitationis locus. Sinuãt spatia domorũ, & adijciendo adijciũt, cõiungentes domũ ad domũ, & uillam ad uillam, effodiunt terrã, ut elementum quoꝙ eorum cedat habitaculis, & quasi terræ filij intra eius recondantur uterum, & abscõdantur al-

Hier. 22 uo. Isti plane sunt: de quibus dicit Hieremias: Væ qui ædificant domum suã non cũ iustitia. Qui enim cum iustitia ædificat, non in terrenis ædificat, sed in cœlestibus. Aedificasti, inquit, domũ metire superiora eius, perflatilia distincta fenestris, & contignata cedro, & illita minio. Metitur autem superiora, qui contemplatus iudiciũ Dei, iudicat iudicium humilis, & iudiciũ pauperis. Qui autem in auaritiã intendit, & in sanguinem innocentis, non ædificat superiora cũ iudicio: nec mensuram tenet, quia non habet Christum: nec aspirare sibi diuinæ flatus explorat gratiæ, nec pleni luminis splendorem re-

Cantic. 4 quirit: nec illita minio habet cœnacula, cui non potest dici: Sicut resticula coccinea la-

Ibidem bia tua. Non sepelietur, inquit, huiusmodi. Qui enim uiuũ se sub terram infodit, & tanquam in sepulchro sepeliuit, eripuit sibi mortuo requiem sepulturæ. Deposítus itaꝙ in ualle corporaliũ delectationũ, non inuenit sepulchrum de quo possit resurgere. Huiusmodi ergo uir nec templũ Deo ædificat, quia nõ nouit tempus correctionis suæ. Quomodo enim possunt tales homines templũ ędificare, qui quasi feræ ac bestię in spelęa se-

1. Timot. 5 rarum & bestiarũ latibula sese receptant, atꝙ in foueas se serpentiũ more demergunt, & cõsuetudine fraudulentæ uulpis infodiũt? Sed nec sepulchrũ sibi cõdit qui ante tempus moritur. Viuens enim mortuus est, nec audit uocem Aggæi, id est epulãtis, ut interpre-

Psal. 41 tatio declarat: quoniã nõ ingreditur tabernaculũ Dei in uoce exultationis & cõfessionis sonus epulantis. Quomodo enim uocem eius audit, qui opera eius non uidet? Nã si uideret, audiret uerbũ quod in eius manu factũ est, delectatus eius actibus quibus pulsauit & apertũ est ei, & descendit in eius animã, ut epuletur in eo synceritatis & ueritatis

Aggæi 1 cibos. Ergo quia nõ audiuit, fit iterũ in manu Aggęi uerbũ, & dicit: Surgite de cęlatis & de pressis malitia domibus, & ascendite in montem scripturarũ cœlestium, & cædite lignum sapientiæ, lignum uitæ, lignũ cognitionis, & dirigite uias uestras, ordinate actus uestros ut habeant ordinem suum debitum, qui necessarius & utilis est ad ædificandam domini domum. Nam si nõ feceritis: nec cœlũ dabit rorem suum, id est, sermo cœlestis, qui sicut ros descendit super fœnum, non temperabit feruidos corporalium motus passionum: nec ignita restinguet diuersarum spicula cupiditatum, nec terra eius, id est anima fructus dabit, eo quod arescat, nisi repleatur irriguo uerbi Dei, & perfundatur ro-

re cœlesti,

re cœlesti, spiritualis ubertate gratiæ. Et quia sciebat desides esse habitantes in hypogæis, & uoluptatum gurgustijs: Excitabo, inquit, illis spiritum Zorobabel de tribu Iudę, & Iosedec sacerdotem magnum, ut incitentur ad ædificationem diuinę domus. Nisi enim dominus ædificauerit sibi domum, in uanum laborauerunt qui ędificant eam. Ipse est Zorobabel iugis redundantia, utpote fons uitæ, & uerbum Dei, per quod omnia, & ex quo omnia, & omnia in ipso. Hæc dicit redundantia: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Hoc est profluuium indeficientis meatus. Profluuium quoq; nocturnum legimus quod est Zabulon, id est propheticum, sed etiam & ipsum huius fluenti infusione resplenduit, per quod euanuit illud profluuium uanitatis in Iezabel, quæ inimica ueritati, & aduersaria prophetarum eloquijs, ita dilacerata est canum morsibus, ut nullum eius supereſſet ueſtigium, sed toto corpore suo cum omnibus posteritatis suę insignibus extingueretur. Ipse igitur Zorobabel ex tribu Iudæ, ipse Iesus magnus sacerdos, & tribus delignatus & nomine: duo significari uidentur, & unus exprimitur: quia idem quasi potens natus ex potente: quasi redemptor ortus ex Virgine, in utriusq; idem naturæ diuersitate diuinæ: unius filij Dei ueritatem gigas salutaris impleuit. Excitaturus itaq; à mortuis Zorobabel sanctum ait: Adhuc ego mouebo cœlum & terram, & maria & desertum. Mouerat ante hæc, cum de Aegypto liberaret populum suum, quando in cœlo columna erat ignis, terra inter fluctus, murus in mari, uia in aqua, in deserto messis quotidiana frugum cœlestium multiplicabatur, petra soluebatur in fontes aquarum, sed mouit, sed postea in passione domini Iesu, quando cœlum tenebris obductum, sol refugit, petræ fissæ, tumuli aperti, mortui resuscitati, draco uictus in fluctibus suis uidit piscatores hominum non solum nauigantes in mari, sed etiam ambulantes sine periculo. Desertum quoq; motum, quando infructuosus nationum populus in messem cœpit deuotionis & fidei flauescere. & eousq; deserti, & gentium commotio facta est, ut Apostolorum quos direxit ad gentes uocandas, tanta esset & tam uehemens prædicatio, ut in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Tanta inquam commotio deserti, ut plures filij fierent desertæ, quàm eius quæ habebat uirum: Et floret desertum ut lilium, introirent electa gentium ad residuos populi, quo reliquiæ saluę fierent per electionem gratiæ. Et replebo, inquit, domum hanc argento meo & auro: eloquijs cœlestibus, quæ sunt sicut argentum igni examinatum, & ueri claritate luminis, sicut auro spirituali in sanctorum occultis mentibus refulgente. Has diuitias cõfert Ecclesiæ suæ: quibus intelligibiles thesauri replentur, & gloria augetur domus superiorem gloriam quam populus habuit electus. Pax enim & tranquillitas animæ superat omnem domus gloriã est, quia pax superat omnem sensum. Hæc est pax super pacem, quæ dabitur post tertiam commotionem cœli, maris, terræ, deserti, quãdo destruet omnes potestates & principatus. Cœlum enim & terra transibunt, & omnis istius mundi figura, & unusquisq; in romphæa insurget ad fratrem suum, id est, uerbo penetrãte medullas animæ, ut destruatur quicquid est contrariũ, currus ex Ephren, & equus ex Hierusalem, ut Zacharias dixit. Et sic erit pax per omnia, ut nullis obsistentibus corporis passionibus, aut incredulæ mentis impedimentis, fiat in omnibus Christus, subdita patri exhibens corda uniuersorum. Vnde & ad ipsum solum mystice dicitur: Sumam te Zorobabel, & ponam te sicut signaculum, quia te elegi. Etenim cum fuerit anima nostra pacifica, ut dicatur ei: Conuertere cõuertere Sunamitis, quod pacificam significat, & ut tuo nomine utar, ἱερωνικὴν, tunc accipiet in se sicut signaculum Christum, id est imaginem Dei, ut sit ad imaginem: quoniam qualis cœlestis, tales & cœlestes. Et oportet nos portare imaginem cœlestis, id est pacem. Atq; ut sciamus uerum esse, habes in Canticis, in ultimo, iam perfectæ animæ dici, quod & tibi dicat dominus Iesus: Pone me ut signaculum in brachium tuum, ut luceat pax in corde tuo, & in operibus tuis Christus, & formetur in te sapientia, & iustitia, & redemptio. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Psal. 126

Roma. 11
Ioan. 7

4. Reg. 9

Exod. 14
Ibidem 16 & 17
Matt. 27

Psal. 18
Esa. 54
Roma. 11
Aggæi 2

Philip. 4

Matt. 24
1. Cor. 7

Zach. 9

Aggæi

Cant. 6

1. Cor. 15

Cant. 8

DIVI

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS EPISTOLARVM LIBER IIII.

Diui Ambrosij ad Irenęum hanc quęstionem, Vtrum sit aliqua apud Deum differentia charitatis eorum qui à pueritia, & eorum qui iuuentutis aut posterioris ætatis processu crediderint, dissoluentis. Epist. XIII

AMBROSIVS Irenæo. Differentia charitatis utrum sit aliqua apud Deum, eorum qui à pueritia crediderint, & eorum qui iuuentutis aut posterioris ætatis processu, prudenter requirendum putasti. Nam hoc quoq; scriptura diuina non prætermisit, neq; intactum reliquit. Siquidem dominus Deus noster ad Iohel prophetam nõ ocioſe ait: Lamentare ad me super sponsam præcinctam saccum in uirũ eius uirginalem. dolens Synagogam quæ antea uirginitate sua desponsata Dei uerbo foret, uel animam certe quæ de bonis meritis decidisset, ita offendiculum incidisse peccatorũ flagitijs, ut odia contraheret, & inquinamento impietatis, ac perfidiæ obsoleta sordibus, miserabili esset despectui, longe mutata ab illius sponsæ gratia, quæ ante meruerat audire: Sponsabo te mihi in fide, & iustitia, & misericordia. Nec immerito lamentabilis, pronunciatur, quæ tantorum munerum amiserat precium, & uirtutum dotalium tam graue subierat dispendium, ut ei uirginalis sponsus eriperetur. Nostris enim meritis uerbum Dei nobis aut uiuit, aut moritur. Nam si bona studia atq; opera nostra sint, uiuit atq; operatur in nobis Dei uerbum: si tenebrosæ cogitationes operationesq; nostræ sint, occidit nobis sol iustitiæ. Et ideo lamentandum præcipit pro ea anima. Nam sicut illis gratulandum & epulandum est, cum quibus sponsus est: ita illi animæ lugendum cui sponsus fuerit ereptus, sicut de Apostolis scriptum est in Euãgelio: Quoniam cum auferetur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus. Ergo & hæc anima habebat ante lęticiã & exultationem, cum haberet παρθενικὸν λόγον. Et ideo non ieiunabat, quia dies erãt epularum & refectionis cum adesset sponsus inuehens quibus aderat, ubertatis affluentiam cœlestis alimenti, copia uini rigatus, quo corda hominum lætificãtur. sed postea quàm sponsum factis suis amisit, iubetur in cilicio agere pœnitentiam peccatorum suorum, & deflere semetipsam, quia mortuus est ei crucifixus pro ea Christus, qui est παρθενικὸς λόγος. Si prima ætate conuenit, nec alterius anima hæc uidetur experta copulam, sed à principio uirginalem fidei suæ florem Christo dicauit, atq; ipsi primis fœderata pietatis mysterijs sacros iuuencula cultus recepit, ipsa est Israelitica anima ueteris prosapiæ ex genere patriarcharum: quæ si inoffensum fidei seruasset curriculum, magni meriti foret sponsa uerbi uirginalis, tanquam illa quę apprehendit iustitiã, & obuiauit illi quasi mater, & quasi mulier à uirginitate susceptit illam. Altera quoq; est acquisita ex gentibus, & utraq; sponsa unius uerbi, quod est magnum mysterium. Idq; tibi demonstratur in libro Regnorũ. Siquidem Dauid duas uxores habuit, Achinaam Iezrahelitem, & Abigeam acquisitam sibi postea. Illam rigidiorem, istã misericordię plenam & gratiæ, hospitalem ac liberalem animã, quæ releuata facie patrem uidit speculata eius gloriã, quæ suscepit diuinum illum paternæ gratiæ rorem, ut habet nominis interpretatio. Quid autem ros patris, nisi Dei uerbum, quod humore fidei atq; iustitiæ infudit corda uniuersorum: Pulchrè igitur huic animæ uerus dicit Dauid, quod illi Abigeæ dictum est: Benedictus dominus Deus Israel, qui misit te hodie huc obuiã mihi, & benedicti mores tui. Et iterum dicit ei, Ascende in pace in domum tuam: uade, audiui uocem tuam, & reueritus sum faciem tuam. Denicq; in Canticis etiã hæc uerba sunt sponsi ad sponsam: Ostende mihi faciem tuam, & insinua mihi uocem tuam. Et tũc quidem dimissa est, quoniam alterum habebat uirum, qui dicebatur Hebraicè Nabal, Latinè insipientia, durus, inhospitalis, inhumanus, ingratus, qui officia nesciret referre: sed postea quàm defunctus est uir eius, solutã à lege uiri accepit eã sibi in uxorẽ propheta Dauid. Per cuius copulã Ecclesiæ creditureæ ex gentibus significantur mysteria, quæ amisso uiro cui antè iuncta fuerat, trãsiuit ad Christũ, censu pio diues, humilitatis & fidei, misericordiæ quoq; dotata patrimonio. Sed hoc loco non ista deploratur, sed illa Achinaã quę fuit male fortis in fratrem

Iohel 1

Oseæ 2

Matth. 9

1. Reg. 25

Ibidem

1. Reg. 25
Cantic. 2

1. Reg. 25

fratrem. Et ideo ille frater factus est in cõmotionem. Vnde ex persona eorum dictũ est, Posuisti nos in parabolam in gentibus, cõmotionem capitis in populis. Quam nutantẽ inueniens diabolus, sicut leo diruit, & iucunditatem eius abstulit, Vineam eius & ficum euertit, sub quibus solebat ante requiescere, & arescere fecit fructus eius. Quos aridos miseratus atq; albentes siccitate nimia dicit ad prophetam deus: Lamẽtare ad me super sponsam præcinctam cilicio, & super uirum eius uirginalem, id est, super animæ huiusmodi uel synagogæ uirum mortuum. Cui loco alio expostulans dicit: Eo quod oblita propositi sui, oblita charitatis, immemor gratiæ, de uia disciplinæ, superiorem uxoris affectum amiserit. Meritoq; suis eam sermonibus redarguit, memorans & retexens eiusdem blanditias, & pietatis uocabula. Non sicut domesticum me uocabas, & patrem & initiatorem uirginitatis tuæ. Ergo huic animæ cui per intemperantiam eius mortuũ est dei uerbum, & ille παρθενικὸς λόγ῾ occidit, luctum indicit, intercessorem adhibet, ut uocetur ad pœnitentiam, quo possit mereri misericordiam. Illi autem quæ bona intellectu, & decora aspectu ualde, sicut Abigea acquisita sibi erat in prælio, deuictis aduersarijs, & mortuo uiro qui uallatus nequitijs spiritualibus repugnabat ac resistebat ne sibi speciosa uxor adimeretur, quasi uictor & diligens sponsus iucunditatem confert & gratiã, emundans eam ab omnibus pulchritudinis eius impedimentis, & exuens uestimentis captiuitatis: ut depositis omnibus capitis sui capillis, id est, peccatorum criniculis, qui quasi superflui nostro in corpore uidentur (quoniam si uir comam nutriat, ignominia est illi) in unitate fidei, in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi stu deat occurrere, ut omnem deponat animi perturbationem, & charitate fundata augeatur in domino Iesu, & uniuerso acquirat incrementa corpori. Hæc est anima illa quã lex demonstrat tibi in specie mulieris bonæ, quam si uideris in prædam, & concupieris accipere in uxorem tibi: Induces, inquit, eam in domum tuam, ut tota ei cõmittas interiora domus tuæ, omnium tuorum uiscerum possessionem, auferas eius superflua, tondeas lapsus, & nouacula non satis acuta, ne faciat dolum, tuarum exuuias passionum, atq; inanes sensus recidas. Ideo ait: Rades eius caput, quo nulla obstacula patiãtur oculi sapientis, qui sunt in capite eius. Et sedebit, inquit, triginta diebus in domo tua, peccata propriæ deplorans natiuitatis, & commenta nequissimi patris diaboli, qui uult congregare quæ non generauit: ut huius mystici numeri purificatione mundata, coniugij claues adipiscatur. Et pulchrè ait: Postea intrabis ad eam, ut totus ingrediaris in animã tuam, atq; intra ipsam te colligas, & in ea habites: apud eam cõmorare, in ipsa tibi sit omnis conuersatio, ut sis non in carne, sed in spiritu, & proponas adiungere eam tibi ad consortium uitæ, sciens quoniam cõmunicabit tecum de bonis, & perfunctus eius gratia, dicas, puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam. Et illa tibi respondeat, Assumam te, & inducam te in domum matris meæ, & in secretum eius quæ me concepit. Bona mater animarum Hierusalem illa quę in cœlo est. Erit ergo uxor tua, & inueniens te osculabitur te. Et si postea displicuerit tibi quod castiget corpus suum, & seruituti redigat, non patieris eam seruire, id est, uoluptatibus corporis, nec subijcies eam carni, sed liberam permanere patieris: nec alienabis eam, hoc est enim uendere: nec contemnes eam, sed permittes seruire eam deo suo in castitate fidei, & bonorum operũ sobrietate. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Psalm. 43

Iohel. 1

Prouerb. 2

1. Reg. 25

2 *1. Cor. 11*

Ephes. 4

Deut. 21

Sapien. 8

Cantic. 8

Deut. 21

Diui Ambrosii ad Irenæum, errorem remouentis ne quis eum de quo in superiori epistola dictum est quod duas habebat uxores, duas adsciuisse sibi animas intelligat.

Epistola XIIII

AMbrosius Irenæo. Superiore epistola scripsimus liberandam ab aduersarijs animam nostram, & cum ea indissociabilis uitæ subeundum consortium. Et quia sermo iste nobis de Deuteronomio exemplũ assumpsit assertionis suæ, quo loci subiectum est de uiro qui duas uxores habebat, unam odibilem, alteram amabilem: non perfunctorie motus uideris, ne forte duas animas istum sibi ascisse aliquis intelligat: quod fieri nequaquam potest. Verùm ipse non ignoras quod interdum scriptura cum allegoriam dicit: alia ad speciem Synagogæ, alia ad Ecclesiam refert: alia ad animam, alia ad uerbi mysterium: alia ad diuersas species & qualitates animarum: quæ discernit qui dijudicat spiritu. Vnde sequenti capitulo legis nõ duas animas, sed diuersas

1 sas qualitates unius animæ comprehẽsas arbitror. Est enim amabilis animæ species quæ
concupiscit uoluptaria, quæ laborem fugit, compunctiones declinat, iudiciũ dei negli-
git. Ideo amabilis, quia dulcis & suauis ad tempus uidetur, quæ mentem non afficiat,
2 sed oblectet. At illa altera tristior, quæ zelo dei conficiatur, sicut uxor seuera scortari
3 comparem suum nolit, non patiatur, non sinat, nihil indulgeat corpori, nihil uoluptati
& delectationi relaxet, abdicet occulta dedecoris, dura laborum sequatur, grauia peri-
Ibidem culorum. Si igitur pepererint ei ambæ, non poterit, inquit, primitiuum filium amabi-
lis in hæreditatis institutione præponere primitiuo filio odibilis, cum sciat odibilis fi-
lium primitiuum esse. In quo non tam prelationem simpliciter significari puto quasi in-
ter primitiuos duos, quàm expressionem solum odibilis filium primitiui habere præro-
Exodi 13. gatiuam. Primitiuus enim primogenitus est, sancti autem primogeniti sunt, quia omnis
& 34 masculus adaperiens uuluam sanctus domino uocabitur. Non tamen omnis primoge-
Lucæ 2 nitus sanctus. Non enim sanctus Esau, qui uticq; primogenitus. sancti autem primoge-
Num. 3. niti sunt. Denique habes in Numeris: Ecce tuli Leuitas de medio filiorum Israel pro o-
mni primogenito qui aperit uuluam, à filijs Israel. Mihi enim in quo die percussi omne
primitiuum Aegypti, sanctificaui omne primogenitum Israel. Ergo Leuitas pro pri-
mogenitis accepit. quasi sanctos enim primogenitos esse cognoscimus ex epistola ad
Hebr. 12 Hebræos scripta, in qua habemus: Sed appropinquastis Sion monti, & ciuitati Hieru-
salem, & decem milibus angelorum, & Ecclesiæ primitiuorum. Ergo sicut primoge-
niti Ecclesiæ sancti, sic & Leuitæ, quoniam ipsi quoq; primogeniti. Non enim nascen-
di ordine sancti, sed sanctificationis munere. Leui enim tertius filius fuit Liæ, non pri-
mus utiq;. Qui autem sanctificatus, ipse aperit uuluam. Quam uuluam? Audi dicen-
Genes. 29 tem: Errauerunt peccatores ab utero. Quia intellexisti primogenitum qui aperit uul-
Psalm. 57 uam, intellige uterum bonæ matris, à quo non errant sancti, sed peccatores. Leuitæ au-
tem auferuntur de medio Israel, quia nihil habent cõmune cum populo, cuius primoge
nita secularia destruuntur. Primogenita enim seculi alterius matris sunt, à cuius utero
Gal. 1 segregatus Paulus est cum ad gratiam uocaretur dei. Et ideo de medio populi segrega-
tus, uerbum recepit, quod est medium in corde nostro. Vnde & illud dictum est: Me-
Ioan. 1 dius autem uestrum stat, quem uos non uidetis. Non ociosus itaque nobis à lege in le-
gem excursus fuit, ut primogenitum non esse amabilis illius, id est, remissioris & uolu-
ptariæ filium doceremus, quamuis propositi capituli uerba hæc exprimant, dicente scri
Deut. 21 ptura: Non poterit filium amabilis primitiuum præponere, cum sciat filium odibilis
primitiuum esse. Ille est uere primitiuus, qui sanctæ matris sanctus est partus. sicut illa
uera mater, à cuius utero non errant ueri filij, sed peccatores. Ergo ille non ueræ matris
filius, non primitiuus uerus, sed quasi primitiuus iuuatur sumptu ne egeat, non ut di-
ues sit honoratur. Hic autem dupla ex omnibus accipit, ut abundet: sicut etiam in Ge-
Gen. 45 nesi habes patriarchas à fratre suo Ioseph geminæ singulos stolæ donatos munere cum
remitterentur ad patrem, ut significarent fratrem repertum Ioseph, quem defunctum
esse crediderat pater. Primogenitus itaque hæreditatis accepit prærogatiuam, dicente
Deut. 21 scriptura: Hic est initium filiorum eius, & huic debentur primogenitalia. A primoge-
Apoc. 1 nito igitur dei filio primogeniti sancti, & ab illo initio (quia ipse est initium & finis)
initium sanctus nuncupatur, initium filius, cui debetur primitiarum prærogatiua, se-
Gen. 21 cundum illud ad Abraham dictum: Eijce ancillam, & filium eius. Non enim hæres e-
rit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Quod magis ad hæreditatem uirtutum quàm pe-
Ibidem cuniæ spectare diuino oraculo docetur, dicente deo: Omnia quæcunque tibi dixerit
Sara, audi uocem eius, quoniam in Isaac uocabitur tibi semen. Quæ erat alia in Isaac,
nisi sanctitatis hæreditas, quæ nobilitaret patrem? Et filium quidem ancillæ super na-
tiones præfecit, quasi simpla conferens patrimonij: filio autem Saræ dupla
dedit, cui non solum temporalia, sed etiam superna &
perpetua collata sunt. Vale, & nos dilige,
quia nos te diligimus.

Diui

Diui Ambrosii ad Irenæum, causſam reddentis cur Lex prohibuerit mulieres uti ueſte uiríli, atq; uiros induí ſtola muliebri. Epiſtola XV

AMbroſius Irenæo. Pertuliſti ad me quaſi filius, quæſiuiſſe aliquos à te, quid ſibi uelit, quod tam ſeuerè Lex immundos eos dixerit qui alieni ſexus uterentur ueſtibus, uel uiros ſcilicet uel mulieres. Sic enim ſcriptum eſt: Non erit res uiri ſuper mulierem, neq; induetur uir ſtolam muliebrem, quia immundus eſt domino omnis qui fecerit hoc. Et ſi uere diſcutias, incongruum eſt quod ipſa abhorret natura. Cur enim homo non uis uideri eſſe quod natus es? Cur alienam tibi aſſumis ſpeciem? Cur mentiris fœminam, uel tu fœmina uirum? Suis unumquemq; ſexum induit natura indumentis. Denicq; diuerſus uſus, diuerſus color, motus, inceſſus, diuerſæ uires, diuerſa uox eſt in uiro & fœmina. Sed etiam in reliqui generis animantibus alia ſpecies leonis, alia leænæ, alia uis, alius ſonus: alia tauri, alia uitulæ. In ceruis quoque quantum diſtat ſexus, tantum diſcrepat ſpecies, ut eos etiam eminus poſſis diſcernere. In auibus uerò etiam propria ad ueſtitum eſt inter eos & homines comparatio. In illis enim ſexũ naturalia ipſa indumenta diſcernunt. Paui mares ſpecioſi, fœminæ non item pennarum uario pinguntur decore. Faſianis quoq; diuerſus color, qui diſtinguat ſexus diſcretionem. Quid in pullis? quam canora uox galli? nocturnisq; uicibus ſolenne munus ad excitandum & canendum? Nunquid illa mutant ſpeciem ſuam? Cur nos mutare deſideramus? Et quidem Græco more influxit ut fœminæ uiriliibus quaſi ſuccinctioribus tunicis utantur. Eſto tamen ut illæ imitari uideantur melioris ſexus naturam. Quid uiri qui inferioris ſexus mentiri ſpeciem uolunt? Mendaciũ & in uerbo turpe eſt, nedum in habitu. Denique in templis ubi mendacium fidei, ibi mendacium naturæ. Illic aſſumere uiros muliebrem ueſtem, geſtumq; fœmineum, ſacrum putatur. Vnde Lex dicit, quia immundus erit domino omnis uir qui ſtolam muliebrem induerit. Arbitror autem quod non tam de ueſte, quàm de moribus dixerit, uel de uſibus noſtris atque actibus, quod alius uirum, alius fœminam deceat actus. Vnde & Apoſtolus ait, quaſi interpres legis: Mulieres noſtræ in Eccleſia taceant. Non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut lex dicit. Si quid autem uolunt diſcere, domi uiros ſuos interrogent. Et ad Timotheum: Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in uirum. Quam deforme autem uirum facere opera muliebria? Ergo & pariant, ergo parturiant qui criſpant comam ſicut fœminæ. Et tamen illæ uelantur, iſti belligerantur. Verùm habeant excuſationem qui patrios uſus ſequuntur, ſed tamen Barbaros: ut Perſæ, ut Gotthi, ut Armenij. Maior quidem eſt natura quàm patria. Quid de alijs dicimus, qui hoc ad luxuriam deriuandum putant, ut calamiſtratos & torquatos habeant in miniſterio, ipſi promiſſa barba, illos remiſſa coma? Meritò illic non ſeruatur caſtimonia, ubi non tenetur ſexus diſtinctio. In quo euidentia naturæ magiſteria ſunt, dicente Apoſtolo: Decet mulierẽ non uelatam orare deum? Nec ipſa natura docet uos. Quod uir quidem ſi comam habeat, ignominia eſt illi: mulier uerò ſi capillos habeat, gloria eſt illi, quoniam quidem capilli pro uelamine ei ſunt. Hæc ſunt quæ referas requirentibus. Vale, & nos ut filius dilige, quia nos te ut parentes diligimus.

Deut. 22

1

Ibidem

1. Cor. 14

1. Tim. 2

Ibidem

1. Cor. 1

Diui Ambroſii ad Irenæum, epiſtolam ad Epheſios ſummaria ac breui explanatione perſtringentis. Epiſtola XVI

AMbroſius Irenæo. Poposciſti ut ſummam epiſtolæ quæ ad Epheſios ſcripta eſt, inculcaremus tibi, quæ obſcurior uideretur, niſi eius diſtinctiones colligas, quibus perſuadendum putauit Apoſtolus de dei regno nobis nõ deſperandum. Propoſuit itaq; primum, quod bonis maximum ſolet eſſe ad ſtudia uirtutis incitamentũ, præmiorum ſpem, & promiſſorum cœleſtium hereditatem, quæ in paſſione Chriſti & reſurrectione appropinquauerint. Deinde ſubiecit non ſolum in paradiſum reditum nobis reformatum eſſe per Chriſtum, ſed etiam cœleſtis ſolij honorem per conſortium Chriſti corporis carni huic eſſe impartitum, ut de aſcendendi poſſibilitate iam non dubites, qui conſortia tua in carne Chriſti regno cœleſti adhærere cognoſcas, per ſanguinem eius reconciliatione facta omnium quæ uel in terra uel in cœlo ſunt: qui ideo deſcendit, ut captiuitatem noſtram auerteret, ideo aſcendit, ut impleret omnia per

Apostolos, prophetas, sacerdotes, confirmationem uniuersorum, & congregationem gentium. Finem autem spei esse nostræ charitatem ipsius, ut augeamur in ipso per omnia, quia ipse est caput uniuersorum, ad quem omnes secundum mensuram operationis in unum corpus ædificatione charitatis assurgimus. Non ergo desperandum quod capiti suo membra adhæreant, præsertim cum in adoptionem filiorum dei ab initio simus prædestinati per Iesum Christum in ipso: quam prædestinationem probauit, asserens illud quod ab initio prænunciatum est: Quia relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt ambo in carnem unam, sacramentum esse Christi & Ecclesiæ. Si ergo Adæ & Euæ copula sacramentum magnum est in Christo & in Ecclesia, certum est quòd sicut Eua os de ossibus uiri fuit, & caro de carne eius, & nos membra simus corporis Christi, os de ossibus Christi, & caro de carne eius. Nulla autem epistola tantum benedictionis increpuit in plebem dei, quantum ista, in qua non solùm benedictos nos à deo, sed in omni benedictione benedictos & spirituali & in cœlestibus significauit diuinæ locuples gratiæ testis, & prædestinatos nos in adoptionem filiorum, in filio quoq; dei nos cumulatos gratia, abundasse ea ad cognoscendum mysterium æternæ uoluntatis: tum præterea in plenitudine temporum, cum pacificarentur omnia in Christo, & quæ in terra sunt, & quæ in cœlo, sorte nos in ipso constitutos, ut quæ legis sunt implerentur in nobis, & quæ gratiæ: cum etiam secundum legem electi uideremur in iuuentutis ætate, quæ est uita immaculata, nihil habentes lasciuiæ puerilis, & senilis infirmitatis. Docti quoq; prælium non solùm aduersus carnem & sanguinem, sed etiam aduersus omnem militiam spiritualis nequitiæ, quæ est in cœlestibus, uiuidis gerere uirtutibus. Itaq; sicut illis sortito obtigit captarum ex hoste terrarum possessio, ita nobis cecidit sors gratiæ, ut simus possessio dei, qui renes possidet nostros, id est, seminarium castitatis & temperantiæ. Quæris hanc sortem agnoscere? recordare illam quæ cecidit super Mathiam, ut in duodecimum Apostolorum numerum subrogaretur. Sed etiã propheta Dauid ait: Si dormiatis inter medias sortes. eo quòd is qui medius inter Veteris sortem & Noui testamenti est recumbens in utroq;, ad regni cœlestis tranquillitatem adscisc̃itur. Hanc sortem filiæ Salphę petebant hæreditatis paternæ, & earum petitio diuino iudicio probata est. Sed illæ petebant in umbra. Salpha enim umbra oris significatur. In umbra ergo sermonis petebant, loquebantur quod non reuelabatur. Paternæ itaq; hæreditatis petitio Salphæ filiabus in umbra sermonis erat, nobis autem est in Euangelij splendore, & reuelatione gratiæ. Simus itaq; nos possessio dei, & ille nobis portio, in quo sunt diuitiæ gloriæ & hæreditatis eius. Quis enim diues nisi solus deus, qui omnia creauit? Sed multo magis diues misericordia, qui omnes redemit, & nos secundum carnis naturam iræ filios & morti obnoxios mutauit quasi author naturæ, ut simus filij pacis & charitatis. Quis enim naturam mutare potest, nisi qui creauit naturam? Itaq; suscitauit mortuos, & uiuificatos in Christo sedere fecit in cœlestibus in ipso domino Iesu. Non quo quisquam hominũ prærogatiuam sedendi meruerit in illa sede dei, de qua pater soli filio dixit: Sede à dextris meis: sed quia in illa carne Christi per consortiũ eiusdem naturæ caro omnis humani generis honorata est. Nã sicut ille in nostra carne subditus legitur per unitatem carnis, & obedientiam corporis, in quo fuit obediens usque ad mortem: sic & nos in illius carne considemus in cœlestibus. Non ergo sedemus, sed in Christo sedemus, qui solus sedet ad dexteram dei filius hominis, sicut ipse dixit: Amodo uidebitis filium hominis sedentem ad dexterã dei. In eo enim abundauit gratia eius & bonitas super nos in Christo Iesu, ut operibus mortuos, per fidem redemptos, saluatos gratia tantæ donaret liberalitatis munere, in quo uelut resuscitata etiam ipsa natura nouæ sensit creaturæ gratiam, ut in bonis operibus ambulemus creati in Christo, qui antè obnoxiæ hæreditatis uitio degenerauimus. Etenim sublatis inimicitijs quæ erant in carne, antè pax facta est uniuersitatis in cœlo, ut essent homines sicut angeli in terra, ut essent gentes unum atq; Israelitæ, ut in homine uno & nouus homo & uetus sublato pariete maceriæ, qui utrumque diffidioso obice diuidebat, inter se conuenirent. Nam cum huius natura carnis iras, discordias ac dissensiones excitauisset, lex nos damnatorum nexuisset uinculis, Christus Iesus insolentiam atque intemperantiam carnis mortificatione compressit, legem mandatorũ in decretis euacuauit, in quibus ostendit non secun-

Gen. 2
Ephes. 5
1
Ephes. 6
Actuum 1
Psalm. 67
Num. 37
Ephes. 2
Psalm. 109
Philip. 2
Matth. 26
Ephes. 2
2

ſecundum literam interpretanda legis ſpiritualis dogmata, cum & ſabbati ignaua ocia & corporalis ſuperflua deſtrueret circunciſionis, atque omnibus acceſſum ad patrem in uno reſeraret ſpiritu. Quomodo enim poteſt diſcordia eſſe, ubi una uocatio, unum corpus, & unus ſpiritus eſt? Quid enim aliud deſcendens operatus eſt dominus Ieſus, niſi ut de captiuitate nos in libertatem uindicaret, & illam captiuitatem uinctam perfidiæ uinculis ſibi captiuam faceret alligatam ſapientiæ compedibus, mittente unoquoq; prudente pedes ſuos in compedes eius, ſicut ſcriptum eſt: Et cum deſcendiſſet, aſcenderet, ut impleret omnia, & nos omnes de plenitudine eius acciperemus? Ideoq; primum repletos ſpiritu ſuo poſuit in Eccleſia Apoſtolos, prophetas alios, alios euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ut eorum adhortationibus conſummaretur profectus credentium, & miniſterij fidelis opus creſceret, ædificaretur unuſquiſque ædificatione uirtutum in menſuram ætatis interioris, quæ menſura perfectior uitæ immaculatæ, id eſt, perfecti uiri, accipiens de plenitudine Chriſti recipit gratiæ plenitudinem. Quis autem uir perfectus eſt, niſi ille qui abſolutus infantia puerilis ingenij, atq; adoleſcentiæ incerto ac lubrico, & immoderato iuuentutis calore, in uiri perfecti firmitatem ſucceſſerit, atq; ad illam morum maturitatē adoleuerit, ut non facile deuij diſputatoris alloquio flectatur, & quaſi quadam doctrinæ irrationabilis turbidiore in ſcopulos iactetur procella, ad erroris remedia ſe conferēs: & qui ueritatē non ſolum in ſermone, ſed etiam in operibus ſequatur ſuis, & ædificationem charitatis in ſe ſuſcipiat, ut in unitate fidei & agnitionis occurrat, & quaſi membrum non deſit capiti ſuo, id eſt, Chriſto, qui eſt caput omnium, ex quo totum corpus fidelium & ſapientium per harmoniam rationabilem uerbi: hoc eſt enim σωαρμολογούμενον, ἁρμονίᾳ τοῦ λόγου ἀναλημμένου, id eſt, harmonia uerbi compaginatum & compactum atque connexum: per omnem iuncturam miniſtrationis, in menſuram uniuſcuiuſque partis augmentum corporis facit, in ædificationem ſui in charitate, ut aſſurgat unum templum dei in omnibus, & unum domiciliū cœleſtis habitaculum in ſpiritu uniuerſorum? In quo non ſolum ſanctorum hominum, ſed omnium credentium, omnium etiam ſuperiorum rationabilium uirtutum ac poteſtatum, connexionem fidei ſpiritusq; accipiendam arbitror, ut per harmoniam quandam uirtutum ac miniſteriorum corpus unum ex omnibus rationabilis naturæ ſpiritualibus adhæreat capiti ſuo Chriſto, ita ædificationis compage connexa, ut ne tactu quidem iunctura ſingulorum adhærētium diſcrepare uideatur. Hoc eſt enim quod dixit Græcus ἀφὼ τῆς χορηγίας κατ' ἐνέργειαν ἐν μέτρῳ: quod non difficile erit tanto architecto ſecundum menſuram uniuſcuiuſque meritorum, ac fidei conuenientem ſibi connectere, cum ædificatio charitatis rimam offenſionis excludat atque obſtruat. Non eſt ergo dubitandum cœleſtium poteſtatum adhæſura ad hoc templum ædificandum conſortia. incongruum quippe intelligi quod ita aſſurgat humanæ charitatis ædificatio in templum dei, ut fiat in nobis habitatio dei in ſpiritu, non ſic autem in cœleſtibus poteſtatibus. Cuius rei gratia, ut maturius in nobis ædificatio huiuſmodi procederet, hortatur nos Apoſtolus aperire oculos cordis, eleuare ad ſuperiora, agnitionem dei impenſe quærere, ueritatem diſcutere, abſcondere in corde mandata dei, deponere erroris deſideria, dedecoris occulta, renouari per gratiam ſacramentorum, temperare iracundiam, commotionem ante occaſum ſolis relaxare, cauere ne ſuperiora tua occupet aduerſarius, ſpiritus ille habens poteſtatem, qui ſe immerſit in cor Iudæ, & commiſit aduersarius, ſpiritus ille habens poteſtatem, qui ſe immerſit in cor Iudæ, & commi-

Ephes. 4

Ioan. 13

nuit animæ eius ianuas, ne poſſet reſiſtere, furem excludere, mendacem auertere, exurgere à mortuis, ſobrietatem aſſumere, uxorem uiro ut Eccleſiam Chriſto debere eſſe ſubditam, uirum pro uxore animam ſuam offerre, ſicut ſe pro Eccleſia tradidit Chriſtus. Poſtremo quaſi bonum bellatorem ſumere arma dei ac prætendere ſemper, non ſolum aduerſus carnem & ſanguinem, ſed etiam aduerſum ſpirituales nequitias, ne à ſuis emolliri, ab extraneis capi poſſit. Hæc breuiter comprehenſa ut potui perſtrinxi. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad clericos quosdam qui propter leuem aliquam offensionẽ ab officio desistunt, redarguentis, & ad constantiam exhortantis. • Epist. XVII

AMbrosius clericis. Plerumq; humanis obrepit mentibus, ut aliqua leui per-
1 A stricti offensione, si non illis cedant pro studio uoluntaria, officio desistant.
Quod in alio genere hominum tolerabile: in ijs uerò qui rei diuinæ intendunt, plenum doloris. Sunt enim aliqui in clericorum munere, quibus inimicus obrepere studet, si aliàs eos non potuerit circunuenire, ut læsis huiusmodi inserat cogitationes. Quid mihi prodest in clero manere, subire iniurias, labores perpeti, quasi nõ possit
2 ager meus me pascere, aut si ager desit, quasi aliter exercere sumptum nequeam? Itaque huiusmodi cogitationibus etiam boni mores ab officio retrahuntur: quasi uero hoc so-
3 lum sit in clerico, ut sumptum expediat suum, & non ut diuinum sibi post mortẽ potius
Eccles 4 subsidium locet: quanquam ille post mortem abundet, qui tutus hic potuerit decernere aduersum tot inimicorum insidias. Vnde Ecclesiastes ait: Optimi duo super unum, quibus est merces bona in labore ipsorum: quia si ciderit unus, alter erigit socium suum. Vbi sunt duo optimi super unum, nisi ubi Christus est, & is quem Christus tuetur? Quia si ciderit qui cũ domino est Iesu, erigit eum Iesus. Sed qua ratione dixit: In labore ipso-
Psalm. 68 rum? Ergo & Christus laborat? Vtiq; laborat, qui ait: Laboraui clamans. Laborat, sed in
Ioan. 4 nobis. Denicq; ad puteum fatigatus sedebat. Sed quomodo laboret, docuit nos Aposto-
2. Cor. 11 lus minore exemplo dicens: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Docuit & ipse do-
Matth. 25 minus sua uoce: Aeger eram, & nõ uisitastis me. nudus eram, & non operuistis me. La-
4. Reg. 4 borat ut me iacentẽ erigat. Vnde & in Helisæo figura domini præcessit, qui proiecit se, ut mortuũ erigeret: in quo symbolum est quod nobis Christus cõmortuus sit, ut nobis resurgeret. Proiecit itaq; se usq; ad nostram Christus fragilitatẽ, ut nos erigeret. Proiecit se, non cecidit, sed erexit consortem. Ipse enim consortes nos sibi fecit, ut scriptum est:
Psalm. 44 Quia unctus est oleo iustitiæ præ consortibus suis. Vnde pulchrè ait Ecclesiastes: Quo-
Eccles 4 niam qui ciderit, alter erigit socium suũ, non ipse erigitur. Christus enim non alterius
Ioan. 2 auxilio atq; ope erectus est, sed ipse se resuscitauit. Denicq; soluite, inquit, hoc templũ, & in triduo illud resuscitabo. Hoc aũt dixit de templo corporis sui. Nec immerito erectus nõ est ab alio, qui non cecidit. Nam & ille qui à secundo erigitur, cecidit: & qui cecidit, indiget auxilio ut erigatur. Quod & subiecta docent, dicente scriptura: Væ illi uni cum ciderit, & nõ est secundus qui eum erigat, quia & si dormiant duo, est calor illis. Com-
2. Tim. 2 mortui enim sumus Christo, & ideo conuiuimus. Christus nobis cõmortuus est, ut nos
Lucæ 12 calefaceret, qui ait: Ignem ueni mittere in terram. Mortuus eram, sed quia in baptismate cõmortuus Christo sum, accepi lumẽ uitæ à Christo. Et qui in Christo moritur, per Christum calefactus uitæ & resurrectionis uaporẽ accipit. Frigidus erat puer, calefecit eum
4. Reg. 4 Helisæus spiritu suo, dedit ei uitæ calorẽ. Condormiuit ei, ut eum calor quietis eius qui in symbolo cõsepultus ei fuerat, excitaret. Frigidus itaq; est, qui nõ moritur in Christo. Calefieri non potest, cui ignis ardens nõ appropinquat. Inualescere nõ potest alteri, qui secum non habet Christum. Et ut cognoscas secundum mysterium dictum, non secun-
Eccles 4 dum numerũ, quia optimi duo quàm unus, subiecit mysticum: Et spartũ triplex non corrumpitur. Tria enim quæ non sunt composita, non rumpuntur. Trinitas itaq; incompositæ naturæ rumpi nõ potest, quia deus unum & simplex & incompositum est quicquid est. Quod autem est, permanet, non subijcitur. Bonum est itaq; adhærere alteri, & inserere collum in torques eius, & subijcere humerũ, & portare illum, nec tædiare ad uincula, quia de domo alligatorũ exiuit qui regnet, puer ille qui super regem seniorẽ & stultũ
Ephes. 3 est. Ideoq; qui eum sequuntur, alligati uinculis sunt. Denicq; Paulus uinctus Iesu Christi.
Ibidem 4 Vnde & ipse Iesus captiuam duxit captiuitatẽ. Non satis uisum est ei soluere captiuitatẽ, quam diabolus imposuerat, ne iterũ liberos uacãtesq; inuaderet, sed perfecta absolutio existimata est sub Christo degere, & inijcere pedes in compedes sapientiæ ipsius, captiEsaiæ 9 uum esse ut sis liber ab aduersario. Recte puer, quoniam puer natus est nobis. & uere o-
Ibidem 49 ptimus puer, cui dictũ est à patre deo: Magnũ tibi est uocari puerũ meum. Sapiens quo-
Lucæ 2 que, ut Euangelium docet: Quia proficiebat ætate & sapientia. Conuenienter etiã pau-
2. Cor. 8 per, quia cum diues esset, pauper factus est, ut nos sua inopia ditaret. Et ideo non fastidit in regno suo pauperem, sed exaudit eum, & liberat ex omnibus angustijs & molestijs.

Sub

Sub hoc ergo uiuamus, ut rex ille senior & stultus nullam habeat potestatẽ supra nos. Qui dum uult regnare quasi uoluntatis suæ dominus, nec sub uinculis esse domini Iesu, inueteratus in peccatis, stultitiæ incidit deformitatem. Quid enim stultius quàm relictis cœlestibus ad terrena intendisse, & posthabitis perpetuis elegisse ea quæ caduca sunt & fragilia? Nemo ergo dicat: Non est nobis portio in Iacob, neq; hæreditas in Israel. Nemo dicat, non sum in clero, quia scriptum est: Date Leui cleros eius. Et iterum Dauid ait: Quia is qui inter cleros duos medius requiescit, ipse ad superna alis euolat spirituali bus. Non dicas de deo tuo, grauis mihi est: nec de loco tuo, inutilis mihi est, quia scriptũ est: Locum tuum noli relinquere. Vult enim auferre eum aduersarius, uult te abducere, quia inuidet spei tuæ, inuidet muneri. Sed tu quicunq; in clero es domini, portio eius & possessio, noli recedere de domini possessione, ut dicas domino: Possedisti renes meos, suscepisti me ex utero matris meæ. Et ille tibi quasi bono seruo dicat: Transi, recumbe. Valete filij, & seruite domino, quia bonus dominus.

Deut. 23. iuxta 70
Psalm. 67
Eccles. 10
Psal. 138
Luc. 17

FINIS.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI EPISTOLARVM LIBER V.

Diui Ambrosii ad Horontianum, eum docentis ex Michea propheta quomodo anima uetus & infirma à recto itinere deuians lapsa sit: quo'ue processu cõuertatur, gradumq; reparet ac reformet, & ut in proposito suo perseueret admonentis. Epistola XVIII

AMbrosius Horontiano. Prophetæ quidem congregationẽ Gentium, atque Ecclesiæ annunciarunt ædificationem futuram, sed tamen quia in Ecclesia non solùm fortium animarum iugis profectus, uerumetiam infirmorum lapsus, & rursus conuersio est, ideo possumus ex propheticis libris colligere quemadmodum aut præclara illa, & fortis anima sine ulla gradiatur offensione, aut infirmior labatur, aut lapsa reparet, ac reformet gradum. Itaq; sicut in Canticis canticorũ beatæ illius animæ continuos processus legimus, ita in Michea, de quo nobis propheta sermo exortus est, consideremus lapsæ cõuersionem. Non enim ociose te mouit: Et tu Bethleem domus Ephrata, quod dictum est ab hoc propheta. Quomodo enim potest domus furoris esse, ubi Christus natus est? Hoc enim exprimunt locorum uocabula, sed illustrant operationum mysteria. Ac primum consideremus quid interpretationis in Latino habeat Micheas. Significat autẽ, quis à deo: uel, ut alibi inuenimus, quis iste, Morathi filius, id est hæredis. Quis autem hæres, nisi filius dei qui ait: Omnia mihi tradita sunt à patre? Et cum ipse esset hæres, nos esse uoluit cohæredes. Merito, quis iste, non è populo unus, sed electus ad gratiam dei, in quo loquitur spiritus sanctus, qui prophetare cœpit in diebus Ioathan & Achaz, & Ezechiæ regum, Quo ordine significatur uisionis profectus. A malis enim regibus ad boni regis peruenit tempora. Et ideo quoniam anima afflicta sub malis antè laborabat regibus, quem processum conuersionis suæ habeat, considerandũ uidetur. Destructa erat quasi infirmior, & omnis munitio eius facta erat uia transeuntium, & incursus passionum, luxuriæ delicijs resoluta ac contrita erat, ac relegata à facie domini. Turris eius squalida erat, quæ posita est (ut in Esaiæ cantico legimus) in medio florentis uineæ. Squalet etenim, quando uitis arescit, & ouis sua errat. Regrediente autem uitis uiriditate, uel oue, splendet. Nihil enim squalidius iniquitate, nihil splendidius iustitia. Ad hanc turrim reuocatur ouis, quando anima reuocatur à lapsu, & in illa oue Christi regnum redit, quod est initium, quia ipse est initium & finis, uel initium salutis, sed tamen corripitur prius, eò quòd tam grauiter errauerit, & dicitur ei: Vt quid cognouisti mala? nunquid rex non erat tibi? Hoc est, habebas regem qui te regeret & tueretur, deuia re à iustitiæ tramite non debuisti, relinquere uias domini, qui tibi rationabiles sensus impartiuit. Vbi erant cogitationes tuæ, ubi consilia, quibus præuidere iniustitiam,

Mich. 5
Matth. 11
Mich. 4
Esaiæ 5
Mich. 4

propulsare iniquitates insito tibi uigore potuisti? Cur cõprehenderunt te dolores parturientis, ut parturires iniquitates, & pareres iniustitias? Nullus enim maior est dolor, quàm is qui peccati mucrone uulnerat conscientiam, neq; ullum grauius est onus quàm peccatorum sarcina, & pondus flagitiorum. Deprimit animam, curuat usq; ad terram ne se erigere possit. Grauia fili grauia nimis delictorum pondera. Denique illa in Euan-
Lucæ 13 gelio mulier quæ curuata erat, speciem prætendens animæ laborantis, à Christo potuit
Mich. 4 solo erigi. Huic ergo animæ dicitur: Viriliter age, & appropinqua filia Sion ut partu-
Rom. 5 rias. Dolores enim parturientis tribulationem operantur, tribulatio patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit in æternum. Simul egeritur atque excluditur omne quod aduersum est bonis moribus, ne residentia eius fruteſcant semina, atque in nouos iterum germinent partus. Nec ocioſe dantur ei cornua & ungulæ, ut conterat omnes manipulos areæ, sicut uitulus Libani. Nisi enim manipuli contriti fuerint, paleæ uentilatæ, fructus apparere interiores & absolui nequeunt. Com minuit igitur atq; excutit prius anima proficiens passionũ superflua, ut fructus suos demonstrare possit in ipsa segete. Quæcũq; aduersa sunt quæ partus impediant bonos hęc prius extirpanda sunt, ne his fructifera internecentur animæ fata. Tunc etiam illud prospicit prouidus animæ consultor, ut cõcludat eam in uoluptatibus suis, atq; intercludat eius cupiditates, ne in ijs delectetur. Vtiles enim sunt correptiones parentis, qui nõ parcit, ut obediẽtem præceptis salutaribus præstet animam filij sui. Virga enim uisitat, sicut
Psalm. 88 legimus: Visitabo in uirga iniquitates eorum. Itaq; qui uirga maxillam percutit Israeliti-
Mich. 5 cæ animæ, erudit eam ad disciplinam patientiæ dominica correptione. Nemo enim de-
Hebr. 12 sperare debet quicunq; corripitur atq; arguitur. Qui enim diligit filium, corripit. Nemo
Eccles. 30 de remedio diffidat. Ecce tibi ubi domus furorem uidentis erat, ibi domus panis est: ubi crudelitas, ibi pietas: ubi pœna innocẽtium, ibi uniuersorum redemptio, sicut scriptum
Mich. 5 est: Et tu Bethleẽ domus Ephrata, non es minima inter principes Iudæ. Ex te enim exibit princeps in Israel. Bethleem domus panis est, Ephrata domus furorẽ uidentis. Hoc habet interpretatio istorum nominũ. In Bethleem natus est de Maria Christus, eadem autem Bethleem quæ Ephrata. In domo igitur furoris generatus est Christus, & ideo iam non domus furoris, sed domus panis, quia panem recepit eum qui descendit de cœlo. Domus autem panis furorem uidentis Ephrata, quia illic Herodes dum Christũ re-
Hiere. 31 quirit, perimi statuit infantulos, unde uox in Rama audita est Rachel plorantis filios su-
Matth. 2 os. Sed iam nemo timeat, quia requies illa quam quęrebat Dauid, audita est in Ephrata,
Psalm. 131 inuenta est in campis syluæ. Tunc adhuc sylua erat nationũ congregatio, sed posteaquã in Christum credidit, fructuosa facta est, quia benedicti uentris fructum recepit. Mortua
Genes. 35 est ergo Rachel parturiens, quia iam tũc quasi patriarchæ uxor furorem Herodis uidebat, qui nec minusculæ ætati pepercit. Simul quia in Ephrata & peperit Beniamin specie superiorem, mysterio posteriorẽ, Paulum scilicet, qui antequam generaretur, nõ minimos dolores matri præstitit, cuius filios persequebatur. Et illic mortua & sepulta est,
2. Tim. 2 ut nos cõmortui & cõsepulti cum Christo in Ecclesia resurgamus. Inde enim alia interpretatione, uel fœcundata, uel repleta fructibus, Ephrata significatur. Hic tamen, id est,
Matth. 2 in libro prophetico inuenimus ὀλιγοστὸς εἶ, id est, in paucioribus es. In Matthæo autem: Et tu Bethleem domus Iudæ non es in paucioribus. Ibi domus Iudæ, hic domus Ephrata, in quo uerborum discrepantia, non sensuum est. Nam & Iudæ interior uidit furorem, & exterior pertulit. Et in paucioribus est, quia pauci sunt qui intrant in domum panis per angustam uiam. Et non est in paucioribus, id est, de proficientibus, quæ Christum nõ agnouit. Nec minima est, quæ est domus benedictionis, & diuinæ gratiæ receptaculum, & in eo minima cui is qui aliquid confert Christo, uidetur deferre. Et qui appetit Ecclesiam, Christum appetit. In quouis minimo enim Christus aut lædítur aut honoratur, se-
Matth. 25 cundum quod ipse ait: Quod enim uni horum minimorũ fecistis, mihi fecistis. Ipsam au-
Genes. 35 tem Bethleem esse quæ est Ephrata, docet lectio Geneſis, ubi ait: Mortua est autẽ Rachel, & sepulta est in uia Ephrata, ipsa est Bethleem. In uia sepulta est sancta Rachel, quę
Psalm. 125. typus fuit Ecclesiæ, ut transeuntes dicant: Benedictio domini super uos, & uenientes
& 126 ueniant in exultatione. Omnis itaque anima quæ recipit panem illum descendentem è cœlo, domus panis est, hoc est panis Christi, quæ habitantis in se panis cœlestis firma-

mento

mento alitur, & corde confirmatur. Vnde & Paulus ait: Omnes enim unus panis sumus. Omnis anima fidelis Bethleem est, sicut Hierusalem dicitur, quæ pacẽ & tranquillitatem habet superioris Hierusalem quæ in cœlo est. Verus panis est qui fractus & comminutus satiauit uniuersos. Quinta autem traditio hoc habet: Domus panis. Beth domus est, Leem panis dicitur. De aliorum traditionibus propter perfidiam Iudaicam, ne ipsi se redarguerent, uel ab ipsis præteritum putamus, uel sublatũ ab alijs. De Iudæ quoque tribu esse Bethleem docet lectio in Iudicum libro, quia uir ille Leuita accepit sibi concubinam de Bethleem Iudæ, & irata est ei concubina eius, & rediit in domum patris sui in Bethleem Iudę. Egressus itaq; Christus à diebus seculi (tunc enim nobis incipit seculum, quando dies salutis) &, Egressus ad currendam uiam, dedit Israel usq; ad tempus parientis, cui aduenit Christus, aduenit fœcunditas, aduenit partus, sicut euenit Ecclesiæ, quæ peperit plures quàm quæ filios habebat, & peperit septem, id est legitimos, tranquillos, pacificos. Incipit ergo concipere anima, & formari in ea Christus, quæ receperit aduentum eius, & pascitur in diuitijs eius, ut nihil ei desit, ut uidentes etiam eam aliæ animæ reuertantur ad uiam salutis, & erit ei pax, sed non potest probari nisi tentationibus. Tunc enim pax eius existimabitur & tranquillitas, cum excluserit uanas cogitationes uel compresserit, cum motus omnes edomuerit passionum insurgentium, cum increbuerint angustiæ, persecutio, fames, periculum, gladius. Tunc erit, inquit, pax, quia in his omnibus superamus propter eum qui nos dilexit, quoniã confidimus in eo, quia neq; mors neq; quiduis tentationum nos ab eius diuellat charitate & separet. Tunc ergo dabit tentationes ut iusti probentur. Et dominus quidem dat tentationes ea uoluntate, ut neminem decipi uelit. Sed quia plerique uincuntur infirmi tentationibus, qui fortes sunt probantur. Tunc illis erit ros à domino, tunc requies, tunc erit anima iusti sicut catulus leonis in ouilibus. Quod Euangelico exemplo ad Christum referre non dubitauerim, quia ipse dixit: Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui. Comprimentur enim quadrigæ eius, irrationabiles scilicet impetus & motus istius corporis: sed ubique, id est intus & foris tranquillitas erit, & non erit qui respondeat & resistat bonæ uoluntati, quia obedientia carnis sublato pariete maceriæ, cum fuerint utraq; unum, omnes abolebit discordias. Si qua autẽ anima infirma, sicut ille secundum carnẽ Israel, titubauerit, & ab illa Christi charitate persecutionibus turbata se aliquantulum separauerit, corripitur atq; arguitur quasi infida, quasi ingrata, quasi incredula, quæ liberata à uanitatibus seculi in eas respiciendo reciderit, à qua nõ munera, non taurorũ sacrificia, sed tantummodo ut bonũ cognosceret, iustitiam faceret, postulatũ est. Renunciatũ est inquit, tibi homo quid sit bonum, aut quid dominus exquirit à te, nisi ut facias iudicium & iustitiam, & diligas misericordiam, & paratus sis ire cum domino tuo. Sed quia non seruauit hæc illa infirmior anima, ideo dominus ait: Heu me quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, & sicut racemum in uindemia. Audiẽs ergo hæc propheta in quo loquebatur deus, ait ad illam animã: Heu me anima quòd non est plenus timoris à terra. Vel si ipse dominus dicit, miseratus futuras pro peccatis ultiones, atq; pro nostris erroribus ingemiscens. Audiens hæc anima, quia seminũ suorum fructus non colliget, nullum messe amissa firmamentũ inueniet sui, premet oliuam, & unctionem lætitiæ nõ habebit, neq; bibet uinũ iucunditatis. Cognoscens etiam in operibus carnis omnia plena sanguinis, plena circunscriptionis, fraudũ, fallaciæ, ficta officia pietatis, compositas simulationes, & inimicos sibi omnes qui in domo sunt, ideoq; proximi sibi corporis motus cauendos, qui sunt graues animæ nostræ aduersarij, cõuertitur, & de deo sperare incipit, & intelligẽs uerè inimicam sibi carnem existere, ait ad eam: Noli supergaudere mihi inimica mea, quia cecidi, sed resurgã: quia si sedero in tenebris, dominus illuminabit me. Considerans etiam insultare sibi aliquam potestatem quę resistebat sibi ne meliorem sequeretur uiam, & inequitare quod tradita esset in interitum carnis, ut diuersis attereretur malis, quæ uel à domino propter peccatorum solutionẽ decernerentur, uel ab iniquo propter inuidiam conuersionis, ut ad se reuocaret afflictam, dicit: Adhuc iram domini sustinebo, qui uel lapsam castigat, uel tibi potestatem affligendi dedit, quia peccaui, sustinebo tamen donec iustificet causam meam. Nisi enim confessa fuero, & exoluero precia iniquitatum mearum, non potero iustifi-

1. Cor. 10

Iudic. 19

Rom. 8

Matth. 13

2. Cor. 7

Mich. 6

Ibidem 7

Micheæ 7 ſtificari. Cum autem fuero iuſtificata, ſoluens duplicia peccata, educet iudicium meum deponens indignationem, quia ſatisfactum ſententiæ eſt. Educet me ad lumen, ut uideã iuſtitiam eius, & aſpiciam delectationem eius. Videbit hoc lumen reco̅ciliationis meæ inimica mea, id eſt, diaboli nequitia, & operietur confuſione, quę nũc dicit: Vbi eſt deus
Ibidem tuus? Videbit in me miſericordiam eius, uidebit pietatem eius. Et ideo non audiamus eum quando ſumus in aduerſis aliquibus ſeculi, cum aut dolor corporis eſt, aut filiorum amiſſio, uel cæterarum neceſſitudinum, non audiamus inquam dicentem: Vbi eſt deus tuus? Tunc eius tentationes cauendæ ſunt, cum grauis urget dolor, tunc animã ægram auertere ſtudet. Ergo anima quæ illum non audierit inſidiantem ſibi, uidens poſtea mirabilia dei, uidens ſe in cœlo, diabolum autem ſicut colubrum reptantẽ in terreſtribus,
Micheæ 7 gratulabitur dicens: Quis deus ſicut tu, auferens peccata, & transferẽs impietates? Qui non fuiſti memor indignationis tuæ, ſed ſicut in mari merſiſti iniquitates noſtras ſicut Aegyptium plumbum, & rediſti ad miſericordiam uoluntarius, quam gemino contuli-
Pſal. 31 ſti munere, dimittẽs peccata, atq; abſcondens, ſecundum quod ſcriptum eſt: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Alia enim ſanguine filij tui abluis, alia donas nobis, ut bonis operibus & confeſſionibus noſtros errores tegamus. Quod ergo ait: Auferens peccata, ad remiſſionẽ pertinet: quia penitus ea tollit, ita ut nõ ſint, quorum memor nõ erit. Quod uero ait: Transferens iniquitates, ad miſericordiam: eò quòd confitentibus nobis lapſus noſtros, & obumbrantibus eos bonæ operationis fructu, referantur in authorem culpæ, & peccati incentorem. Quid enim aliud agit qui culpam fatetur, niſi ut aduerſantis nequitiæ ſpiritualis dolo ſe & malitia tranſductũ probet? In eo itaq; gratias agit anima iſta, quia & aufert dominus peccata, & transfert iniquitates, & demergit in profundum maris. Quod poteſt & ad baptiſmum referri, quo Aegyptius mergitur, Hebræus reſurgit, & quo altitudine ſapientiæ & bonorum operum abundantia tegantur peccata ſuperiora, per diuitias miſericordiæ dei noſtri, qui memor promiſſionis ſuæ quam dederat Abrahæ, hæredem eius animam non eſt paſſus perire. Et illa quidem anima hoc reuocatur modo. Tu autem fili qui à primo flore pueritiæ es hæres eccleſiæ quæ te ſuſcepit & tenet, perſeuerato in propoſito, memor gratiæ dei & muneris quod per impoſitionem ſuſcepiſti manuum mearum, ut & in hoc gradu ſicut in miniſterio ſacro fidem tuam demonſtres atq; induſtriam, & expectes remunerationem domini Ieſu. Vale, & nos ut filius dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambroſii ad Horontianum, diſſerẽtis quemadmodum animam Euangelicam, quæ eſt Eccleſiæ filia, dominus Ieſus primo ſuſceperit, erudierit, atq; conſummauerit. Epiſtola XIX

A Mbroſius Horontiano. Superiore epiſtola de ea anima ſermonem contulimus, quæ itineris ſui deuios aliquos habuerit anfractus, ut uetus Iſrael ſecundum carnem fluctuans, quia & ipſe liberabitur per domini noſtri Ieſu
Rom. 11 Chriſti gratiam, cum intrauerit plenitudo gentium, licet iſta leuiore errore conuerſione ſeſe reformauerit. Hac uero epiſtola de Eccleſiæ filia nobis ſermo ſit, quam dominus Ieſus quemadmodum primo ſuſceperit, erudierit, conſummauerit in ſuo Euangelio, conſideremus. Suſcepit itaq; eam primo tuendam in confuſione poſitam, (Exul enim paradiſi ubi niſi in confuſione degeret anima uniuſcuiuſq; hominis?) deduxitq; eã in Bethleem. Iam profectus ſuſceptæ animæ ſignificatur, quòd aſcendit ad domũ panis, in qua famẽ fidei & ſterilitatẽ neſciat. De noſtrarum animarũ genere & ordine loquor, quibus nos uiuimus & mouemur, nõ de aliqua ſpecialiter. Nõ enim de proprietate & ſpecie alicuius, ſed de genere, ut dixi, animarũ diſputandũ putamus. Deſcendit in Aegyptũ Chriſtus, patrociniũ & ductũ noſtræ animę ferens, inde rediit in Iudæã. Fuit in deſerto, fuit in Capharnaũ, fuit iuxta fines Zabulon circa maritima, tranſiuit per ſata, fuit in Bethpha-
1 ge, fuit in Ephren, in Bethania, inde tranſiuit in paradiſum, ubi ſe capiendũ dedit, paſſus eſt in Golgotha. Omnes iſti proceſſus animæ noſtræ ſunt, per quos exercitata gratiã pię inſtitutionis inuenit. Nam poſteaquam excluſa de paradiſo conditio humana in Adã & Eua in caſtellũ relegata eſt, uagari cœpit huc atq; illuc, errabunda circunferens ueſtigia ſine ullo delectu. Sed tempore complacito ſibi exinaniuit ſe dominus Ieſus, ut exulem in ſe ſuſciperet, & ueteri reformaret gratiæ. Itaque inuentam recurſo anfractu erroris reuoca-

reuocauit ad paradiſum, ut euangelicæ lectionis docet aſſertio. Per ſata eam duxit, ut ie iunam paſceret primũ in deſerto, deinde in Capharnaum agri nõ urbis incolatu, deinde iuxta fines Zabulon, circa nocturna profluuia, id eſt, prophetarũ obſcuriora ænigmata, ut diſceret prætendere ad fines gentiũ, quo omnes conuenirent, nec timeret fluctus uitæ huius & procellas, quia habet Chriſtus naues Tarſis, intelligibiles ſcilicet, quę percurrant mare, & ad templi conſtructionẽ pias merces aduehant. In huiuſmodi nauibus nauigat Chriſtus, & in puppe tanquã bonus gubernator tranquillo quieſcit mari. Commoto, excitatur & increpat uentos, ut ſuis tranquillitatem refundat. Tranſiens quoq; ad gentes hanc animã liberat, quæ legis uinculis tenebatur, ne tranſiret ad nationũ conſortia. Venit in Bethaniam in locũ obeditionis, ideo ibi mortuus ſuſcitatur. Cum enim caro ſubdita fuerit animę, tunc iam nõ quaſi mortua iacet in ſepulchro ſuo condita humo, ſed reſuſcitatur per gratiã Chriſti. Ibi etiam ſe pro dei nomine paſſioni diſcit offerre. De loco obeditionis, ut Ioannes docet, in Ephren ducitur, id eſt, ad bonorum fructuum fœ- *Ioan. 11*
cunditatem. inde in Bethaniã reducitur, id eſt, obedientiam. Semel enim quæ piæ ſubiectionis fructum guſtauerit, ſeruare eam, & in ea probari ſæpius nequaquam recuſat. Vn de iam probata Hieroſolymam uenit, digna quæ ſit templum dei, in qua Chriſtus habitaret. Denicq; ſedens ſuper pullum aſinæ dominus Ieſus cum gratulatione & gaudio innocentis ſuſcipitur ætatis. Poſtea in paradiſo uerba uitæ æternæ docentur. Vnde etiam dominus ſe permiſit capi, ſicut Ioannes ſcribit euangeliſta, ſignificans animam noſtram uel potius conditionem humanam ſolutis erroris uinculis eo unde eiecta erat in Adã, *Lucæ 23*
per Chriſtum regreſſam. Vnde & latroni illi confitenti dicitur: Amen amẽ dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Ille dixerat: Memento mei cum ueneris in regnũ tuum, Chriſtus non de regno reſpondit, ſed ad cauſſam: Hodie mecum eris in paradiſo, id eſt, reformandum eſt antè quod amiſſum eſt, poſtea conferendum id quod augendum eſt: ut per paradiſum ad regnum perueniatur, non per regnum ad paradiſum. Seruatur diſcipulis quod plus conferatur pro laboribus, ideoq; incolatum promiſit, regnum diſtulit. Itaq; is qui ſub ictu mortis conuertitur, & confitetur dominum Ieſum, mereatur incolatum paradiſi, qui uerò multo antè ſe exercuit, & Chriſto militauit, acquiſiuit populorum animas, pro Chriſto ſe obtulit, habeat paratum ſtipendijs ſuis dei regnum, cuius ſe remuneratione donatum gaudeat. Ideoq; Petro dicitur: Tibi dabo claues regni cœlorũ. Ex la- *Matth. 16*
trocinio conuerſus requiem habet, in apoſtolatum probatus accepit poteſtatem. Hæc eſt anima euãgelica, hæc eſt de Gentibus, hæc filia Eccleſiæ, longe meliore curſu quàm illa ex Iudæa proiecta, ad dominum Ieſum & ad ſuperiora ſe bonis conſilijs & operibus attollens, quam ſuſcepit in Golgotha Chriſtus, ubi Adæ ſepulchrum, ut illum mortuũ *1. Cor. 15*
in ſua cruce reſuſcitaret. Vbi ergo in Adam mors omnium, ibi in Chriſto omnium reſurrectio. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus. *2*

Diui Ambroſii ad Horontianum, quę ſit diuina hæreditas definientis, & cur tanto æſtimetur, ut propter eam plerique mortí ſe offerant. Epiſtola XX

AMbroſius Horontiano. Non ocioſe quærendum putaſti, quæ ſit rei diuinæ
A hæreditas, & cur æſtimetur tanti, ut propter eam plerique etiam mortem ſuam offerant. Verùm ſi conſideres quia & uſu humano hæreditatis pecuniariæ gratia facit ut uenerabiliora fiant iura pietatis, quia hoc quoque plus defertur parenti- *1*
bus, ne læſa pietas patris ulciſcatur ſe exhæredatione uel abdicatione contumacis pi- *2*
gnoris, mirari profecto deſines quæ ſit tanta diuinæ hæreditatis appetentia. Eſt autem hæreditas propoſita Chriſtianis omnibus. Sic enim dicit Eſaias: Eſt hæreditas creden- *Eſa. 54*
tibus in dominum. Quæ ſperatur ex repromiſſione, non ex lege. Quod Veteris teſta- *Gen. 21*
menti exemplo probatur, dicente Sara: Expelle ancillam, & filium eius. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Iſaac. Filius Saræ Iſaac, filius ancillæ Iſmael. hi ante legem ſunt. Ergo antiquior repromiſſio quàm lex. Nos ſecundum Iſaac filij per repromiſſionem, Iudæi ſecundum carnem filij ancillæ. Nobis mater libera, quæ non parturiebat, & poſtea ex repromiſſione effudit peperitq; maſculum: illis mater Agar, generans in ſeruitutem. Liber eſt cui gratia promittitur, ſeruus cui iugum legis imponitur. Prius ergo nobis repromiſſio quàm illis lex, & ſecundum naturam antiquior libertas q̃ ſeruitus. Libertas igitur ex repromiſſione, ex lege ſeruitus. Sed licet repromiſſio ipſa ante

legem

legem ſit,ut diximus,ex repromiſſione autem libertas,in libertate charitas, ſecundũ legem tamen eſt charitas,quæ maior libertate eſt. Non ergo ſerui. Et quomodo ſcriptum
Pſalm. 124 eſt:Laudate ſerui dominum? Quomodo ipſe Apoſtolus ait:Sed ut ſerui Chriſti faciẽtes
Eph. 6 uoluntatem dei ex animo cum bona uoluntate? Verùm eſt & ſeruitus libera, quę eſt uo
1.Corin. 7 luntaria,de qua Apoſtolus ait:Qui liber uocatus eſt,ſeruus eſt Chriſti. Hæc eſt ſeruitus ex animo,non ex neceſſitate.Itaq; nos ſerui quidem ſumus creatoris noſtri, ſed libertatem habemus,quam per gratiam Chriſti accepimus,generati ex repromiſſione ſecundum fidem. Vnde quaſi ex libera geniti, libertatis ſacrificium deferamus ſignati in fronte,ſicut liberos decet,ut nõ confundamur,ſed gloriemur ſignati ſpiritu,non carne. Qui
Gal. 5 bus recte dicitur:State,& nolite iterum iugo ſeruitutis contineri. Non dixit, nolite ſeruire,ſed nolite iugo ſeruitutis contineri. Eſt enim grauius iugum ſeruitutis quàm ſeruitus.Deniq; Iſaac filio ſuo Eſau petenti benedictionem ait:Ecce ab ubertate terræ erit ti-
Gene. 27 bi habitatio, & à rore cœli à ſummo, & ſuper gladium tuum uiues, & ſeruies fratri tuo.
Ita & 70 Erit autem,cum depoſueris & ſolueris iugum illius à collo tuo. Quomodo iſtud conuenit,ut ſeruiat cum ſoluerit iugum fratris à collo ſuo,niſi diſtantiam eſſe intelligamus ſeruitutis? Quæ igitur ſit differentia,ipſa nobis exponat lectio. Bonus Iſaac, & bonus nobis,qui ſecũdum ipſum in libertatem naſcimur: & bonus pater utriq; filio.Deniq; quòd utrumq; diligeret,circa alterũ affectu probauit,circa alterũ benedictione. Seniori enim filio dixerat,ut cibum deferret ſibi,& acciperet benedictionem: ſed dum ille moram facit,& cibum agreſtem & forenſem requirit, frater iunior domeſticum detulit ex ouium grege. Bonus cibus omnium Chriſtus eſt,bonus cibus eſt fides,ſuauis cibus miſericordia,iucundus cibus gratia. Hos cibos epulatur populus Eccleſiæ. Bonus cibus ſpiritus dei,bonus cibus peccatorum remiſſio.At uerò ille prædurus cibus rigor legis, terrorq; pœnarum.Agreſtis cibus obſeruantia literæ potius quàm gratia indulgentiæ.Denique
Ibidem ille populus ſub maledicto,nos in benedictione. Velox cibus fides. Prope eſt enim uerbum in ore tuo,& in corde tuo: tardior cibus legis. Deniq; dum lex expectatur,popu-
Rom. 10 lus errauit. Contulit igitur benedictionem pater impigro & fideli filio: ſed quia bonus pater erat,ſeruauit & ſeniori filio benedictionem,ut eum ſeruum faceret fratris ſui, non quo familiam ſuam degeneri uellet ſeruituti addicere. ſed quia is qui regere ſe non poteſt & gubernare,ſeruire debet,& ſubditus eſſe prudentiori,ut eius regatur conſilio, ne ſua ſtultitia præcipitetur,& labatur temeritate.Pro benedictione igitur huiuſmodi confertur ſeruitus. Deniq; inter bona annumeratur, inter collatam terræ ubertatem, & rorem cœli à ſummo.Sed quia dixerat, Super gladium tuum uiues: ne ei fortitudinis aut poteſtatis noceret præſumptio,addidit: Seruies fratri tuo.ut & carnis fructus uberes, & diuinæ rorem adipiſcaris gratiæ,& eum ſequaris qui te ſuo gubernaculo regat. Sed tũc erit iſtud,Cum depoſueris iugum eius à collo tuo,ut uoluntariæ ſeruitutis mercedẽ habeas,non iniuriam ſubeas neceſſitatis.Inhonora huiuſcemodi ſeruitus, quæ neceſſitate
1.Cor. 9 cogitur:honorata autẽ quæ pietate defertur. Vnde Apoſtolus: Si uolens hoc ago, mer-
3 cedem habeo: ſi inuitus,diſpenſatio mihi credita eſt. Melius utiq; mercedis præmium, quàm diſpenſationis obſequium eſt.Nos igitur nõ contineamur ſeruitutis iugo,ſed charitate ſpiritus ſeruiamus.quia dicit Apoſtolus:Per charitatem ſpiritus ſeruite inuicẽ.Ti-
Gal. 5 mor Legis eſt,charitas Euãgelij.Deniq; initium ſapientiæ timor domini: Plenitudo au-
Eccli. 1 tem legis charitas. Tamen & ipſa lex dicit: Et in hoc uerbo omne mandatum inſtaura-
Rom. 13 tur, & in iſto uno, inquit, ſermone impletur: Diliges proximum tuum. Hoc eſt igitur
Gal. 5 quod propoſuimus:quia etſi ex lege ſeruitus,tamẽ ſecundum legem libertas. Charitas enim libertatis,timor ſeruitutis eſt. Eſt igitur & charitas legis, & ſeruitus charitatis: ſed lex charitatis prænuncia eſt,charitas Euangelij piæ ſeruitutis arbitra eſt. Non ſuperflua itaq; lex,quæ tanquam pædagogus proſequitur infirmiores.Infirmitatem dico morum, non corporum.Infantes enim ſunt qui fari uerbum dei neſciunt, qui eius opera non recipiunt.Nam ſi ætas ſenectutis uita immaculata,utiq; ætas adoleſcentiæ eſt uita maculo
Gal. 3 ſa.Lex ergo pædagogus fuit,id eſt,nomos,donec fides ueniret. Et quaſi infirmi, inquit,
4 cuſtodiebamur à lege, concluſi in eam fidem quæ reuelanda foret. Poſtquam autem fides aduenit,non dicit Euangelium,ſed fidem.Ea eſt enim ſola fides, quæ eſt in Euange-
Rom. 1 lio.Nam licet iuſtitia dei in eo reuelatur, quæ eſt ex fide in fidem, tamen ſic illa legis eſt

fides,

fides, si ei accedat fidei plenitudo. Merito ergo fides ista quasi sola dicitur, quia illa sine hac fides non est, sed in hac confirmatur. Deniq; ubi hæc fides uenit, plenitudo aduenit, aduenit filiorum adoptio, cessauit infirmitas, abijt infantia, in uirum perfectum assurgimus, Christū induimus. Quomodo igitur infirmus & paruulus esse potest, in quo Christus est dei uirtus? Ergo ad perfectionē uenimus, perfectionis præcepta accepimus. Audisti hodie lectū: Non possum ego à me facere quicquam: sicut audio, & iudico. Audisti lectum: Ego non accuso uos, ego non iudico, ego non accuso, Moyses uos accusat, in quem speratis. Audisti lectum: Si ego testimonium perhibuero de meipso, testimonium meum non est uerum. Didici qualis iudex, qualis testis esse debeam. Non enim quasi infirmus dicit: Non possum ego à me facere quicquam: sed infirmus ille qui sic intelligit. Nihil quidem sine patre facit filius, quia cōmunis operatio, & unitas potestatis est. Sed hoc loco quasi iudex loquitur, ut cognoscamus homines in iudicando, quòd non ex uoluntate nostra & potestate, sed ex æquitate debeamus formare sententiam. Constitue aliquem reum coargutum & conuictum criminis, non adstruentem defensionis genera, sed deprecantem, ac uoluentem se ad genua iudicis: respondet ei iudex, Non possum à me facere quicquam, Iustitia in iudicando, non potentia est in iudicando. Ego non iudico, sed facta tua de te iudicant. Ipsa te accusant, & ipsa te condemnant. Leges te adiudicant, quas iudex non conuerto, sed custodio. Nihil ex me ego profero, sed ex te forma iudicij in te procedit. Secundum quod audio, iudico, non secundum quod uolo, & ideo iudicium meum uerum est, quia non uoluntati indulgeo, sed æquitati. Consideremus itaq; quæ sit iudicandi religio. Dominus cœli atq; terrarum iudex omnium dicit: Non possum à me facere quicquam, sicut audio, & iudico: & homo dicit domino suo: Nescis quo iam potestatem habeo dimittere te, & potestatem habeo crucifigere te? Quare dominus non potest? Quia iudicium, inquit, meum uerum est. Non enim quæro uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui misit me, id est, non uoluntatem hominis quem uidetis: non arbitrium hominis, quem uos hominem tantummodo iudicatis: non uoluntatem carnis, quia spiritus promptus, caro autem infirma: sed uoluntatem diuinam, quæ author legis, arbitraq; iudicij est. Similiter & testis uerus est, qui non sibi, sed alij fert testimonium. Scriptum est enim: Laudet te proximus tuus, & non os tuum. Pulchre autem dicitur Iudæis mystice: Ego uos nō iudico, id est, ego uniuersorum redemptio, ego peccatorum remissio uos non iudico, quia me non recepistis. Non iudico, qui libenter indulgeo. Ego nō iudico, qui sanguine meo redimo peccatores. Ego nō iudico, qui deleo iniquitates & memor non ero. Ego non iudico, qui malo uitam quàm mortem peccatoris. Ego non iudico, quia non damno, sed iustifico confitentes. Moyses uos accusat, ille uos arguit, in quem speratis: ille accusat uos, quia iudicandi non habet potestatem, quæ eius debetur authori. Ille ergo in quem speratis, accusat: iste in quem sperare noluistis, absoluit. Magna Iudæorū imprudentia. Merito accusantur in criminibus suis, quia accusatorem elegerunt, & bonum iudicem refutarunt. Ideoq; deest illis absolutio, pœna non deest. Recte ergo fili à lege cœpisti, in Euangelio confirmatus es à fide in fidem, sicut scriptū est: Iustus enim ex fide uiuit. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

i. Cor. 1

Ioann. 5

Ioann. 5
Ioan. 19

Ioann. 5

Matth. 26

Prouer. 27
Ioann. 8

Abac. 2
Rom. 1

Diui Ambrosii ad Horontianum, quæstionem de natura & substantia animæ, subtili responsione dissoluentis. Epistola XXI

A Mbrosius Horontiano. Quæsisti à me utrum anima cœlestis esse uideatur substantiæ. Non enim aut sanguinem, aut ignem, aut neruorum harmoniam animam putas, ut uulgus philosophorū interpretatur, aut ut illa patricia quædam eorum prosapia Platonis disputat, quod ipsum se mouet, & non mouetur ab alio, ipsa tibi anima uidetur: uel certe ut Aristoteles acri ingenio quintum quoddam elementi genus induxit, probasti, id est, entelechian, ex quo componeres & uelut fingeres animæ substantiam. De quo tibi Esdræ librum legendum suadeo, qui & illas philosophorum nugas despexerit, & abditiore prudentia, quam collegerat ex reuelatione, perstrinxerit eas substantiæ esse superioris. Apostolus quoq; etsi non expressit, tamē intelligendum nobis reliquit quasi bonus magister, & spiritualis agricola, occultis doctrinæ seminibus excitans discipulorū ingenia, quòd animæ nostræ potioris creaturæ sint, & cuiusdam præstantissimæ naturæ. Cum enim dicit quia uanitati creatura subiecta est, non

i

Rom. 8

ſponte, ſed propter eum, qui ſubiecit in ſpe, quoniam & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum dei, oſtendit non mediocrem animarum eſſe gratiam, quarum uigore & uirtute in adoptionem filiorum dei aſſurgit humanum genus, habens in ſe quod ad ſimilitudinem & imaginem dei tributum eſt ſibi. Animæ enim neque tactu aliquo comprehenduntur, neque uiſu corporeo uidentur, & ideo præferunt illius incorporeæ & inuiſibilis naturæ ſimilitudinem, & ſupergrediuntur ſub
2.Cor.4 ſtantia ſua corpoream & ſenſibilem qualitatem. Quæ enim uidentur, temporalia ſunt; temporalia ſignificant, temporalibus agglutinantur: Illa autem quæ non uidentur, æterno illi & ſummo adhærent bono, atq; in ipſo uiuunt, & ſunt & mouẽtur, nec ab eo; ſi bene conſulunt, ſe patiuntur ſeparari ac diuidi. Vnaquæque ergo anima uidens ſe corporeo iſto clauſam gurguſtio, quæ tamen terrenæ huius habitationis conſortio non
Sapien.7 degenerauerit, ingemiſcit grauata corporis huius coniunctione: quia corruptibile corpus grauat animam, & inclinat terrenum habitaculum mentem multarum cogitationum, ſimulq; cognoſcens quia per fidem ambulat, non per ſpeciem, peregrinari uult
2.Cor.5 de corpore, & adeſſe ad dominum. Aduertimus igitur quomodo uanitati creatura ſubiecta ſit, non ex uoluntate ſua, ſed ex diuino arbitrio, quo diſpoſitum eſt animas corporibus coniungi oportere propter ſpem earum, ut dum ſperant bona, dignas ſe præſtent cœleſti remuneratione. Omnes enim nos oportet adeſſe ad tribunal Chriſti. Ideo uniuſcuiuſque anima præuideat rependenda ſibi merita conuerſationis ſuæ. Et pulchre ait: Propria corporis, id eſt, quod ſuſcepit regendum, ut ſi bene rexit, præmium referat, propter quod in ſpe ſubiecta eſt: ſi male, ſupplicium, quia non ſperauit in deum, nec ad illam adoptionem filiorum, & ad ueræ libertatem affectauit gloriæ. Docuit igitur Apo-
Roma.8 ſtolus quod humani generis creatura ſubiecta uanitati ſit. Quid enim tam ſubiectum
2.Corin.5 uanitati, quàm homo & quàm anima eius? De conſortibus eius dicit: Cum ſumus in cor-
Pſalm.143 pore iſto, ingemiſcimus grauati. Sed & Dauid dicit: Homo uanitati ſimilis factus eſt:
Pſalm.38 Et: Vniuerſa uanitas, omnis homo uiuens. Vita itaq; hominis in hoc ſeculo uanitas eſt. Huic uanitati ſubiecta eſt anima. Itaque ſanctus cum facit quæ ſunt corporis, non ſponte facit, non uolens, ſed propter eum qui ſubiecit in ſpe, facit in ſpe, facit ut pareat. Ab hoc igitur exemplo animæ progrediamur ad creaturas reliquas. Propone tibi ſolem, lunam, & ſtellas, quæ cœli lumina etſi præclaro fulgent nitore, creaturæ ſunt tamen, & ad quotidianum miniſterium uel ſurgunt uel occidunt, ſeruientes diſpoſitioni creatoris æterni, miniſtrantes ſplendorem quo ueſtiuntur: itaque die noctecq; emicant. Quotiens ſol iſte obtexitur nubibus, quotiens obiectum afferunt terræ, cum è regione eius luminis ſui radius fuerit repercuſſus: oriuntur ipſi, ſed ut ait ſcriptura: Luna nouit occaſus ſuos. Nouit quando pleno orbe ſuo luceat, quãdo exinanito. Stellæ quoque nebulis obductæ uaneſcunt, quæ ſuſtinent miniſterium huius mundani uſus, non ſponte utique, ſed in ſpe, quia ſperant etiam huius laboris gratiam ab eo qui ſubiecit eas. Ideoque propter eum ſuſtinent, id eſt, propter eius uoluntatem. Nec mirum ſi patienter ſuſtinent, cum ſciant dominum ſuum, & creatorem omnium ſiue quæ in cœlo, ſiue quæ in
Philip.2 terra ſunt, ſuſcepiſſe noſtri corporis fragilitatem, noſtræ conditionis ſeruitutem. Cur
2.Corin.5 ergo illa ſeruitutem corruptionis ſuæ non patienter ſuſtineant, cum dominus omnium pro toto mundo ſe humiliauerit uſque ad mortem, ſerui formam ſuſceperit, peccatum mundi, maledictum etiam pro nobis factus ſit? Illius ergo imitantes bonitatem cœleſtes creaturę, licet ingemiſcant quod mundi huius uanitati ſubiectæ ſint, conſolantur ſe tamen quod liberabuntur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ, cum filio-
Rom.11 rum dei adoptio uenerit, quæ eſt uniuerſorum redemptio. Cum enim intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Iſrael ſaluus erit. Cui enim non ignoſcit populo, qui ignoſcit
Matth.27 etiam illi perſecutori ſuo qui dixit: Crucifige, crucifige: Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros? Sed quia uanitati etiam cœleſtis ſubiecta creatura eſt, licet iſtud in ſpe etiam horum perfidiam & temulentiam uanitate huius mundi lapſam pertinere ad ueniã patietur ueritatis pietas, & redemptio uniuerſitatis. Ergo ut concludamus, & ille tantus ac talis ſol, & illa luna quam noctis tenebræ non operiunt, & illæ ſtellæ quæ ſunt or-
Matth.24 namenta cœli, ſeruitutem corruptionis nunc ſuſtinent, quia corruptibile omne corpus:
1.Cor.15 Siquidem & cœli peribunt, & cœlum & terra præteribit. Poſtea autem & ſol & luna

omnibus

& cætera ſtellarum lumina requieſcent in gloria filiorũ dei, quando erit deus omnia in omnibus: qui & in te & in nobis ſit per ſuam plenitudinem & miſericordiam. An ipſos quoq; angelos qui in iſtius mundi laboribus diuerſa ſuſtinent miniſteria, ſicut in Apocalypſi legimus Ioannis, non ingemiſcere credimus cũ adhibentur pœnarum & excidiorum miniſtri? Qui habentes uitam beatam mallent utiq; eam in illo ſuperiore tranquillitatis ſuæ ſtatu currere, quàm noſtrorum peccatorum pœnis ultricibus interpellari. Etenim qui gaudent unius peccatoris redemptione, utiq; tantorum peccatorum ærumnis ingemiſcunt. Si igitur etiam cœleſtes creaturæ & poteſtates ſeruitutem corruptionis ſuſtinent ſed in ſpe, ut pro nobis poſtea & nobiſcum lætentur, etiã nos paſſiones huius temporis futuræ ſpe & expectatione conſolemur gloriæ. Vale fili, & nos dilige, quia nos te dilígimus. Luc. 15

Diui Ambroſii ad Hororantianum, ſuperioris quæſtionis reſponſionem latius explanantis atq; complentis. Epiſto. XXII

A Mbroſius Horontiano. Superior epiſtola tuæ inquiſitioni reſpondit, hæc meæ reſponſionis portio eſt, quæ non ſoluat, ſed impleat ſuperiorem. Nam dum ulteriora recenſeo, mouit me fateor quia addidit: Scimus enim quòd omnis creatura congemiſcit: cum in priori capitulo ſine adiectione dixerit, quia creatura uanitati ſubiecta eſt. Non enim omnem creaturam, ſed creaturam ſubiectam dixit. Et iterum ait: Quoniam & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis. Tertio autem addidit quòd omnis creatura congemiſcat. Quid ſibi igitur uult iſta adiectio? Niſi forte quia non omnis creatura ſubiecta uanitati eſt: & quia non omnis uanitati ſubiecta eſt, non omnis à ſeruitute corruptionis liberabitur? Quid enim liberetur à ſeruitute quæ uanitatis & corruptionis eius expers atq; immunis ſit? Omnis autem congemiſcat, non in ſuo, ſed in noſtro labore, & comparturiat illum fortaſſe ſpiritum ſalutis, ſpiritum iucunditatis, expectans adoptionem filiorum dei, ut communem de redemptione humani generis conſequatur lętitiam & exultationem. Aut propter charitatem igitur ſuam omnis ingemiſcit noſtrum laborem, aut propter membrum ſui corporis, cuius caput Chriſtus eſt. Sed ſiue ita ut diximus, ſiue ſimpliciter ſubiectam creaturã omnem dixerit cõgemiſcere, & comparturire, ut uoles intellige. Nunc illud cõſideremus quod adiecit: Non ſolum autem illa, ſed etiam nos primitias ſpiritus habẽtes ipſi intra nos ingemiſcimus, adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis noſtri. Quid ſit adoptio filiorũ ſuperior pagina docet. Et ideo exponendi ſenſus gratia ad ſuperiorem recurrendum eſt paginam. Qui ſpiritu, inquit, facta carnis mortificat, uiuet. Nec mirũ ſi uiuat, cum filius dei fiat, qui habet ſpiritum dei. Adeò filius dei, ut non accipiat ſpiritum ſeruitutis, ſed ſpiritum adoptionis filiorum, eouſq; ut teſtimonium ſpiritui noſtro ſanctus ſpiritus reddat quòd ſumus filij dei. Teſtimonium autem hoc eſt ſpiritus ſancti, quòd ipſe eſt qui clamat in cordibus noſtris, Abba pater: ſicut ad Galatas ſcriptum eſt. Sed & illud grande teſtimonium quòd filij ſumus dei, quia ſumus hæredes dei, cohæredes autem Chriſti. Cohæres autem eſt eius qui conglorificatur ei. Conglorificatur uero ille qui patiendo pro ipſo, compatitur ei. Et ut nos hortetur ad paſſionem, adiungit: quia omnia quæ patimur minora ſunt & indigna quorum pro laboribus tanta rependatur futurorum merces bonorum, quæ reuelabitur in nobis, cum ad dei imaginem reformati gloriam eius facie ad faciem aſpicere meruerimus. Et ut magnitudinem reuelationis futuræ extolleret, addidit, quod & creatura hanc reuelationem expectet filiorum dei, quæ nunc uanitati ſubiecta eſt, non ſponte, ſed in ſpe, quia ſperat de Chriſto gratiam miniſterij ſui: uel quia & ipſa liberabitur à ſeruitute corruptionis, ut aſſumatur in libertatem gloriæ filiorum dei, ut ſit una libertas creaturæ, & filiorum dei, cum reuelata fuerit eorum gloria. Verùm nunc dum reuelatio procraſtinatur, congemiſcit omnis creatura expectans adoptionis & redemptionis noſtræ gloriam, parturiens iam illum ſpiritum ſalutis, & uolens liberari à uanitatis ſeruitio. Cui coniunxit Apoſtolus etiam ſanctorum gemitum, qui habent primitias ſpiritus: nam & ipſi ingemiſcunt. Quamuis enim de ſuo merito ſecuri ſint, tamen quia futura eſt adhuc redẽptio totius corporis Eccleſiæ, cõpatiuntur. Cum enim adhuc membra patiuntur corporis ſui, quomodo alia membra licet ſuperiora non compatiun- Rom. 8 1 Ephes. 5 Coloſ. 1 Rom. 8 ubi ſupra Galat. 4 Rom. 8 Rom. 8 Rom. 8

1.Cor.15 tur membris unius corporis laborantibus? Vnde puto dixisse Apostolum quia tunc &
ipse filius subiectus erit, qui ei subiecit omnia. Qui enim adhuc laborant, nondum sub-
Matth.25 iecti sunt, in quibus fortasse adhuc sitit Christus, adhuc esurit, in quibus nudus est, eo
quòd non impleant uerbum dei, non induant Christum, qui est indumentum creden-
tium, amictus fidelium. Sed & illi in quibus æger est, adhuc medicina indigent, & ideo
nondum subditi. Subiectio enim ista uirtutis est, non infirmitatis. Denique in fortibus &
facientibus mandatum dei, subiectus est dei filius. Nunc autem magis in ijs laborat qui
non subueniunt laborantibus, quàm in illis qui sibi postulant subueniri. Hæc est pia
interpretatio & uera subiectionis domini Iesu, qui ideo se subiiciet, ut sit deus omnia in
omnibus. Sensum Apostolicum percurrimus, nunc consideremus qui sunt primitias
1.Cor.15 spiritus habentes. Et ideo legem interrogemus quid sit quod primitiarum uel initij no-
Rom.8 mine declarauerit. Initia, inquit, areæ & lacus tui non fraudabis. Et infra: Initia primi-
2 tiarum tuarum inferes in domum domini dei tui. Aliæ sunt primitiæ, aliæ decimæ. Pri-
Exodi.34 mitiæ maioris gratiæ, sanctificationis obseruantissimæ. Ideo placuit Abel, quia non
Gene.4 3 est suum munus moratus, qui de primitiuis ouium obtulit. Licet aliquid distantiam ue-
lint esse inter primitias & primogenita, id est quæ primo nascuntur, eò quod collectis
seminibus quasi ex omnibus initia offerantur areæ: tamen de messe quod primum tol-
litur, id offertur domino, sed de hoc alias. Sanctificari autem uidetur primitiarum mu-
nere tota areæ messis, sed ipsæ sanctiores primitiæ sunt. similiter sancti primitiæ sunt
1.Corin.12 domini, præcipue Apostoli. Primum enim deus posuit in Ecclesia Apostolos, qui &
pleraq; prophetarunt, & euangelizarunt dominum Iesum, quia primi receperunt eum.
Luc.2 Recepit eum Symeon propheta, Zacharias propheta, Ioannes filius eius, Nathanael,
Ioann.1 in quo dolus non erat, & ideo sub ficu requiescebat: Ioseph qui dicebatur iustus, qui
Luc23 sepeliuit eum. Isti sunt primitiæ fidei nostræ, sed tamen eadem cæterorum natura semi-
Matth.3 num, quæ primitiarum, licet in aliquibus minor gratia. Potens est enim deus ex lapidi-
bus filios Abrahæ excitare. En tibi exemplum de ipso domino Iesu. In resurrectione
mortuorum primogenitus ex mortuis dicitur. Eundem ipse Apostolus primitias signi-
Coloss.1 ficauit, dicens: In Christo omnes uiuificabuntur, unusquisque autem in suo ordine, pri-
1.Cor.15 mitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentum eius crediderunt. Eadem in
illo corporis ueritas quæ in nobis, sed tamen & primogenitus ex mortuis dicitur, quia
primus resurrexit: & primitiæ, quia sanctior omnibus fructus, qui etiam cæteros con-
sortij sui fructus sanctificauit. Ipse etiam initium eorum qui ad imaginem, quasi imago
Hebr.1 inuisibilis dei, in quo secundum diuinitatem nihil corporeum, nihil temporale, quia
splendor est gloriæ paternæ, & imago substantiæ eius. Produximus sermonem epistò-
larem, dum uolumus quid sint primitię significare. Primitię ergo nostri Apostoli electi
Ioann.14 ex omnibus præsentis scilicet tunc temporis fructibus, quibus dictum est: Et maiora his
facietis. Fudit enim se in eos gratia dei. Isti, inquam, ingemiscebant expectantes redem-
ptionem totius corporis, & adhuc ingemiscunt, quia multorum est labor qui adhuc flu-
ctuant. Et si aliquis ad superiora se littoris subsistat, & adhuc medio corpore cędatur
fluctibus, ingemiscit & comparturit, donec totus euadat. Ingemiscit utique qui adhuc
2.Cor.11 nobis dicit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Non ergo nos moueat quod ita scri-
Rom.8 ptum est: Qui primitias spiritus habentes, ipsi intra nos ingemiscimus adoptionem fi-
liorum expectantes redemptionem corporis nostri. Sensu enim apertus est, eo quod
primitias spiritus habentes ingemiscunt, adoptionem filiorum expectantes. Quæ ado
ptio filiorum, redemptio totius corporis est, quando facie ad faciem quasi dei filius per
adoptionem uidebit illud diuinum & æternum bonum. Est enim adoptio filiorum in
Galat.4 Ecclesia domini, quando clamat spiritus: Abba pater: sicut habes ad Galatas. Sed illa
erit perfecta, quando resurgent omnes in incorruptione, honore, gloria, qui merentur
dei faciem uidere. Tunc enim uere redemptam se humana iudicabit conditio. Vnde A-
Rom.8 postolus gloriatur, dicens: Quia spe salui facti sumus. Saluat enim spes, sicut & fides, de
Luc.18 qua dicitur: Fides tua te saluum fecit. Ergo creatura quæ non sponte, sed in spe uanitati
Philip.1 subiecta est, spe saluatur sicut & Paulus cùm sciret lucrum sibi esse mori, ut cùm Christo
esset solutus corpore, permanebat in carne propter eos quos Christo acquireret. Spes
autem

autem quid est, nisi futurorum expectatio? Vnde ait: Spes autem quæ uidetur, non est spes. Non enim quæ uidentur, sed quæ non uidentur æterna sunt. Nam quod uidet quis, quid sperat? Videmur enim tenere ea quæ uidemus. Quomodo ergo quæ tenemus speramus? Nihil igitur eorum quæ sperantur uidetur. Oculus enim non uidit, nec auris audiuit quæ præparauit deus diligentibus eum. Ergo si sperari non potest quod uidetur, non bene habent aliqui, nam quod uidet quis, quid & sperat? Nisi & forte sic intelligas, nam quod uidet quis, quid & sperat, uel quid expectat? Quia illud uerum est, quia id speramus quod non uidemus: & ideo quamuis abesse uideatur à nobis, expectamus illud per patientiam. Expectans enim expectaui dominum, & respexit me. Ideo ergo expectamus patienter, quia bonus est dominus sustinentibus eum. Et uidetur conuenire, quia reddidit patientiam: Expectamus quæ speramus, & non uidemus. Multum enim facit qui sperat & ea expectat quæ non uidentur, & propterea quod intendat mentem ad illud, omne quod est sustinet. Pulchre autem dicitur: Spes autem quæ uidetur, non est spes, de potestatibus istius seculi, de dignitatibus, de diuitijs. Vides nescio quem fascibus præminentem & curribus, nihil habet spei in curribus qui uidentur. Nec in ipso cœli elemento spes est, sed in domino cœli. Nec Chaldæus in stellis spem habet quas obseruat, nec diues in possessionibus, nec auarus in usuris, sed ille spē habet qui in eum spem suam ponit quem non uidet, id est, in domino Iesu, qui medius nostrum stat, & non uidetur. Denicq; quæ oculus non uidit, nec auris audiuit quę pręparauit dominus diligentibus eum.

Roma. 8
2. Corin. 4
1. Corin. 2
Rom. 8
Psalm. 39
Rom. 8
1. Cor. 2

Diui Ambrosii ad Horontianum, dubitationem tollentis, de quo spiritu dictum sit: Quia postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Epistо. XXIII

AMbrosius Horontiano. Concatenantur sibi epistolæ nostrę, ut tanquam inter A prępresentes uideamur sermonem cudere. Ita ego ex tua interrogatione, tuq; ex mea explanatione epistolis scribendis materiam damus. Moueri enim te indicasti, de quo spiritu dictum sit: Quia postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Superiora igitur repetamus, ut lectio manifestet quod quęrimus. Similiter, inquit, & spiritus adiuuat infirmitatem nostrę orationis. Nónne tibi uidetur Spiritus sanctus qui adiutor nobis est, sicut ille cui dicitur: Adiutor meus es tu, ne derelinquas me, neq; despicias me deus salutaris meus? Quis enim alius spiritus qui possit docere Paulum quid oraret? Docet autem spiritus Christi sicut & Christus, orare discipulos suos. Quis autem post Christum doceret, nisi spiritus eius, quem ipse misit ut doceret, & dirigeret nostras orationes? Oramus enim spiritu, oramus & mente. Vt bene mens possit orare, prącepit spiritus, & deducit eam in uiam rectam, ne obrepant carnalia, ne minora, ne etiam maiora uiribus. Vnicuiq; enim datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Denicq; scriptū est: Petite magna, & parua adijcientur uobis. Petite cœlestia, & terrena adijcientur. Ergo uult nos maiora petere, non in terrenis morari. Ille autem scit quid tribuat, diuidens singulis prout uult. Dicit enim interdum, sciens mensuram quam nos ignoramus: Non potestis hęc modo accipere. Peto mihi passionem martyrij spiritus promptus est, sed uidens infirmum carnis meæ, ne dum maiora cupio minora amittam dicit: Non potes hæc accipere. Quales occasiones habui? & de ipso propè fine reuocatus sum. Nouit enim bonus medicus quę esca cui apta sit infirmitati, & cui tempori ad profectum ualetudinis. Interdum opportunitas escæ sanitatem reddit. quòd si importunè aliquis accipiat, aut non conuenienter, implicatur periculo. Ergo quia nos nescimus quid oremus, & quomodo oporteat, postulat pro nobis spiritus sanctus: est enim aduocatus nostri Iesu, & postulat gemitibus ineffabilibus. Dolet enim pro nobis & Christus. Et deus pater dicit: Ventrem meum doleo. Et frequenter indignantem eum legimus & dolentem. Gemit autem ut auferat peccata nostra, doceat nos agere pœnitentiam. Est enim pius gemitus, & plenus authoritatis, de quo dicit Propheta: Et gemitus meus non est absconditus à te. Non enim latebat ut Adam, sed dicebat: Ecce ego pastor, & grex iste quid deliquit? Ego peccaui, in me uindica. Ex hoc igitur gemitus spiritus dei, & ille prophetæ gemitus, bene ineffabilis, quia cœlestis. Ea enim quę in cœlo audiuit Paulus, ineffabilia audiuit, ut fari ea homines non debeant: sed quę occulta hominibus, deo

Rom. 8
Psalm. 26
1. Cor. 14
1
Rom. 8
Hierem. 4
Psalm. 37
1. Para. 21
2. Ror. 11

nota sunt. Nouit enim omnia qui scrutator est cordis, sed illa scrutatur quæ mundauit
Rom.7 spiritus. Nouit ergo deus quid postulet spiritus, & quę spiritus sapientia sit, quia interpellat pro sanctis, sicut habes: quia & spiritus interpellat pro nobis. Pro quibus enim Christus passus est, & quos sanguine mundauit suo, pro ijs interpellat & spiritus. Vale, & nos ut filius dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Marcellum narrantis se causam ueternosi iurgij inter illū & fratrem ac sororem componendi tanquam arbitrū susceptisse, rationemq; huiusce modi compositionis exponentis. Epistola. XXIIII.

Mbrosius Marcello. Apud me decursus est tui textus negocij, quod non intuliſti, sed recepisti: quia erat & pietatis necessitas, & probandæ in pauperes liberalitatis uoluntas. Cognoui autem secundum sacræ formam præceptionis, in qua me induit & beatissimi Apostoli authoritas, & tuæ doctrinæ ac uitæ forma & disciplina. Nam cùm ipse arguerem quod adhuc inter uos maneret ueternosum iurgium, cognoscendi mihi necessitatem partes imposuerunt. Erubui recusare, fateor, cùm præsertim togati utriusque partis inuicem se lacesserent dicentes, ut meo sub examine liqueret cui parti maiora iuris uel iustitiæ suffragia forent. Quid plura? Cùm iam concluſi essent dies, & paucarum horarum superesset spatium, quibus tamen alia audiret Præfectus negocia, petierunt causæ patroni prorogari paucorum dierum tempora, ut ego residerem cognitor. Tantus ardor erat Christianis uiris ne Præfectus de Episcopi iudicaret negocio. Aiebant præterea nescio quæ gesta indecore, & pro suo quisque studio iactabat, quæ Episcopo potius iudice quàm Præfecto examinari oporteret. His confusus simul admonitus Apostolicę præceptionis quę arguit, dicens: Nónne
1.Cor.5 de ijs qui intus sunt, uos iudicatis? Et iterum: Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Ad uerecundiam uestram dico. Sic non est inter uos sapiens quisquam qui possit iudicare inter fratrē suum: sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles, recepi cognitionem, ita tamen, ut compositionis essem arbiter. Videbam enim quod si pro tuis iudicarem partibus, posset ille non acquiescere: si pro illo ferretur sententia, obediret tua & sanctæ sororis defensio. Erat ergo iniqua decernendi conditio. Posset etiam illis uideri suspecta necessitudinis sacerdotalis gratia. Quando enim uictus quemuis alium quàm se æquiorem putat? Et quod uerum est, erant uetusti iurgij intolerabilia utrique parti dispendia, si finis eius aut fructu careret, aut liberalitatis solatio. Cum igitur anceps iudicium, ius controuersum, multiplices ab utraque parte actiones cernerem, inuidiæ plenas supplicationes, rescriptorum quoque obreptiones obtexerent, aduerterem etiam grauí conditione illum si uicisset, acturum de duplis fructibus, & de sumptibus annosæ
2 litis, tuo autem officio non conuenire, ut expensas iurgij posceres, nec competere ut quicquam de fructibus possessor ageres quos percepisses, malui iurgium compositione sedare, quàm pronunciatione acerbare. Alia enim habebant excitari iurgia. Tum, quod est grauissimum, & si iurgia sublata forent, erant tamen odia mansura, quę apud bonos mores dispendij sunt. Inter hos æstus positus, cùm me persona Sacerdotis, fœminei sexus, uiduæ grauitas, amici quoque contemplatio, trino quodam non perfunctorio conueniret nomine, illud sequendum putaui, ut neminē uinci uellem, & omnes uincere. Nec fefellit sententia. Vicistis enim omnes germanitati, uicistis naturæ, uicistis scripturæ dicenti: Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed putas te grauatum iactura iuris, damno pecuniæ. Meliora utique Sacerdotibus
Acto.26 damna quàm lucra seculi sunt. Beatius est enim dare, quàm accipere. Sed forte dicas, Fraudem non debui pati, iniuriam non debui perpeti, damnum subire. Quid ergo? Inferre uelles? Sed & si tu non inferres, ille se passum diceret. Itaq; uide quid dicat Apostolus: Quare non magis fraudem patimini? ut prope uideatur qui non patitur fecisse. To-
1.Cor.6 lerare enim debet qui fortior est. Verùm quid ego ita tecum ago, quasi hoc meum & nō tuum sit? Tu enim obtuliſti quasi arbiter litis ut soror in diem uitæ suæ possideret partem prædij, post obitum eius fratri cederet omnis possessio. Neque quisquam eum uel tuo uel Ecclesiæ conueniret nomine, sed sibi haberet, si ita mallet, ut nihil dispēsaret ec-

clesiæ,

cleſiæ. Hoc cùm ego prædicarem, & præferrem tantam animo tuo infuſam liberalitatis gratiam, reſpondit germanus tuus placere ſibi oblationem ſi metus deteriorandæ poſſeſſionis decederet. Quemadmodũ enim fœmina, et quod eſt amplius, uidua, poſ- 3
ſeſſionem regeret tributariam? Quid ſibi profuturum, quòd ſibi iura poſſeſſionis cederes, ſi maiora ex incultu agri ſubeunda ſibi damna arbitraretur? Mouebat hoc utriuſque partis togatos. Itaq; conſpirante aſſenſu placuit ut Lætus agrum ſuſciperet, & certum numerum frumenti, uini, olei, ſorori quotannis penſitaret. Ergo ſanctæ germanæ tuæ non ius, ſed ſolicitudo deceſſit: non fructus, ſed culturæ labor: non reditus, ſed incerti euentus quædam (ut dicitur uulgo) alea. Si tempeſtates uentorum graues prouentum impedierint, ſorori tamen tuæ ſua ubertas manebit. Si nimia ſiccitate aruerint locorum gignentia, ſorori tamen tuæ ſtata non minuetur fœcunditas. Sibi adſcribit Læ- 4
tus conditionem oblationis ſuæ: ſi neceſſitates temporum & extraordinariæ incubuerint exactiones, germana tua beneficio tuo & diſpendio Læti immunis erit, Lætus autem ſe proprietate locorum ſolabitur. Vinciſtis ergo omnes. Lętus, quia ius loci adeptus eſt quod non tenebat: ſoror, quia annuis potietur fructibus, iam ſine lite, ſine iurgio: nemo tamen plenius, nemo glorioſius quàm tu uinciſti, qui dum erga ſororem confirmari uis liberalitatem tuam, in utrunque eam fraternæ conſortem neceſſitudinis contuliſti. Nam & fratri conceſſiſti proprietatem, & ſorori uſus fructum. Nihil autem adimitur Eccleſiæ, quod pietati acquiritur. Charitas enim non damnum, ſed lucrum Chriſti eſt. Deniq; charitas, fructus ſpiritus ſancti eſt. Apoſtolico igitur charactere cognitio decurſa eſt. Dolebamus ante quòd litem haberes. Profuit iurgium, ut formam indueres apo- Galat. 5
ſtolicæ uitæ & præceptionis. Illud ſacerdotio non cõgruebat, hæc tranſactio & apoſtolicam decet normam. Nec uereare ne immunis ſit atq; exors Eccleſia liberalitatis tuæ. Habet & illa fructus tuos, & quidem uberiores, habet fructus doctrinæ tuæ, habet tuæ uitæ ſtipendium, habet fœcunditatem, quam tuis inſtitutis rigaſti. His diues reditibus non quærit temporalia, quia æterna poſſidet. Addidiſti autem ei non ſolum apoſtolicos, ſed etiam euangelicos fructus, dominus enim dixit: Facite uobis amicos de iniquo Luc. 16
mammona. Feciſti & tu amicos & quod mirabile eſt, ex diſſidentibus. Feciſti in ius germanitatis redire fratres, feciſti eos hac charitate, hac gratia ſecuros quod ſuſcipiantur in æterna tabernacula. Chriſto igitur authore, & duobus arbitris ſacerdotibus, te qui formam prior dediſti, me qui ſententiam prompſi, facta pax non claudicabit, quando tanta fidei conuenerunt ſuffragia, ut perfidia non poſſit eſſe ſine pœna. Arabit Lætus ſorori, cui antea alienos inuidebat labores: meſſem Lætus ſorori colliget, in qua ante
ferre non poterat alienas donationes: deferet fructus ad ſororis horrea, & hoc Lætus 5
faciet, recepta iam etiam nominis ſui proprietate. Tu interea conformatus in apoſtolum Chriſti aſſumens propheticam authoritatem dices ad dominum: Poſſediſti renes Pſalm. 138
meos. Hæc melius Chriſtum poſſeſſio decet, ut uirtutes Sacerdotis poſſideat ſui, hos fructus capiat, qui ſunt integritatis & cõtinentiæ, & quod eſt amplius, charitatis & tranquillitatis. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Gratiani Auguſti ad beatum Ambroſium, ut ad ſe docendum uenire feſtinet poſtulantis, & ut ſcripturis atq; argumẽtis Spiritum ſanctum deum eſſe conuincat rogantis. Epiſto. XXV

Mbroſius religioſo Sacerdoti omnipotentis dei Gratianus Auguſtus. Cupio ualde ut quem recordor abſentem, & cum quo mente ſum, cum eodem corpore ſim preſenti. Feſtina igitur ad me religioſe Dei Sacerdos, ut doceas doctrinam ueram, credentem: non quo contentioni ſtudeam, aut uelim magis deũ uerbis quàm mente complecti, ſed ut magis aperto pectori reuelatio diuinitatis inſideat. Docebit enim me ille quem non nego, quem fateor deum ac dominum eſſe meum, nõ ei obijciens quam in me uideo creaturam, qui Chriſto nihil me addere poſſe confiteor: 1
uelle tamen, ut etiam patri me commendem filium prędicando. Non ego in deo uerebor inuidiam, non me talem laudatorem putabo, qui diuinitatem uerbis augeam. Ego 2
infirmus & fragilis, quantum poſſum prędico, non quantum eſt ipſa diuinitas. Rogo te ut mihi des ipſum tractatũ quem dederas, augendo illic de Spiritu ſancto fidelem diſputationem

rationem: scripturis atque argumentis deum esse conuince. Diuinitas te seruet per multos annos, parens & cultor dei æterni, quem colimus, Iesu Christi.

Diui Ambrosii ad Gratianum Augustum, epistolam ipsius plurimum commendantis, suæq; uoluntati se satisfacturum pollicentis. Epist. XXVI

Beatissimo Augusto Gratiano, & Christianissimo principi Ambrosius episB copus. Non mihi affectus defuit Christianissime principum. Nihil enim habeo quod hoc uerius & gloriosius dicã. Non, inquã mihi affectus defuit, sed effectum uerecundia retardauit quo minus clementiæ tuæ occurrerem. Reuertenti tamen si non occurri uestigio, occurri animo, occurri uoto, in quo maiora sunt officia Sacerdotis. Occurri dico. Quando enim abfui, quem toto sequebar affectu, cui sensu ac mentibus inhærebam? Et certe maior animorum præsentia est, tuum quotidianum ítem legebam, nocte ac die in tuis castris cura & sensu locatus, orationum excubias prætendebam, & si inualidus merito, sed affectu sedulus. Et hæc quidem cum pro tua salute deferebamus, pro nobis faciebamus. Nihil hic adulationis est, quam tu non requiris, ego alienam nostro duco officio: sed plurimum gratiæ quam dedisti. Scit ipse nostri arbiter quem fateris, & in quẽ pie credis, refici uiscera mea tua fide, tua salute, tua gloria, mecq; non solum officio publico debitas pendere preces, sed etiam amore priuato. Reddidisti enim mihi quietem Ecclesiæ, perfidorum ora, atq; (quod utinam) & corda clausisti, & hoc non minore fidei, quàm potestatis authoritate fecisti. Nam quid de literis recentibus loquar? Scripsisti tua totam epistolam manu, ut ipsi apices fidem tuam pietatemq; loquerentur. Sic Abraham sua manu quondam uitulum occidit, ut hospitibus epulantibus ministraret, nec in ministerio religioso aliorum adiumenta quæsiuit. Sed ille priuatus aut domino & angelis, aut domino in angelis deferebat, tu Imperator dignatione regali honoras infimum Sacerdotẽ. Sed domino defertur cùm seruulus honoratur. Ipse enim dixit: Quod uni horum minimorum fecistis, mihi fecistis. At ego humilitatem tantummodo prædico in Imperatore sublimem, ac nõ amplius fidem, quam uerè conscia meriti tui mente dixisti, quam docet te ille quem non negas. Quis enim alius docere te potuit, ut ei non obijcias quam in te uides creaturam? Nihil moralius, nihil expressius dici potuit. Creaturam enim Christum dicere, pro obiectu contumeliæ est, non pro confessione reuerentiæ. Deinde quid tam insolens, quàm id eum existimare quod nos sumus? Docuisti igitur me, à quo te discere uelle profiteris, nihil tale adhuc legi, nihil tale audiui? Quàm pium autem illud, quàm admirabile, quòd in deo nõ uereris inuidiam? de patre remunerationẽ pro filij amore præsumis, & laudando filium, nõ ei te posse aliquid addere confiteris, sed uelle ut etiam patri te filij prædicatione commendes. Quod utiq; solus te docuit ille qui dixit: Qui me dilígit, dilígetur à patre meo. Addidisti ad hæc, quia tu infirmus & fragilis non te talem laudatorem putabis, ut diuinitatem uerbis augeas, sed quantum possis prædices, non quantum est ipsa diuinitas. Hęc infirmitas in Christo fortior est, sicut & Apostolus dixit: Cùm infirmor, tũc potens sum, hæc humilitas excludit fragilitatem. Veniam planè, & festinabo ut iubes, ut hæc præsens audiam, ut hæc præsens legam, cùm ex tuo ore procedunt. Misi autẽ duos libellos quorum iam quia tuæ clementiæ sunt probati, periculum non uerebor. De spiritu uerò interim ueniam scriptioni peto, quoniam quem iudicem mei sim sermonis habiturus agnoui. Interim tamen sententia & fides tua de domino & saluatore deprompta de dei filio, redundat ad assertionem uberrimam, per quam sancti quoq; spiritus diuinitas sempiterna credatur, ut non ei obijcias quam in te uides creaturam, nec deum patrem domini nostri Iesu Christi spiritui suo existimes inuidere. Quod enim creaturę caret communione, diuinum est. Si dominus fauerit, huic etiam clementiæ tuæ satisfaciam uoluntati, ut cuius accepisti gratiam, eum plane in dei gloria præminentem suo nomine existimes honorandum. Beatissimum te & florentissimum deus omnipotens pater domini nostri Iesu Christi tueri ætate prolixa, & regnum tuum in summa gloria & pace perpetua confirmare dignetur, domine imperator Auguste, diuino electe iudicio, principum glorioſissime.

Gene. 38

Matth. 25

Ioan. 14

2. Cor. 12

Diui

Diui Ambrosii ad Valentinianum imperatorem, legationis suæ expositionem insinuantis. Epist. XXVII

AMbrosius Valentiniano imperatori. Etsi superioris legationis meæ fides ita approbata sit tibi, ut ratio eius à me non quæreretur (Satis enim claruit eo ipso quòd aliquot dies retentus sum intra Gallias, me uiolentiam à Maximo non recepisse, neq; ijs astipulatum quæ ad uoluntatẽ eius magis quàm ad pacem proten derent: denicp non commisisses secundam legationem, nisi primam probasses) quia tamen regredienti mihi decernendi secum imposuit necessitatem, ideo hac epistola expositionem legationis meę insinuandam putaui, ne cuiusquam sermo ueris prius uana intexeret, quàm reditus meus integra & syncerę ueritatis expressa signaculo manifestaret. Cùm peruenissem Treuiros, postridie processi ad palatium. Egressus est ad me uir Galli canus, præpositus cubiculi, eunuchus regius. Poposci adeundi copiã, quæsiuit num rescriptum haberem clementiæ tuæ. Respondi, habere. Retulit, non posse me, nisi in consistorio uideri. Dixi non esse hunc morem sacerdotalem, certe esse aliqua de quibus serio deberẽ cum suo principe confabulari. Quid plura? Consuluit eum, sed eadem referenda credidit, ut liqueret etiã priora ex illius arbitrio deprompta. Dixi tamen alienum id quidem à nostro munere, sed me recepto officio non defuturũ, gratã mihi esse humilitatem in tuo præsertim, & quod uerum est, fraternæ pietatis negocio. Vbi sedit in consistorio, ingressus sum, assurrexit ut osculũ daret. Ego inter cõsistorianos steti. Hortari cœperũt alij ut ascenderẽ, uocare ille. Respondi ego: Quid oscularis eum quem non agnoueris? Si enim me agnouisses, non hoc loco uideres. Cõmotus es, inquit, episcope? Nõ, inquã, iniuria, sed uerecundia: quòd alieno consisto loco. Et prima, inquit, legatione ingressus es consistoriũ. Nec illud, inquã, mei erroris fuit: uocantis non ingredientis uitiũ est. Cur, inquit, ingressus es? Quia, inquam, tunc ut inferiori pacem petebam, tunc ut æquali. Cuius, inquit, beneficio æquali? Respondi, omnipotẽtis dei, qui Valentiniano regnũ quod dederat reseruauit. Ad postremum erupit, dicens: Quoniam me lusisti, & ille Bauto qui sibi regnum sub specie pueri uindicare uoluit: qui etiã Barbaros mihi immisit, quasi ego non habeam quos possim adducere, cùm mihi tot milia Barbarorum militent, & annonas à me accipiant. Quod si ego tunc tẽporis quando ueneris non fuissem retentus, quis mihi obstitisset & uirtuti meę? Ad hęc ego leniter: Non opus est, inquã, ut cõmouearis, cum causa nulla sit cõmotionis, sed patienter audias quæ referant istis. Propterea et ego ueni, quia prima legatione dũ mihi credis, per me deceptũ te esse asserebas: Gloriosum mihi est hoc pro salute pupilli Imperatoris. Quos enim Episcopi magis quàm pupillos debemus tueri? Scriptum est enim: Iudicate pupillo, & iustificate uiduã, & eruite iniuriam accipientem. Et alibi: Iudices uiduarum, & patres orphanorum. Tamen nõ exprobrabo beneficium meum Valentiniano. Vt uerum eloquar, ubi ego tuis legionibus obstiti quo minus influeres in Italiam? Quibus rupibus? qua acie? quibus numeris? An uestro corpore meo clausi tibi Alpes? Vtinã hoc meum esset, obiectionem non timerẽ, non uererer criminationes tuas. Quibus promissis lusi te ut paci acquiescerés? Nónne intra Gallias iuxta urbem Mogontiacum Comes Victor occurrit mihi quem direxisti ut pacem rogaret? In quo ergo te fefellit Valentinianus, qui prius pacẽ à te rogatus est, quàm postularet? In quo fefellit Bauto qui deuotionẽ Imperatori exhibuit suo? An quia principem suum non prodidit? In quo ego te circumscripsi? Qui ubi primum ueni, cum dicerés quòd Valẽtinianus ad te quasi filius ad patrem uenire deberet, respondérim nõ esse æquum ut aspero hyemis tempore puer cum matre uidua penetraret Alpes: sine matre autem tanto itinere dubijs rebus committeretur. De pace nobis legationem commissam, non de aduentu eius promissionem: spondere nos id nõ potuisse, certum est, quod mandatum non erat, me certe nihil spopondisse, adeò ut diceres: Expectemus quid Victor responsi referat. Illum autem liquet me retento peruenisse Mediolanum, negatumcp ei quod postulabat. De pace tantum conspirare studia, non de aduentu Imperatoris, quem moueri non oporteret. Præsens eram ubi Victor redijt. Quomodo ergo reuocaui Valentinianum? Legati iterum missi ad Gallias, qui eis aduentum negarent, apud Valentiam Gallorũ me repererunt: milites utriusq; partis qui custodirent iuga montiũ,

1 Esaiæ. 1 Psalm. 67 2 3 4 5 6 7

offendi reuertens. Quos ego tuos reuocaui exercitus? quas de Italia reflexi aquilas? quos immisit Barbaros Bauto comes? Et quid mirũ si hoc Bauto fecisset, Trãsrhenanus genere, cum tu miniteris imperio Romano Barbarorũ auxilia, & turmas trãslimitanas, quibus cõmeatus prouincialiũ tributa soluebãt? Vide autẽ quid interfit inter tuas mini
tationes, & Valentiniani Augusti pueri mansuetudinẽ. Tu flagitabas, quod Barbarorũ stipatus agminibus Italiæ te infunderes, Valentinianus Hunnos atq; Alanos appropin
quantes Galliæ per Alemanniæ terras reflexit. Quid habet inuidiæ si Bauto Barbaros
8 cum Barbaris fecit decernere? Quoniã dum tu militẽ Romanũ occupas, dum is aduer-
9 sum se utrinq; prætendit, in medio Romani imperij sinu Iuthungi populabantur Rhe-
tias. Et ideo aduersus Iuthungum Hunnus accitus est. Idem tamẽ quia de finitimo prote
rebat Alemanniã, & iam uicinia mali urgebat Gallias, coactus est triumphos suos dese-
rere, ne tu timeres. Confer utriusq; factum. Tu fecisti incursari Rhetias, Valentinianus
suo tibi auro pacem redemit. Aspice illũ quoq; qui tibi ad dexterã assistit, quem Valen-
tianus cùm posset suum dolorẽ ulcisci, honoratũ ad te redire fecit. Tenebat eum in suis
terris, atq; in ipso nuncio necis fraternæ frænauit impetus: nec tibi uicem etsi non parilis
10 dignitatis, eiusdẽ tamẽ necessitudinis retulit. Cõfer ergo te iudice utriusq; factũ. Ille tib
fratrem tuũ uiuentẽ remisit, tu illi uel mortuum redde. Quid illi reliquias germani abne
gas, qui tibi aduersum se auxilia non negauit? Sed uereris ne exuuiarũ reditu renouetur
militibus dolor. Hoc enim allegas: Quem uiuentem deseruerũt, eum defendent perem-
ptum. Quid eum mortuũ times, quem occidisti cùm posses seruare? Hostẽ, inquis, meũ
peremi. Non ille tuus hostis, sed tu illius. Ille iã non sentit defensionẽ. Tuam causam con
sidera. Si quis aduersum te hodie imperiũ in his partibus usurpandũ putet, quæro, utrum
11 te hostẽ illius dicas, an illum tibi? Nisi fallor, usurpator bellũ infert, Imperator ius suum
tuetur. Ergo quem non debueras occidere, eius reliquias negas? Habeat Valentinia-
nus imperator uel fratris exuuias, pacis tuæ obsides. Et quomodo allegabas quòd eum
non mandaueris occidi, quẽ prohibes sepeliri? Poterit igitur credi quod ei nõ inuideris
uitam, cui etiam sepulturã inuides? Sed ad me reuertar. Audio te queri quòd se ad Theo
dosium imperatorem potius contulerint qui sunt cum Valentiniano imperatore. Quid
igitur futurum sperabas, cùm tu refugientes eos ad pœnam poscereres, captos necares,
Theodosius autem muneribus ditaret, donaret honoribus? Quos, inquit, occidi? Re-
spondi ei, Balionem. At quem uirum? qualem bellatorẽ? Hæccine fuit iusta causa exitij,
quòd imperatori suo fidẽ seruauit? Non ego, inquit, eum iussi occidi. Respondi: Hoc au
diuimus quòd occidi iussus sit. Sed, inquit, si ipse sibi uim non intulisset, iusseram eum de
12 duci Cabillonem, & ibi uiuum exuri. Respõdi: Ergo propterea & illud creditũ est quòd
eum occideris. Quis autem sibi parcendum putaret, cùm occisus sit bellator strenuus,
miles fidelis, comes utilis? Ita tum discessi, ut se tractaturum diceret. Postea cùm uideret
me abstinere ab episcopis qui communicabant ei, uel qui aliquos deuios licet à fide ad
necem petebant, commotus eis iussit me sine mora regredi. Ego uerò libenter, etsi me
pleriq; insidias euasurum nõ crederẽt, ingressus sum iter, hoc solo dolore percitus, quòd
Hyginum episcopum senem in exilium duci comperi, cui nihil iam nisi extremus super
13 esset spiritus. Cùm de eo conuenirem comites eius, ne sine ueste, sine plumatio paterent-
tur extrudi senem, extrusus ipse sum. Hęc est expositio legationis meę. Vale Imperator,
& esto tutior aduersus hominem, pacis inuolucro bellum tegentem. Vale.

Diui Ambrosii ad Theodosium imperatorem, seipsum excusantis, & ut ille faci
noris sui pœnitentiam agat, rationibus atq; exemplis suadentis, rogantis, hor-
tantis, & admonentis. Epist. XXVIII

Vgustissimo imperatori Theodosio Ambrosius. Et ueteris amicitiæ dulcis
1 A mihi recordatio est, & beneficiorum quæ crebris meis intercessionibus sum
ma gratia in alios cõtulisti, gratiæ memini. Vnde colligi potest quòd non in
grato aliquo affectu aduentum tuum semper mihi antehac exoptatissimum declinare
potuerim. Sed qua causa hoc fecerim, breuiter expediam. Soli mihi in tuo comitatu ius
2 naturæ ereptum uidebam audiendi, ut & loquendi priuarer munere. Motus enim fre-
quenter es quòd ad me peruenissent aliqua quæ in cõsistorio tuo statuta forent. Ego er-
go expers

go expers communis usus sum, cùm dicat dominus Iesus nihil esse occultum quod non manifestetur? Verecūdia igitur qua potui, satisfeci imperiali arbitrio, & prospexi ne aut ipse causam commotionis habeas, cùm id egerim, ne quid ad me de imperialibus defera tur statutis: aut ego cùm fuero præsens, aut non audiam per metum omniū, & quasi con niuentis famam subibo: aut ita audiam ut mihi aures pateant, uox intercludatur, ut audita non possim eloqui, ne eos qui in suspicionem proditionis uenerint, lædam in periculo. Quid igitur facerem? Non audirem? Sed aures non possem cera ueterum fabularū claudere. Proderem? Sed quod in tuis iussis timerem, in meis uerbis deberem cauere, ne quid cruentum committeretur. Tacerem? Sed quod miserrimum foret omnium, alligaretur conscientia, uox eriperetur. Et ubi illud: Sed si sacerdos non dixerit erranti, is qui errauerit, in sua culpa morietur, & sacerdos reus erit pœnæ, quia non admonuit errantem? Accipe illud Imperator Auguste. Quòd habeas fidei studium, nō possum negare: quòd dei timorem, non diffiteor. Sed habes naturæ impetum, quem si quis lenire uelit, cito uertes ad misericordiam: si quis stimulet, in maius exsuscitas, ut eum reuocare uix possis. Vtinā si nemo mitigat, nullus accendat: libēter eum cōmitto tibi: ipse te reuocas, & pietatis studio uincis impetum naturæ. Hūc ego impetum malui cogitationibus tuis secreto cōmittere, quàm meis factis publicè fortassis mouere. Itaq; malui officio meo aliquid deesse quàm humilitati, & requiri in me ab alijs sacerdotis authoritatē, quàm à te desiderari in me amātissimè honorificentiā, ut represso impetu integra esset consilij eligendi facultas. Prætendi ægritudinem corporis reuera grauem, & nisi à uiris mitioribus uix leuandā: uel emori tamen maluissem quàm aduentū tuum biduo aut triduo non expectarem. Sed quid facerem, non erat. Factum est in urbe Thessalonicensiū quod nulla memoria habet, quod reuocare nō potui ne fieret. Imò quod ante atrocissimum fore dixi, cùm totiens rogarem: & quod ipse sero reuocando graue factum putasti, hoc factum extenuare non poterā. Quando primum auditum est quū propter aduentū Gallorū episcoporum synodus conuenerat, nemo non ingemuit, nullus mediocriter accepit, non erat facti tui absolutio in Ambrosii cōmunione. In me etiam amplius cōmissi exaggeretur inuidia, si nemo diceret dei nostri reconciliationem fore necessariam. An pudet te Imperator hoc facere quod rex propheta author Christi secundum carnem prosapiæ fecit Dauid? Illi dictum est, quia diues qui haberet plurimos greges, unā pauperis ouem propter aduentum hospitis eripuit & occidit: & cognito quod in hoc ipse argueretur, quia ipse fecisset, ait: Peccaui domino. Noli ergo impatiēter ferre Imperator, si dicatur tibi: Tu fecisti istud quod Dauid regi dictū est à propheta. Si enim hoc sedulo audieris, & dixeris: Peccaui domino, si dixeris regale illud propheticum: Venite adoremus, & procidamus ante eum, & ploremus ante dominum nostrū qui fecit nos: dicetur & tibi, Quoniam pœnitet te, dimittit tibi dominus peccatū tuum, & non morieris. Iterum cùm plebem numerari iussisset Dauid, percussus est corde, & dixit ad dominum: Peccaui uehementer quod fecerim hoc uerbum. & nunc domine aufer iniquitatem serui tui quòd deliqui uehemēter. Et missus est iterum ad eum Nathan propheta, qui ei trium optionem conditionum offerret, & quam uellet eligeret, famē tribus annis in terra, aut tribus mensibus fugeret à facie inimicorum suorum, aut triduo mortem in terra. Et respondit Dauid: Angustiæ sunt tria hæc uehementer, ueruntamen incidam in manum domini, quoniam multæ misericordiæ eius nimis, & in manus hominis nō incidam. Culpa autē erat, quoniam uoluit scire numerum totius plebis quæ secum erat: quod scire deo soli debuit reseruare. Et cùm, inquit, mors fieret in plebe, ipso primo die ad horam prandij cùm uidisset Dauid percutientem angelum in plebem, ait Dauid: Ego peccaui, & ego pastor malignum feci, & hic grex quid fecit? Fiat manus tua in me, & in domū patris mei. Itaq; pœnituit dominum, & iussit angelo ut parceret plebi, sacrificium autē offerret Dauid. Erant enim tunc sacrificia pro delictis, hæc nunc sunt sacrificia pœnitentiæ. Itaq; ea humilitate acceptior deo factus est. Non enim mirandū peccare hominem, sed illud reprehensibile, si non se cognoscat erasse, non humiliet deo. Iob sanctus & ipse potēs in secu lo, ait: Peccatum meum non ascondi, sed corā plebe omni annunciaui. Ipsi immani regi Saul dixit Ionathas filius suus: Noli peccare in seruum tuū Dauid. Et, Vt quid peccas in sangui-

Luc. 8

3

4

Ezech. 3

5

6

2. Reg. 12

Psalm. 94

2. Reg. 24

Iob. 31

1. Reg. 18

sanguinem innocentem, occidere Dauid sine causa? Quia etsi rex erat, peccabat tamen si occiderit innocentem. Denique etiam Dauid cùm iam regno potiretur, & audisset Abner innocentẽ occisum à Ioab duce militiæ suæ, ait: Innocens sum ego & regnum meum amodo & usque in æternum à sanguine Abner filij Ner, & ieiunauit in dolore. Hæc ideo scripsi, non ut te confundam, sed ut regum exempla prouocent, ut tollas hoc peccatum de regno tuo. Tolles autem humiliando deo animam tuam. Homo es, & tibi uenit tentatio, uince eam. Peccatum non tollitur nisi lachrymis & pœnitentia. Nec angelus potest, nec archangelus: dominus ipse, qui solus potest dicere: Ego uobiscum sum, si peccaueri mus, nisi pœnitentiam deferentibus non relaxat. Suadeo, rogo, hortor, admoneo: quia dolori est mihi, ut tu qui pietatis inauditę exemplum eras, qui apicẽ clementiæ tenebas, qui singulos nocentes non patiebaris periclitari, tot perijsse non doleas innocẽtes. Etsi in prælijs felicissime egeris, & si in alijs quoq; laudabilis, tamen apex tuorum operum pietas semper fuit. Id tibi inuidit diabolus quod habebas præstantissimum. Vince eum, dum habes adhuc unde possis uincere. Noli peccato tuo aliud peccatũ addere, ut usurpes quod usurpasse multis officit. Ego certe in omnibus alijs licet debitor pietati tuæ, cui ingratus esse non possum, quam pietatem multis imperatoribus præferebam, uni ad æquabam, ego, inquam, causam in te contumaciæ nullam habeo, sed habeo timoris: offerre non audeo sacrificium, si uolueris assistere. An quod in unius innocentis sanguine non licet, in multorum licet? Nõ puto. Postremo scribo manu mea quod solus legas. Ita me dominus ab omnibus tribulationibus liberet, quia non ab homine, neq; per hominem, sed aperte mihi interdictum aduerti. Cùm enim essem solicitus, ipsa nocte qua proficisci parabam, uenisse quidem uisus es ad ecclesiam, sed mihi sacrificium offerre non licuit. Alia prætereo, ut potui cauere. Sed pertuli amore tuo, ut arbitror. Dominus faciat ut omnia cum tranquillitate cedãt. Multifarie deus noster admonet: signis cœlestibus, prophetarum præceptis, uisionibus etiam peccatorẽ uult nos intelligere, quo rogemus eum ut perturbationes auferat, pacem uobis imperantibus seruet, fides ecclesiæ & tranquillitas perseueret, cui prodest Christianos & pios esse Imperatores. Certe uis probari deo. omnis rei tempus, ut scriptum est: Tempus, inquit, faciendi domine. Et tempus beneplaciti deus. Tunc offeres, cùm sacrificandi acceperis facultatem quando hostia tua accepta sit deo. Nonne me delectaret habere gratiam Imperatoris, ut secundum uoluntatem tuam agerem, si causa patereturr? Et simplex oratio sacrificium est. hæc ueniam refert, illa offensionem: quia hæc habet humilitatem, illa contemptum. Dei enim uox est quod malit ut fiat mandatum eius, quàm deferatur sacrificium. Clamat istud deus, ad populum Moyses annunciat, ad populos Paulus prædicat. Id facito quod intelligis in tempore plus placere. Misericordiam, inquit, malo quàm sacrificium. Quare non illi magis sint Christiani qui peccatum condemnant suũ, quàm qui defendere putant? Iustus enim in exordio sermonis accusator est sui. Qui se accusat cùm peccauerit, iustus est, non ille qui se laudauerit. Vtinã Imperator etiam ante mihi potius credidissem, quàm consuetudini tuæ. Dum puto quòd cito ignoscis, cito reuocas, ut sæpe feciſti: & tu præuentus es, & ego non declinaui quod cauere nõ debueram. Sed gratias domino, qui uult seruulos suos castigare, ne perdat. Istud mihi commune est cum prophetis, & tibi erit commune cum sanctis. An ego Gratiani patrem non oculis meis præferam? Debent ueniam sancta alia pignora tua. Dulce mihi nomen antetuli, quibus amorem communiter detuli. Amo, diligo, orationibus prosequor. Si credis sequere. Si, inquam, credis, agnosce quod dico. Si non credis, ignosce quod facio in quo deum præfero. Beatissimus & florentissimus cum sanctis pignoribus fruaris tranquillitate perpetua imperator Auguste.

2. Reg. 3

Matth. 28

7

Psalm. 118
Psalm. 68

Osee. 6
Matth. 9. & 12
Prouer. 18

Diui Ambrosii ad Theodosium imperatorem uindicari iubentem in episcopum & Christianos qui synagogam incenderunt, uehementer eum ob hoc arguentis, atq; ut aliam epistolam dictari iubeat, & quod prius iussum fuerat emendet, exhortantis. Epistola. XXIX

C Lementissimo principi ac beatissimo imperatori Theodosio Augusto Ambrosius episcopus. Exercitus iugibus fere curis sum Imperator beatissime, sed nunquam tanto in æstu fui, quanto nunc, cùm uideo cauẽdum ne quid sit quod

quod adscribatur mihi etiã de sacrilegij periculo. Itaq; peto ut patienter sermonem meũ audias. Nam si indignus sum qui à te audiar, indignus sum qui pro te offerã, cui tua uota, cui tuas committas preces. Ipse ergo non audies eum quem pro te audiri uelis? Non audies pro se agẽtem, quem pro alijs audisti? Nec uereris iudiciũ tuum, ne cùm indignum putaris quem audias, indignum feceris qui pro te audiatur? Sed neq; imperiale est libertatem dicendi denegare, neq; sacerdotale quod sentiat non dicere. Nihil enim in uobis Imperatoribus tam populare & tam amabile est, quàm libertatem etiam in ijs diligere qui obsequio militiæ uobis subditi sunt. Siquidẽ hoc interest inter bonos & malos principes, quod boni libertatem amant, seruitutem improbi. Nihil etiam in sacerdote tam periculosum apud deum, tam turpe apud homines, quàm quod sentiat non libere pronunciare. Siquidem scriptum est: Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum, & non confundebar. Et alibi: Fili hominis, speculatorem te posui domui Israel, in eo, inquit, ut si auertatur iustus à iustitijs suis, & fecerit delictum quia non distinxisti ei, hoc est, non dixisti quid sit cauendum, non retinebitur memoria iustitiæ eius, & sanguinem eius de manu tua exquirã. Tu autem si distinxeris iusto ut non peccet, & ipse non peccauerit, uita uiuet, quia dixisti ei: & tu animam tuam liberabis. Malo igitur Imperator bonorum mihi esse tecum, quàm malorum consortium: & ideo clementiæ tuæ displicere debet Sacerdotis silentium, libertas placere. Nam silentij mei periculo inuolueris, libertatis bono iuuaris. Non ergo importunus indebitis me interfero, alienis ingero: sed debitis obtempero, mandatis dei nostri obedio. Quod facio primum tui amore, tui gratia, tuæ studio conseruandæ salutis. Si id mihi uel non creditur, uel interdicitur, dico sanè diuinæ offensæ metu. Nam si meum periculum te exueret, patienter me pro te offerrem, sed non libenter. Malo enim te sine meo acceptum deo esse & glorioſum periculo. Sin autem silentij mei dissimulationisq; culpa & me ingrauat, nec te liberat, malo importuniorem me quàm inutiliorem aut turpiorem iudices. Siquidem scriptum est, dicente sancto Apostolo Paulo, cuius non potes doctrinam refellere: Insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Habemus ergo & nos cui displicere plus periculi sit, præsertim cùm etiam Imperatoribus nõ displiceat, suo quemq; fungi munere, & patienter audiatis unumquemq; pro suo suggerẽtem officio, imò corripiatis si non utatur militiæ suæ ordine. Quod ergo in ijs libenter accipitis qui uobis militant, num hoc in sacerdotibus potest molestũ uideri, cùm id loquamur nõ quod uolumus, sed quod iubemur? Scis enim lectum: Cùm stabitis ante reges & præsides, nolite cogitare quid loquamini. dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini. nõ enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis. Et tamẽ si in causis rei publicę loquar, quamuis etiam illic iustitia seruanda sit, nõ tanto adstringar metu si non audiar. In causa uerò dei quem audies, si Sacerdotem non audias, cuius maiore peccatur periculo? Quis tibi uerum audebit dicere si Sacerdos non audeat? Noui te pium, clementem, mitem atq; tranquillum, fidem ac timorem domini cordi habentem: sed plerunq; aliqua nos fallunt. Habent aliqui zelum dei, sed non secundum scientiam. Ne igitur hoc etiam fidelibus animis obrepat, cauendum arbitror. Noui pietatem tuam erga deum, lenitatem in homines, obligatus sum beneficijs tuarum indulgentiarum. Et ideo plus metuo, amplius solicitor, ne etiam ipse tuo me postea iudicio condẽnes, quod mea aut dissimulatione aut adulatione prolapsionẽ nõ euitaueris. Si in me peccari uiderem, non deberem tacere. Scriptum est enim: Si frater tuus in te peccauerit, corripe illum primò, deinde increpa duobus & tribus testibus. si te non audierit, dic Ecclesiæ. Causam ergo dei tacebo? Quid igitur sit quod metuam, cõsideremus. Relatum est à comite Orientis militarium partium incensam esse synagogam, idq; authore factum episcopo. Iussisti uindicari in cæteros, synagogam ab ipso exædificari episcopo. Non adstruo expectandam fuisse assertionem episcopi. Sacerdotes enim turbarum moderatores sunt, studiosi pacis, nisi cùm & ipsi mouentur iniuria dei, aut ecclesię cõtumelia. Sit aliquis iste episcopus feruentior in exustione synagogæ, timidior in iudicio, non uereris Imperator ne acquiescat sententiæ tuæ, ne præuaricetur non times? Nõ etiam uereris quod futurum est, ne uerbis resistat comiti tuo? Necesse erit igitur ut aut præuaricatorem aut martyrem faciat.

Psalm. 118 *Ezech. 3* 1

2 *Timot. 4* 2

Matth. 10 2

Roma. 10 *Matth. 18* 3

faciat. Vtrumque alienum temporibus tuis, utrumque persecutionis instari: si aut prævaricari cogatur, aut subire martyrium. Vides quo inclinet causæ exitus. si fortem episcopum putas, caueto martyrium fortioris: si inconstantem, declina lapsum fragilioris. Plus enim astringitur, qui labi infirmum coegerit. Hac proposita conditione puto dicturum episcopum quod ipse ignes sparserit, turbas compulerit, populos conduxerit, ne amittat occasionem martyrij, & pro inualidis subijciat ualidiorem. O beatum mendacium, quo acquiritur sibi aliorum absolutio, sui gratia. Hoc est imperator quod popposci & ego, ut in me magis uindicares: & hoc si crimen putares, mihi ascriberes. Quid mandas in absentes iudicium? Habes præsentem, habes confitentem reum. Proclamo quod ego synagogam incenderim, quod ego illis mandauerim, ne esset locus in quo Christus negaretur. Si obijciatur mihi, cur hic non incenderim? Diuino iam cremari cœpit iudicio: meum cessauit opus. Et si uerum quæritur, ideo segnior fui, quia non putabam hoc uindicandum. Quid facerem, quod nullo ultore sine præmio foret? Tangunt hæc uerecundiam, sed reuocant gratiam, ne fiat opus quo dei summi contrahatur offensio. Esto tamen, nemo episcopum ad hoc munus conueniat. Rogaui enim clementiam tuam: & licet ipse hoc reuocatum adhuc non legerim, reuocatum tamen constituamus. Quid si alij timidiores dum mortem reformidant, offerant ut de suis facultatibus reparetur synagoga, aut Comes ubi hoc compererit primo constitutum, ipse de Christianorum censu exædificari iubeat? Habebis Imperator Comitem prævaricatorem, & huic uexilla committes uictricia, huic labarum, hoc est, Christi sacratum nomine signum qui synagogam instauret, quæ Christum nesciat? Iube labarum synagogę inferri, uideamus si non resistunt. Erit igitur locus Iudæorum perfidiæ factus de exuuijs ecclesiæ: & patrimonium quod fauore Christi acquisitum est Christianis, hoc transferetur ad donaria perfidorum? Legimus templa idolis antiquitus condita de manubijs Cimbrorum, de spolijs reliquorum hostium. Hunc titulum Iudæi in fronte synagogæ suæ scribent: Templum impietatis factum de manubijs Christianorum. Sed disciplinæ ratio Imperator moueat. Quid igitur est amplius, disciplinæ species, an causa religionis? Cedat oportet censura deuotioni. Non audisti Imperator, quia cùm iussisset Iulianus reparari templum Hierosolymis, quod diuino, qui faciebant repurgum, igne flagrarunt? Non caues ne etiam nunc fiat? Adeò à te non fuit iubendum, ut Iulianus hoc iusserit. Quid tamen mouet? Vtrum quia quodcunque ædificium publicum exustum est, an quia synagogæ locus? Si ædificio incenso moueris uilissimo (quid enim in tam ignobili castro esse potuit?) non recordaris Imperator quantorum Romæ domus præfectorum incensæ sint, & nemo uindicauit? Imò si quis imperatorum uoluit factum seuerius reprehendere, eius magis qui tanto est percussus dispendio, causam grauauit. Quid igitur dignius ut Calinici castri in parte aliqua ędificiorum incendium, an urbis Romę uindicandum existimaretur si oporteret tamen? Constantinopoli dudum domus episcopi incensa est, & filius clementiæ tuæ intercessit apud patrem, ut & suam, hoc est, & filij imperatoris iniuriam, & domus sacerdotalis incendium non uindicares. Non consideras Imperator ne & hoc cum uindicari iusseris, ipse iterũ interueniat ne uindicetur? Sed bene illud acquisitum est à patre filio. Dignum erat enim ut suam iniuriam prius ipse donaret. Bene illud cũ gratiæ distinctione diuisum est, ut & filius pro sua, & pater pro filij iniuria rogaretur. Hic nihil est quod filio reserues, & uide ne quid deo deroges. Non est ergo causa tantæ commotioni idonea, ut propter ædificij exustionẽ in populum tam seuere uindicetur, multo autem minus quia synagoga incensa est perfidiæ locus, impietatis domus, amentiæ receptaculum, quod deus damnauit ipse. Sic enim legimus per os Hieremiæ dicente domino deo nostro: Et faciam domui ubi inuocatum est nomẽ meum super ipsam, in qua cõfiditis uos, & loco quem dedi uobis & patribus uestris, sicut feci Syloh: & proijciam uos à facie mea, sicut proieci fratres uestros omne semen Ephrem. Et tu noli orare pro populo isto, & noli postulare illis misericordiam, & neq; accesseris ad me pro illis, quia non exaudiam te. An non uides quid isti faciunt in ciuitatibus Iudę? Deus se pro illis prohibet rogari, quos tu uindicãdos putas. At certè si iure gentium agerem, dicerem quantas ecclesiæ basilicas Iudæi tempore imperij Iuliani incenderint: duas

Hierem. 7

Damasci,

Damasci, quarum una uix reparata est, sed ecclesiæ non synagogæ impendijs, altera basilica informibus horret ruinis. Incensæ sunt Basilicæ Gazis, Ascalonæ, Beryto, & illis ferè locis omnibus, & uindictam nemo quæsiuit. Incensa est basilica & Alexandriæ à Gentibus & Iudæis, quæ sola præstabat cæteris. Ecclesia non uindicata est, uin- 8
dicabitur synagoga? Vindicabitur etiam Valentinianorum phanum incensum? Quid est enim nisi phanum, in quo est conuentus Gentilium? Licet gentiles duodecim deos appellent, isti triginta & duos æonas colant, quos appellant deos. Nam & de ipsis com- 9
peri relatum & præceptum, ut in monachos uindicaretur, qui prohibentibus iter Valentinianis quo psalmos canentes ex consuetudine usuque ueteri pergebant ad celebritatem Machabæorum martyrum, moti insolentia incenderunt phanum eorum in quodam rurali uico tumultuarie conditum. Quot se offerre habent tali optioni, cum meminerint tempore Iuliani illum quia aram deiecit, & turbauit sacrificium, damnatum à iudice fecisse martyrium? Itaque nunquam alias ille iudex qui audiuit eum, nisi persecutor habitus est, nemo illum congressu, nemo illum unquam osculo dignum putauit. Qui nisi iam esset defunctus, timerem Imperator ne in eum tu uindicares, quan quam uindictam cœlestem non euaserit suo superstes hæredi. Sed refertur, cognitio- 10
nem mandatam iudici, scriptumque eo quod non referre debuerit, sed uindicare. Re- 11
quirenda quoque sublata donaria, ut omittam alia. Incensæ sunt à Iudæis ecclesiarum basilicæ, & nihil redditum est, nihil repetitum, nihil quæsitum. Quid autem habere potuit synagoga in castro ultimo, cùm totum quicquid illic est, non multum sit, nihil pretiosum, nihil copiosum? Quid deinde de incendio potuit rapi Iudæis insidiantibus? Artes istæ sunt Iudæorum uolentium calumniari, ut dum ista quæruntur, mandetur extra ordinem militaris censura iudicij, mittatur miles fortasse dicturus quod hic aliquando ante tuum Imperator dixit aduentum. Quomodo poterit nos Christus iuuare, qui pro Iudæis aduersus Christum militamus? Qui mittuntur ad uindictam Iudæorum, suos perdiderunt exercitus, nostros uolunt perdere. In quas præterea non prosiliant calumnias, qui etiam Christo falsis testimonijs calumniati sunt? In quas non prosiliant calumnias homines & circa diuina mendaces? Quos non authores seditionis fuisse dicant? Quos non appetant, etiam quos non recognoscant, ut catenatorum ordines innumeros spectent de Christiano populo, ut captiua uideant colla plebis fidelis, ut condantur in tenebras dei seruuli, ut feriantur securibus, dentur ignibus, tradantur metallis, ne pœna cito transeat? Hunc dabis triumphum Iudæis de ecclesia dei? Hoc trophæum de Christi populo? Hæc gaudia Imperator perfidis? Hanc celebritatem synagogæ? Hos luctus ecclesiæ? Referet Iudæorum populus hanc solennitatem in dies festos suos, & inter illos profecto numerabit, quibus aut de Amorrheis, aut de Chananæis triumphauit, aut de Pharaone rege Ægypti, aut de Nabuchodonosor regis Babyloniæ manu liberari potuit. Addet hanc celebritatem significans se de Christi populo triumphum egisse. Et cùm ipsi Romanis legibus teneri se negent, ita ut crimina leges putent, nunc uelut Romanis legibus se uindicandos putent? Vbi e- 12
rant istæ leges cùm incenderent ipsi sacratarum basilicarum culmina? Si Iulianus non ultus ecclesiam, quia præuaricator erat, tu Imperator ulciscéris synagogæ iniuriam quia Christianus es? Et quid tecum posthac Christus loquetur? Non recordaris quid Dauid sancto per Natham prophetam mandauerit? Ego te de fratribus tuis minorem 2.Reg.7
elegi, & de priuato Imperatorem feci. Ego de fructu seminis tui in sede imperiali locaui. Ego tibi subiecí nationes barbaras, ego tibi pacem dedi, ego tibi inimicum tuum in potestatem tuam captiuum deduxi. Frumentum non habebas ad exercitus alimoniam, ipsorum hostium manu patefeci tibi portas, aperui horrea, dederunt tibi hostes tui commeatus suos quos sibi parauerant. Ego perturbaui hostis tui consilia, ut se ipse nudaret. Ego ipsum usurpatorem imperij ita uinxi, ac mentem eius ligaui, ut cùm haberet ad huc fugiendi copiam, tamen cum omnibus suis tanquam metuens ne quis tibi periret, ipse se clauderet. Ego comitem eius atque exercitũ ex altera parte naturæ, quos ante di- 13
sperseram, ne ad belli societatem coirent, ad supplemẽtum tibi uictoriæ congregaui. Et exercitum tuum ex multis indomitis cõuenam nationibus quasi unius gentis fidem & tranquillitatem & concordiam seruare præcepi. Ego cum periculum summum esset ne

Alpes

Alpes infida Barbarorum penetrarent consilia, intra ipsum Alpium uallũ uictoriam tibi contuli, ut sine damno uinceres. Ego te triumphare feci de inimico tuo, et tu de plebe mea das meis inimicis triumphũ? Nonne propterea Maximus destitutus est, quia ante ipsos expeditionis dies cùm audisset Romæ synagogam incensam, edictũ Romani miserat quasi uindex disciplinæ publicæ? Vnde populus Christianus ait: Nihil boni huic
14 imminet. Rex iste Iudęus factus est: defensorem istum disciplinę audiuimus, quem mox
1. Cor. 15 Christus probauit, qui pro peccatoribus mortuus est. Si de sermone hoc dictũ est, quid de ultione dicetur? Ille igitur statim à Francis, à Saxonũ gente, in Sicilia, Siciæ, Petauione, ubicũq; denicq; terrarum uictus est. Quid pio commune cum perfido? Abolenda cum impio sunt etiam impietatis exempla. Quod illi nocuit, & quo uictus offendit, hoc non sequi debet, sed damnare qui uicit. Itaq; illa tibi non quasi ingrato recensui, sed quasi iure collata enumerauí, ut his admonitus cui plus collatum est, plus diligas. Denicq; hoc re
Luc. 7 spondenti Simoni dixit dominus Iesus: Recte iudicasti. Statimq; conuersus ad mulierem quæ pedes eius unguento unxit, typum Ecclesiæ gerens, ait Simoni: Propter quod dico tibi: Remissa sunt peccata eius multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Hæc est mulier quæ domũ Pharisæi intrauit, & eiecit Iudæum, Christum acquisiuit. Ecclesia enim Synagogã excluſit. cur iterum tentatur ut apud Christi famulum, hoc est de pectore fidei, de domo Christi Synagoga excludat Ecclesiam? Hæc ego Imperator amore & studio tui in hunc sermonem contuli. Debeo enim beneficijs tuis quibus me petente liberasti plurimos de exilijs, de carceribus, de ultimæ necis pœnis, ut malle debeam pro salute tua etiam offensionem tui animi non timere, (Nemo maiore fiducia utitur, quàm qui ex affectu diligit: Nemo certe debet lædere qui sibi consulit) tot annorum conceptam cuiuscunq; sacerdotij gratiam uno momento amittam. Et tamen non damnum gratiæ deprecor, sed salutis periculum. Quanquam quantum est imperator, ut quærendum aut uindicandum non putes, quod in hũc diem nemo unquam uindicauit? Graue est fidem tuam pro Iudæis periclitari. Gedeon cùm occidisset
Iudic. 6 sacratum uitulum, dixerunt Gentiles: Dij ipsi iniuriam suam uindicent. Quis habet synagogam uindicare? Christus quem occiderunt, quem negauerunt? An deus pater uindicabit eos qui nec patrem recipiunt, qui filium non receperunt? Quis habet Valentinianorum hæresim uindicare? quam pietas tua quomodo uindicat, cùm eos excludi iusserit, nec conueniendi usurpare copiam? Si Iosiam tibi obijciam regem deo probatum,
2. Reg. 22 hoc in istis damnabis quod in illo probatum est. Certe si mihi parum fidei defertur, iube adesse quos putaueris episcopos, tractetur Imperator quid salua fide agi debeat. Si de causis pecuniarijs comites tuos consulis, quanto magis in causa religionis Sacerdotes domini æquum est consulas? Consideret clementia tua quantos insidiatores habeat Ecclesia, quantos exploratores: Leuem rimam si offenderint, figent aculeum. Secundum homines loquor. Cæterùm plus hominibus deus timetur, qui etiam imperatoribus iure præfertur. Si amico suo aliquis, si parenti aut propinquo deferendum existimat, rectè ego & deferendum deo, & eum præferendum omnibus iudicaui. Consule tibi Imperator, aut patere me consulere mihi. Quid respondebo postea si compertum fuerit data hinc authoritate aliquos Christianorum aut gladio, aut fustibus, aut plumbis necatos? Quomodo hoc purgabo factum? Quomodo excusabo apud episcopos? Qui nũc quia per triginta & innumeros annos presbyterij quidam gradu functi, uel ministri ecclesiæ retrahuntur à munere sacro, & curiæ deputantur, grauiter gemunt. Nam cum ij qui uobis militant, certo militiæ tempore seruentur, quanto magis etiam eos considerare debetis qui deo militant? Quomodo, inquam, hoc excusabo apud episcopos qui queruntur de clericis, & impressione graui uastari scribunt ecclesias? Hoc tamen in noticiam clementiæ tuæ peruenire uolui: de hoc ut placet arbitrio tuo cõsulere, & temperare dignaberis. Illud autem quod me angit, & iure angit, exclude atq; eijce: Ipse facis quicquid fieri iussisti. Aut si ille facturus non est, malo te magis esse clementem, quàm illum non fecisse quod iussus est. Habes in quibus domini adhuc debes circa imperium Romanum inuitare clementiam, habes quibus amplius quàm tibi speres. Illorum gratia, illorum salus te in hoc sermone conueniat meo: ne causam tuam alieno cõmittas iudicio. Integra adhuc tibi sunt omnia. In hoc me ego deo nostro pro te obligo, nec uerearis sacramentum. Nun-

tum. Nunquid Deo displicere poterit, quod pro eius emendatur honorificentia? Nihil mutaueris certe in illa epistola, siue missa, siue nondum missa est: dictari iube aliam, quę plena fidei, plena pietatis sit. Tibi integrum sit emendare, mihi non est integrū dissimulare. Antiochenis tuam donasti iniuriam, inimici tui filias reuocasti, nutriendas apud affinem dedisti matri hostis tui, misisti de ærario tuo sumptus. Hæc tanta pietas, tāta erga Deum fides hoc facto obfuscabitur? Tu igitur qui armatis pepercisti hostibus, & seruasti inimicos tuos, ne quæso tanto studio putes uindicandum in Christianos. Nunc Imperator rogo ut non aspernanter acceperis me & pro te & pro me timentem. Sancti enim uox est: Vt quid factus sum uidere cōtritionem populi mei, ut offensam incurram Dei? Ego certe quod honorificentius fieri potuit, feci: ut me magis audires in regia, ne si necesse esset, audires in ecclesia.

Diui Ambrosij ad Valentinianū, eundem rogantis atq; conuenientis ne ad petitionem Gentiliū aras eorum imperatorio decreto instaurari iubeat, ostendentisq; ex tali decreto, primū Deo, deinde patri & fratri iniurias irrogari. Epist. XXX

AMbrosius episcopus beatissimo principi & Christianissimo Imperatori Valētiniano. Cùm omnes homines qui sub ditione Romana sunt, uobis militēt Imperatoribus terrarū atq; principibus, tum ipsi uos omnipotenti Deo & sacrę fidei militatis. Aliter enim salus tuta esse nō poterit, nisi unusquisq; Deum uerum, hoc est Deum Christianorū, à quo cuncta reguntur (Ipse enim solus uerus est Deus,) intima mente ueneretur. Dij enim gentium dęmonia, sicut scriptura dicit. Huic igitur Deo uero quisquis militat, & qui intimo colendum recipit affectu, non dissimulationem, non conniuentiam, sed fidei studium & deuotionis impendit. Postremo si non ista, consensum saltem aliquem non debet colendis idolis & prophanis cæremoniarum cultibus exhibere. Nemo enim Deum fallit, cui omnia etiam cordis occulta manifesta sunt. Ergo cùm à te Imperator Christianissime fides Deo uero sit ēxhibēda, cùm ipsius fidei studium, cautio atq; deuotio, miror quomodo aliquibus in spem uenerit quòd debeas aras dijs Gentiū tuo instaurare præcepto, ad usus quoq; sacrificiorū prophanorum prębere sumptum. Quod enim iandudum uel fisco uel arcę est uindicatum, de tuo magis conferre uidebere, quàm de suo reddere. Et de dispendijs queruntur qui nunquam nostro sanguini pepercerunt, qui ipsa ecclesiarum ædificia subruerunt. Petūt etiam ut illis priuilegia deferas, qui loquendi & docendi nostris cōmunem usum Iuliani lege proxima denegarunt: & priuilegia illa quibus sæpe decepti sunt etiam Christiani. Nonnullos enim illis priuilegijs partim per imprudentiam, partim propter publicarum necessitatum molestias declinandas irretire uoluerunt, & quia non omnes fortes inueniuntur, etiam sub principibus Christianis plerique sunt lapsi. Sed hæc si iam sublata non essent, auferenda tuo imperio comprobarem. At cùm per totum ferè orbem à pluribus retro principibus inhibita interdictaq; sint, Romæ autem à fratre clementiæ tuæ augustæ memoriæ Gratiano fidei ueræ ratione sublata sint, & datis antiquata rescriptis: ne quæso uel fideliter statuta cōuellas, uel fraterna præcepta rescindas. De negocijs ciuilibus si quid statuitur, nemo putat esse temerandum, & præceptum de religione calcatur? Nullus obrepat iuniori ætati tuæ: siue ille Gentilis est qui ista deposcit, non debet mentem tuam uinculis suæ superstitionis innectere, sed proprio studio docere & admonere te debet quemadmodum ueræ fidei studere debeas, quando ille tanto motu ueri uana defendit. Deferendum meritis clarorum uirorum & ego suadeo, sed Deum certum est omnibus præferendum. Si de re militari est cōsulendum, debet exercitati in prælijs uiri expectari sententia, consilium comprobari: quando de religione tractatus est, Deum cogita. Nullius iniuria est, cui Deus omnipotens antefertur. Habet ille sententiam suam. Inuitum non cogitis colere quod nolit, hoc idem uobis liceat Imperator, & unusquisq; patienter ferat si non extorqueatur Imperatori, quod molestè ferret si ei extorquere cuperet Imperator. Ipsis gentilibus displicere consueuit pręuaricantis affectus. Libere enim debet defendere unusquisq; fidele mentis suę & seruare propositum. Quòd si aliqui nomine Christiani tale aliquid decernendum putant, mentem tuam uocabula nuda non capiant, nomina cassa non fallant. Quisquis hoc suadet, sacrificat, & quisquis hoc statuit. Tolerabilius tamen est unius sacrificium, quàm lapsus omnium.

Psal. 95

Totus hic Christianorũ periclitatur senatus. Si hodie gentilis aliquis Imperator, quod absit, aram statueret simulacris, & eò conuenire cogeret Christianos, et sacrificantibus interessent, ut oppleret anhelitus & ora fidelium cinis ex ara, fauilla de sacrilegio, fumus ex busto, & in ea curia sententiam diceret ubi iurati ad aram simulacri in sententiam cogerentur: (propterea enim interpretantur aram locatam, ut eius sacramento, ut ipsi putant, unusquisq; conuentus cõsuleret in medium, cùm curia maiore iam Christianorum numero sit referta) persecutionem esse crederet Christianus qui cogeretur, tali optione ad senatum uenire: quod fit plerunq;. nam etiam iniurijs conuenire coguntur. Te ergo Imperatore Christiani in arã iurare cogentur? Quid est iurare, nisi eius quem testare
2 fidei tuæ præsulem, diuinam potentiam confiteri? Te Imperatore hoc petitur & postulatur, ut aram iubeas eleuari, sumptum sacrificijs prophanis dari? Sed hoc non potest sine sacrilegio decerni. Vnde rogo te ne id decernas, statuas, uel in eiusmodi decreta
3 subscribas. Conuenio fidem tuam Christi sacerdos. Omnes cõueniremus episcopi, nisi incredibile hoc & repentinum ad aures peruenisset hominũ, quod tale aliquid esset uel in consistorio suggestum tuo, uel à senatu petitum: sed absit ut hoc senatus petisse dicatur. Pauci Gentiles cõmuni utuntur nomine. Nam & ante biennium ferme cum hoc petere tentarẽt, misit ad me sanctus Damasus Romanæ ecclesiæ sacerdos, iudicio Dei electus, libellum quem Christiani senatores dederunt, & quidem innumeri, postulantes nihil se tale mandasse, non congruere Gentilium istiusmodi petitionibus, non præbere consensum, questi etiam publicè priuatimq; se non conuenturos ad curiã, si tale aliquid decerneretur. Dignum est temporibus uestris, hoc est Christianis temporibus, ut dignitas Christianis senatoribus abrogetur, quo Gentilibus senatoribus prophanę deferatur uoluntatis effectus? Hunc libellum ego fratri clementiæ uestræ direxi. Vnde constitit non Senatum aliquid de superstitionis impensis mandasse legatis. Sed fortasse dicatur: Cur dudum non interfuerint senatui, cùm ista peterentur? Satis loquuntur quid uelint qui non interfuerunt: satis locuti sunt, qui apud Imperatorem locuti sunt. Et miramur tamen si priuatis resistendi Romæ eripiunt libertatem, qui nolunt esse liberum tibi non iubere quod non probas, nõ seruare quod nõ sentis. Et ideo memor legationis proximæ mandatæ mihi, conuenio iterum fidem tuam, conuenio mentem tuam, ne uel respõdendum secundum huiusmodi petitionem Gentilium censeas, uel in eiusmodi responsa sacrilegium subscriptionis adiungas. Certè refer ad parentem pietatis tuę principẽ Theodosium, quem super omnibus ferè maioribus causis consulere cõsuesti. Nihil maius est religione, nihil sublimius fide. Si ciuilis causa esset, diuersæ parti responsio seruaretur. causa religionis est, episcopus conuenio. Detur mihi exemplum missæ relationis, ut & ego plenius respondeam, & sic de omnibus consultus clementiæ tuæ parens respondere dignetur. Certe si aliud statuitur, episcopi hoc æquo animo pati & dissimulare non possumus: licebit tibi ad ecclesiam cõuenire, sed illic non inuenies Sacerdotem, aut inuenies resistentem. Quid respondebis Sacerdoti dicenti tibi: Munera tua nõ quærit Ecclesia, quia templa Gentilium muneribus adornasti? Ara Christi dona tua respuit, quoniam aram simulacris fecisti. Vox enim tua, manus tua, & subscriptio tua, opus est tuũ. Obsequium tuum dominus Iesus recusat & respuit, quoniam idolis obsecutus es. Dixit
Matth. 6 enim tibi: Non potestis duobus dominis seruire. Priuilegia tua sacratæ Deo Virgines non habent, & uindicant uirgines Vestę? Cur Sacerdotes Dei requiris, quibus petitiones prophanas Gentilium prætulisti? Alieni erroris societatem suscipere non possumus. Quid respõdebis his uerbis? Puerum esse te lapsum? Omnis ętas perfecta Christo est. Omnis Deo plena pueritia fidei comprobatur. Paruuli etiam Christũ intrepido aduersus persecutores ore confessi sunt. Quid respondebis germano tuo? Non ne tibi dicet: Victum me esse non credidi, quia te Imperatorem reliqui: mori non dolui, quia te hæredem habebam: imperio me decedere nõ ingemui, quia imperia mea, præsertim de religione diuina, omnibus seculis mansura credebam. Hos ego titulos piæ uirtutis erexeram. has de seculo manubias, hæc spolia de diabolo, has ego de aduersario omnium exuuias offerebã, in quibus æterna uictoria est. Quid mihi plus potuit meus hostis auferre? Abrogasti decreta mea: quod adhuc ille qui contra me leuauit arma, non fecit. Nunc grauius telum corpore recipio, quòd à fratre mea statuta dãnantur. Meliore parte mei

te mei apud te periclitor. Illa enim mors corporis, ista uirtutis est. Nunc mihi abrogatur imperiū, & quod est grauius, abrogatur à tuis, abrogatur à meis, & id abrogatur quod in me etiam mei aduersarij prædicarunt. Si uolens acquieuisti, damnasti fidem meam. si inuitus cessisti, prodidisti tuam. Ergo, quod grauius est, & in te periclitor. Quid respondebis etiam patri? qui te maiore dolore conueniet, dicens: De me fili pessime iudicasti, qui putasti quod ego Gentilibus conniuentiā præstitissem. Nemo ad me detulit aram esse in illa Romana curia, nunquam tantum nefas credidi, quod in cōmuni illo Christianorum Gentiliumq; concilio sacrificarent Gentiles, hoc est, insultarent Gentiles præsentibus Christianis, & inuiti Christiani interesse sacrificijs cogerentur. Multa & diuersa crimina me imperante cōmissa sunt, ultus sum quęcunq; sunt deprehensa: si quis tunc latuit, debet ergo dicere me probasse quod ad me nemo detulerat? De me pessime iudicasti, si mihi superstitio aliena, non fides mea seruauit imperium. Vnde cùm aduertas Imperator, Deo primum, deinde patri & fratri iniurias irrogari si quid tale decernas, peto ut id facias quod saluti tuæ apud Deum intelligis profuturum.

Symmachi Vrbis præfecti persuadentis ritus ueteres circa cultum deorum esse seruandos ad Imperatores Relatio.

V Bi primum senatus amplissimus, semperq; uester, subiecta legibus uitia cognouit, & à principibus pijs uidit purgari famam proximorum temporū, boni seculi authoritatem secutus, euomuit diu pressum dolorem, atq; iterum me querelarum suarum iussit esse legatum. Cui ideo diui principis denegata est ab 1
improbis audientia, quia non erat iustitia defutura, domini Imperatores Valentiniane, Theodosi, & Arcadi inclyti uictores, ac triumphatores semper Augusti. Gemino igi- 2
tur functus officio, & ut Præfectus uester gesta publica prosequor, & ut legatus ciuium mandata cōmendo. Nulla est hic dissensio uoluntatum, quia iam credere homines desierunt: aliquorum ministri regum coguntur se studio prętare si discrepent. Amari, coli, diligi, maius imperio est. Quis ferat obfuisse reipublicæ priuata certamina? Merito illos Senatus insequitur, qui potentiam suam famæ Principis prætulerunt. Noster autem labor pro clementia uestra ducit excubias. Cui enim magis cōmodat, quòd instituta Maiorum, quòd patriæ iura & facta defendimus, quàm temporum gloriæ? Quæ tum maior est, cùm uobis contra morem parentum intelligitis nil licere. Repetimus igitur religionum statum qui reipublicæ diu profuit. Certè numerentur principes utriusq; sectæ, utriusq; sententiæ: proximus eorum ceremonias patrum coluit, recentior nō remouit. Si exemplum non facit religio ueterum, faciat dissimulatio proximorum. Quis ita familiaris est Barbaris, ut aram Victoriæ non requirat? Cauti in posterum sumus, & talium rerum ostēta uitamus. Reddatur saltem nomini honor, qui numini denegatus est. Multa Victoriæ debet æternitas uestra, & adhuc plura debebit. Auersentur hanc potestatem quibus nihil profuit, uos amicum triumphis patrocinium nolite deserere. Cunctis potentia ista uotiua est: nemo colendam neget, quam profitetur optandam. Quod si huius ominis nō est etiam iusta uitatio, ornamentis saltem curiæ decuit abstineri. Præstate oro uos, ut ea quæ pueri suscepimus, senes posteris relinquamus. Consuetudinis amor magnus est. Merito diui Constantij factum diu non stetit. Omnia uobis exempla uitanda sunt, quæ mox remota didicistis. Aeternitatem curamus famæ & nominis uestri, ne quid futura ætas inueniat corrigendum. Vbi in leges uestras & uerba iurabimus, qua religione mens falsa terrebitur, ne in testimonijs mentiatur? Omnia quidem Deo plena sunt, nec ullus perfidis tutus est locus: sed plurimum ualet ad metum delinquendi etiam præsentia religionis urgeri. Illa ara cōcordiam tenet omnium, illa ara fidē con- 3
uenit singulorum, neq; aliud magis authoritatem facit sententijs nostris, quàm quod omnia quasi iuratus ordo decernit. Patebit ergo sedes prophana periurijs, & hoc inclyti principes mei probabile iudicabūt, qui sacramento publico tuti sunt? Sed diuus Constantius idem fecisse dicitur. cætera potius illius principis æmulemur: qui nihil tale esset aggressus, si quis ante se alius deuiasset. Corrigit enim sequentem lapsus prioris, & de reprehensione antecedentis exempli nascitur emendatio. Fas fuit, ut parēs ille clementiæ uestræ in re adhuc noua non caueret inuidiam. Num potest etiam nobis eadem defensio conuenire si imitemur quod meminimus improbatum? Accipiat æternitas ue-

ſtra alia eiuſdem principis facta, quæ in uſum dignius trahat. Nil ille decerpſit ſacrarum Virginum priuilegijs, repleuit nobilibus ſacerdotia, Romanis cerem onijs non negauit impenſas, & per omnes uias ęternę Vrbis lætum ſecutus Senatum, uidit placido ore delubra, legit inſcripta faſtigijs deûm nomina, percontatus eſt templorum origines miratus eſt conditores. Cumq; alias religiones ipſe ſequeretur, has ſeruauit imperio. Suus enim cuiq; mos, ſuus cuiq; ritus eſt. Varios cuſtodes urbibus & cultus mens diuina diſtribuit. Vt animæ naſcentibus, ita populi fatales genij diuiduntur. Accedit utilitas, quę maxime homini deos aſſerit. Nam cùm ratio omnis in operto ſit, unde rectius quàm de memoria atq; documentis rerum ſecundarum cognitio uenit numinum? Iam ſi longa ætas authoritatẽ religionibus faciat, ſeruãda eſt tot ſeculis fides, & ſequendi ſunt nobis parentes, qui ſecuti ſunt feliciter ſuos. Romã nũc putemus aſſiſtere, atq; his uobiſcum agere ſermonibus: Optimi principes, patres patriæ reueremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit. Vtar ceremonijs auitis, neq; enim pœnitet. Viuã meo more, quia libera ſum. Hic cultus in leges meas orbem redegit: hæc ſacra Annibalem à mœnibus, à capitolio Senonas repulerunt. Ad hoc ergo ſeruata ſum, ut longæua reprehendar? Vi deam, quod inſtituendum putatur? Sera tamen & contumelioſa eſt emendatio ſenectutis. Ergo dijs patrijs, dijs indigetibus pacem rogamus. Aequum eſt, quicquid omnes colunt, unum putari. Eadem ſpectamus aſtra, cõmune cœlum eſt, idem nos mundus involuit. Quid intereſt qua quiſq; prudentia uerum requirat? Vno itinere nõ poteſt per-
4 ueniri ad tam grande ſecretum. ſed hæc ocioſorum diſputatio eſt: nos preces non certa mina offerimus. Quanto cõmodo ſacri ærarij ueſtri Veſtalium uirginum prærogatiua detracta eſt? Sub largiſſimis Imperatoribus denegatur, quod parciſſimi præſtiterunt? Honor ſolus eſt in illo uelut ſtipendio caſtitatis. Vt uittæ earum capiti decus faciunt, ita inſigne ducitur ſacerdotij uacare muneribus. Nudum quodãmodo nomen immunitatis requirũt, quoniam paupertate ac diſpendio tutæ ſunt. Itaq; amplius laudi earum tribuunt, qui aliquid rei detrahunt. Siquidem ſaluti publicę dicata uirginitas creſcit merito, cùm caret præmio. Abſint ab ærarij ueſtri puritate iſta compendia. Fiſcus bonorum principum non Sacerdotum damnis, ſed hoſtium ſpolijs augeatur. Vllum'ne lucrum
5 compenſat inuidia? Et quia auaritia in mores ueſtros non cadit, hoc miſeriores ſunt, quibus ſubſidia uetera decerpta ſunt. Etenim ſub Imperatoribus qui alieno abſtinent, qui reſiſtunt cupiditati, ad ſolam detrahitur amittentis iniuriam, quod deſiderium non mouet auferentis. Agros etiam uirginibus & miniſtris deficientium uoluntate legatos fiſcus retentat. Oro uos iuſtitiæ Sacerdotes, ut Vrbis ueſtræ ſacris reddatur priuata ſucceſſio. Dictent teſtamenta ſecuri, & ſciant ſub principibus non auaris ſtabile eſſe quod ſcripſerint. Delectet uos iſta felicitas generis humani. cœpit cauſæ huius exemplum ſo-
6 licitare morientes. Ergo Romanæ religiones ſub Romana iura nõ pertinẽt? Quod nomen accipiet ablatio facultatum, quas nulla lex, nullus caſus fecit caducas? Capiunt legata liberti, ſeruis teſtamentorum, iuxta cõmoda non negantur, tantum nobiles uirgines, & fatalium ſacrorum miniſtri excluduntur prædijs hæreditate quęſitis. Quid iuuat ſaluti publicæ caſtũ corpus dicare, & imperij æternitatem cœleſtibus fulcire præſidijs, armis ueſtris, aquilis ueſtris amicas applicare uirtutes, pro omnibus efficacia uota ſuſcipere, & ius cum omnibus non habere? Itaq; melior eſt ſeruitus quæ hominibus impenditur. Rempublicam lædimus, cui nunquam expedit ut ingrata ſit. Nemo me putet ſolam cauſam religionum tueri: ex huiuſmodi facinoribus orta ſunt cũcta Romani generis incõmoda. Honorauerat lex parentum Veſtales uirgines, ac miniſtros deorum, uictu modico, iuſtiſq; priuilegijs. Stetit muneris huius integritas uſq; ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem uilium baiulorum ſacræ caſtitatis alimenta uerterũt. Secuta eſt hoc factum fames publica, & ſpem prouinciarum omnium meſſis ægra decepit. Non ſunt hæc uitia terrarum. Nihil imputamus aſtris. Nec rubigo ſegetibus obfuit, nec auena fruges necauit, ſacrilegio annus exaruit. Neceſſe enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur. Certe ſi eſt huius mali aliquod exemplum, imputemus tantam famem uicibus annorum. Grauis hanc ſterilitatem aura conſtrinxit, ſylueſtribus arbuſtis uita producitur, & rurſus ad Dodonæas arbores plebis ruſticæ inopia cõuolauit. Quid tale prouinciæ pertulerũt, cùm religionum miniſtros honor publicus paſceret? Quando in

do in usum hominũ concussa quercus, quando uuluę sunt herbarum radices, quãdo alternos regionum defectus deseruit fœcunditas mutua, cum populo & uirginibus sacris cõmunis esset annona? Cõmendabat enim terrarum prouentus uictus Antistitũ, & remedium magis, quàm largitas erat. An dubium est, semper pro copia omniũ datũ, quod nunc inopia omnium uindicauit? Dicet aliquis sumptum publicum denegatum alienæ religionis impendijs. Absit à bonis principibus ista sententia, ut quod de cõmuni quibusdam tributũ est, in iure fisci esse uideatur. Nã cùm respublica de singulis cõstet: quod ab ea proficiscitur, fit rursus proprium singulorum. Omnia regitis: sed suum cuiq; seruatis, plusq; apud uos iustitia quàm licentia ualet. Cõsulite certe munificentiam uestram, an hæc publica uelit existimari quę in alios trãstuliſtis? Semel honori Vrbis delata compendia desinunt esse tribuentium: & quod à principio beneficium fuit, usu atq; ætate fit debitum. Inanem igitur metum diuino animo uestro tentat incutere, si quis asserit conscientiam uos habere præbentium, nisi detrahentium subieritis inuidiam. Faueant clementiæ uestræ sectarum omnium arcana præsidia: & hæc maxime, quę Maiores uestros aliquando iuuerunt, uos defendant, à nobis colantur. Eum religionum statũ petimus, qui diuo parenti culminis uestri seruauit imperium, qui fortunato principi legitimos suffecit hæredes. Spectat senior ille diuus ex arce syderea lachrymas Sacerdotum, & se culpatum putat, more uiolato, quem libenter ipse seruabat. Præstate etiã diuo fratri uestro alieni cõsilij correctionem, tegite factum quod Senatui displicuisse nescíuit. Siquidem constat ideo excusam legationem, ne ad eum iudicium publicum peruenirent. Pro æstimatione est temporum superiorum, ut non dubitetis abolere, quod probandum est principis non fuisse.

Diui Ambrosij ad Valentinianum Imperatorem, relationi Symmachi respondentis, aptissimisq; confutationibus eam refellentis. Epistola XXXI

A Mbrosius episcopus beatissimo principi, & clementissimo Imperatori Valentiniano Augusto. Cùm uir clarissimus Prefectus Vrbis Symmachus ad clementiam tuam retulisset, ut ara quæ de Vrbis Romæ curia sublata fuerat, redderetur loco, & tu Imperator, licet adhuc in minoris æui tyrocinio florentibus nouus annis, fidei tamen uirtute ueteranus obsecrata Gentilium non probares, eodem quo cõperi puncto libellum obtuli: quo licet comprehenderim quę suggestioni necessaria uiderentur, poposci tamen exemplũ mihi relationis dari. Itaq; non fidei tuæ ambiguus, sed prouidus cautionis, & pij certus examinis hoc sermone relationis assertioni respondeo: hoc unum petens, ut nõ uerborum elegantiam, sed uim rerũ expendendam putes. Aurea enim (sicut scriptura diuina docet) est lingua sapientium literatorũ, quæ phaleratis dotata sermonibus, & quodam splendentis eloquij uelut coloris precioſi corusco resultans, capit animorum oculos specie formosi, uisuq; perstringit. Sed aurũ hoc si diligentius manu tractes, foris precium, intus metallum est. Volue quæso, atq; excute sectam Gentilium: preciosa & grandia sonant, ueri effœta defendunt. Deum loquũtur, simulacrum adorant. Tria igitur in relatione sua uir clarissimus Prefectus Vrbis proposuit, quę ualida putauit. Quòd Roma ueteres, ut ait, suos cultus requirat, & quod Sacerdotibus suis uirginibusq; Vestalibus emolumenta tribuenda sint, & quod emolumentis Sacerdotum negatis, fames secuta publica sit. In prima propositione, flebili Roma questu sermonis illachrymat, ueteres, ut ait, cultus ceremoniarum requirens. Hęc sacra, inquit, Annibalem à mœnibus, à capitolio Senonas repulerũt. Itaq; dum sacrorum potentia prædicatur, infirmitas proditur. Ergo Annibal diu sacris insultauit Romanis, & dijs cõtra se dimicãtibus, usq; ad muros Vrbis uincendo peruenit. Cur se obsideri passi sunt, pro quibus deorum suorum arma pugnabant? Nam de Senonibus quid loquar, quos capitolij secreta penetrantes Romanæ reliquiæ nõ tulissent, nisi eos pauido anser strepitu prodidisset? En quales templa Romana præsules habent. Vbi tũc erat Iupiter? An in anſere loquebatur? Verùm quid negem sacrorum ritus militasse Romanis? Sed etiam Annibal eosdem deos colebat. Vtrum uolunt igitur, eligant. Si in Romanis uicerunt sacra, in Carthaginensibus ergo superata sunt. si in Chartaginensibus triumphata, nec Romanis utiq; profuerunt. Facessat igitur inuidiosa illa populi Romani querela. Non hæc Roma mandauit. Alijs illa eos interpellat uocibus. Quid me cassò quotidie

5 gregis innoxij sanguine cruentatis? Non in fibris pecudũ, sed in uiribus bellatorũ tro-
phæa uictoriæ sunt. Alijs ego disciplinis orbem subegi. Militabat Camillus, qui sublata
capitolio signa, cæsis Tarpeiæ rupis triumphatoribus reportauit: strauit uirtus, quos reli
gio non remouit. Quid de Attilio loquar, qui militiam etiã morti impendit? Africanus
nõ inter capitolij aras, sed inter Annibalis acies triumphum inuenit. Quid mihi ueterũ
6 exempla profertis? Odi ritus Neronum. Quid dicã bimestres Imperatores, & terminos
regum cum exordijs copulatos? Aut forte illud est nouum, Barbaros suis excellisse fi-
7 nibus? Nunquid etiam illi Christiani fuerunt, quorum miserabili nouoq; exemplo, alter
captiuus Imperator, sub altero captiuus orbis, fefellisse quę uictoriam promittebãt, suas
ceremonias prodiderunt? Nunquid & tunc nõ erat ara Victorię? Pœnitet lapsus, & ue
tusta canicies pudendi sanguinis traxit ruborem. Non erubesco cum toto orbe lõgæua
cõuerti. Verùm certe est, quia nulla ætas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus,
quæ emendare se nõ potest. Non annorum canicies est laudanda, sed morũ. Nullus pu-
dor est, ad meliora transire. Hoc solum habebam cõmune cum Barbaris, quia Deũ an-
tea nesciebam. Sacrificium uestrum ritus est bestiarum cruore respergi. Quod in mor-
tuis pecudibus quæritis Dei uoces? Venite & discite in terris cœlestem militiã. Hic ui-
uimus, & illic militamus. Cœli mysterium doceat me Deus ipse qui condidit, nõ homo
qui seipsum ignorauit. Cui magis de Deo quàm Deo credam? Quomodo possum uo-
bis credere qui fatemini uos ignorare quod colitis? Vno, inquit, itinere nõ potest per-
ueniri ad tam grande secretum. Quod uos ignoratis, id nos Dei uoce cognouimus. Et
quod uos suspicionibus quæritis, nos ex ipsa sapientia Dei & ueritate cõpertum habe-
mus. Nõ cõgruunt igitur uestra nobiscũ. Vos pacem dijs uestris ab Imperatoribus ob-
secratis, nos ipsis Imperatoribus à Christo pacem rogamus. Vos manuũ uestrarũ adora
tis opera, nos iniuriã ducimus, omne quod fieri potest, Deum putari. Non uult se Deus
in lapidibus coli. Deniq; etiam ipsi philosophi uestri ista riserũt. Quod si uos ideo Chri-
stum Deum negatis, quia illũ mortuum esse non creditis: (nescitis enim quod mors illa
carnis fuerit, nõ diuinitatis quæ fecit ut credentiũ iam nemo moriatur) quid uobis im-
prudentius, qui contumelioscè colitis, & honorificè derogatis? Vestrum enim Deum li-
gnum putatis. O cõtumelioſa reuerentia, Christum mori potuisse nõ creditis. O hono-
rifica peruicacia. Sed uetera, inquit, reddenda sunt altaria simulacris, ornamenta delu-
bris. Reposcantur hæc à cõsorte superstitionis, Christianus Imperator arã solius Christi
didicit honorare. Quid manus pias & ora fidelia ministeriũ suis cogunt sacrilegijs exhi
bere? Vos Imperatoris nostri Christũ resultet, & illum solũ quem sentit loquatur: quia
Prouerb. 21 cor regis in manu Dei. Nunquid Imperator Gentilis aram Christo leuauit? Dũ ea quæ
fuerunt reposcũt, exemplo sui admonent quantũ Christiani Imperatores religioni quã
sequuntur debeant deferre reuerentiæ, quando Gentiles superstitionibus suis omnia
8 detulerunt. Dudum cœpimus, & iã sequantur excluſos. Nos sanguine gloriamur, illos
dispendiũ mouet. Nos hæc uictoriæ loco ducimus, illi iniuriam putant. Nunquã nobis
amplius cõtulerunt, quàm cùm uerberari Christianos atq; proscribi ac necari iuberent.
Præmium fecit religio, quod perfidia putabat esse supplicium. Videte magnanimos. Per
iniurias, per inopiã, per supplicium nos credimus, illi ceremonias suas sine quęstu ma-
nere posse nõ credunt. Habeant, inquit, Vestales uirgines immunitatem suã. Dicãt hoc
qui nesciũt credere, quod posset esse gratuita uirginitas: prouocent lucris, qui diffidunt
9 uirtutibus. Quot tamen illis uirgines præmia promissa fecerunt? Vix septẽ Vestales ca
10 piuntur puellę. En totus numerus, quem insulæ uittati capitis, purpuratarũ uestiũ muri-
ces, põpa lecticæ ministrorũ circunfusa comitatu, priuilegia maxima, lucra ingẽtia, præ-
scripta denique pudicitiæ tempora coegerũt. Attollant mentis & corporis oculos, uideãt
11 plebem pudoris, populũ integritatis, cõcilium uirginitatis. Non uittę capiti decus, sed
ignobile uelamen, usui nobile castitatis nõ exquisita sed abdicata lenocinia pulchritu-
dinis: nõ illa purpurarum insignia, nõ luxus deliciarũ, sed usus ieiuniorum: non priuile-
gia, nõ lucra: omnia postremo talia, ut reuocari studia putes, dum exercẽtur officia. Sed
dum exercetur officium, studium prouocatur. Suis castitas cumulatur dispendijs. Non
est uirginitas quæ precio emitur, nõ uirtutis studio possidetur. Non est integritas quæ-
cunq; tanquam in auctione nummario ad tempus solicitatur cõpendio. Prima castitatis

uictoria

uictoria est, facultatũ cupiditates uincere: quia lucri studium, tentamẽtum pudoris est. Ponamus tamen subsidia largitatum cõferenda uirginibus. Quæ Christianis munera redundabunt, quod tantas opes sufficiet ærarium? Aut si arbitrantur solis Vestalibus conferendum, nõ pudet, ut qui totum sibi sub Imperatoribus gentilibus uindicarunt, ij- dem sub principibus Christianis non putent nobis sortem debere esse cõmunem? Sacerdotibus quoq; suis & ministris queruntur alimenta publica non præberi. Quantus hinc uerborum tumultus increpuit? At contra, nobis etiam priuatæ successionis emolumenta recentibus legibus denegantur, & nemo conqueritur. Non enim putamus iniuriam, quia dispendium non dolemus. Si priuilegium quærat Sacerdos, ut onus curiale declinet, patria atq; auita & omnium facultatũ possessione cedẽdum est. Quomodo hanc Gentiles si haberent ingrauarẽt querelã, quod Sacerdos ferias ministerij sui emat totius patrimonij sui damno, & priuatus uniuersæ cõmoditatis dispendio usum publici mercetur obsequij, prætendens cõmunis salutis excubias, domesticæ inopiæ se mercede solatur, quia ministeriũ nõ uendidit, sed gratiam cõparauit. Conferte causas. Vos excusare uultis decurionem, cum ecclesiæ excusare non liceat sacerdotem. Scribuntur testamenta templorum ministris, nullus excipitur prophanus, nullus ultimæ conditionis, nullus prodigus uerecundiæ: soli ex omnibus clerico cõmune ius clauditur, à quo solo pro omnibus uotum commune suscipitur, officium cõmune defertur: nulla legata uel grauium uiduarũ, nulla donatio. Et ubi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio mulcta præscribitur. Quod sacerdotibus phani legauerit Christiana uidua, ualet: quod ministris Dei, nõ ualet? Quod ego nõ ut querar, sed ut sciãt quid non querar, cõprehendi. Malo enim nos pecunia minores esse, quàm gratia. Sed referũt, ea quæ uel donata uel relicta sunt ecclesiæ, nõ esse temerata. Dicant & ipsi quis tẽplis dona detraxerit, quod factũ est Christianis. Quæ si facta essent Gentilibus, redderetur potius quàm inferretur iniuria. Nunccine demũ iustitia prætenditur, æquitas postulatur? Vbi tũc erat ista sententia, cùm direptis Christianorũ omnium facultatibus, ipsos uitales anhelitus inuiderent, & nullis usquam negata defunctis inhiberent supremæ cõmercia sepulturæ? Quos Gentiles præcipitarunt, maria reddiderunt. Fidei ista uictoria est. quod ipsi iam facta maiorũ carpunt suorũ: sed quæ (malum) ratio, ut eorum munera petãt, quorũ gesta cõdemnant? Nemo tamen donaria delubris, & legata aruspicibus denegauit: sola sublata sunt prædia, quia nõ religiosè utebantur ijs quæ religionis iure defendebant. Qui nostro utuntur exemplo, cur nõ utebantur officio? Nihil Ecclesia sibi nisi fidem possidet. Hos reditus præbet, hos fructus. Possessio Ecclesiæ, sumptus est egenorum. Numerent quos redemerint templa captiuos, quæ cõtulerint alimẽta pauperibus, quibus exulibus uiuendi subsidia ministrauerint. Prædia igitur intercepta, nõ iura sunt. En quod factum, quod triste piare nefas. Fames, ut aiunt, publica uindicauit: quia usui omnium proficere cœpit, quod proficiebat cõmodis sacerdotum. Propterea ergo detractis, ut aiunt, arbusta exuta corticibus, succo miserabili deficientium ora lambebant. Propterea Chaoniam frugem glande mutantes, rursus in pecudum pastus, & ad infœlicis uictus alimenta reuocati, concussa quercu famem in syluis miseram solamur. Noua uidelicet prodigia terrarum, quæ nunquam antè acciderant, cùm superstitio gentilis toto orbe ferueret. Reuera quando antè uacuis auenis seges fallax auari uota lusit agricolæ, & spem rusticæ plebis quæsita sulcis frugis herba destituit. Et unde Græcis oracula habitæ suæ quercus, nisi quia remedium syluestris alimoniæ cœlestis religionis donum putarunt? Talia enim suorum munera credunt deorum. Quis Dodonæas arbores nisi gentium populus adorauit, cùm pabulum triste sacri nemoris honore donaret? Non est uerisimile quod indignantes eorum dij id pro pœna intulerunt, quod lolebant placati conferre pro munere. Quæ autem æquitas, ut paucis Sacerdotibus dolentes uictum negatũ, ipsi omnibus denegarent? cur inclementior esset uindicta quàm culpa? Non est igitur idonea quæ tantam ægritudinem mundi fallentis causa constrinxerit, ut uirentibus segetibus subita spes anni adulta moreretur. Et certe antè plurimos annos templorum iura toto orbe sublata sunt. Modó ne demum dijs Gentilium uenit in mentem suas iniurias ultum ire? Propterea necassueto cursu Nilus intumuit, ut urbicorum Sacerdotum dispendia uindicaret, qui non uindicauit suorum?

12 13 14 15 16 17 18

Esto tamen si superiore anno deorum suorum iniurias uindicatas putant, cur præsenti anno cõtemptui fuere? Iam enim nec herbarũ uulsis radicibus rusticana plebs pascitur,
19 nec baccæ syluestris explorat solatia, nec cibum de sentibus rapit, sed operum lęta fœli-
20 cium dũ messes suas & ipsa miratur, expleuit uoti satietate ieiuniũ: usurarios nobis reddidit terra prouentus. Quis ergo tam nouus humanis usibus, ut uices stupeat annorũ? & tamen etiã superiore anno plerasq; nouimus prouincias redũdasse frugibus. De Gallis quid loquar solito ditioribus? Frumentũ Pannoniæ quod non seuerant uendiderũt, & fœcunda Rhetia fertilitatis suæ nouit inuidiã. Nam quę solebat tutior esse ieiunio, fœcunditate hostem in se excitauit. Liguriam Venetiasq; autumni frumenta pauerũt. Ergo nec ille sacrilegio annus exaruit, & iste fidei fructibus annus efflоruit. Negent etiam quod largo fœtu uineæ redundauerint. Itaq; & messem fœneratam recepimus, & liberalioris uindemiæ beneficia possidemus. Postremus supereſt & maximus locus: utrũ ea quę uobis profuerint Imperatores restituere subsidia debeatis. Ait enim, uos defendãt, à nobis colantur. Hoc est fidelissimi principes quod ferre nõ possumus, quia exprobrãt nobis uestro se nomine diis suis supplicare, & uobis nõ mandantibus sacrilegiũ immane cõmittunt, dissimulationem pro consensu interpretantes. Sibi habeant præsidia sua: suos si possunt illa defendant. Nam si ijs à quibus colũtur, auxilio esse nõ possunt, quomodo possunt uos defendere, à quibus nõ coluntur? Sed maiorum, inquit, seruãdus est
21 ritus. Quid quòd omnia postea in melius profecerunt? Mundus ipse qui uel primũ coactis elementorum per inane seminibus tenero orbe concreuerat, uel cõfuso adhuc indigesti operis caligabat horrore, non ne postea distincto cœli, maris, terrarumq; discri-
22 mine, rerum formas quibus speciosus uidetur, accepit? Exutę humentibus tenebris nouum terræ stupuere solem. Dies in exordio non refulget, sed in processu temporis incremento luminis micat, & caloris exęstuat. Luna ipsa qua propheticis oraculis species ecclesiæ figuratur, cùm primum resurgens in menstruas reparatur ætates, tenebris noctis abscondit ur, paulatimq; cornua sua complens, uel è regione solis absoluens, clari
23 splendore fulgoris irrutilat. Exerceri in fructus terræ antè nesciebant, post ubi imperare aruis solicitus cœpit agricola, & informe solum uestire uinetis, syluestres animos domesticis mollitæ cultibus exuerunt. Anni ipsius ætas prima, quæ nos usu parili coloraуit, nutu gignentium, sed in processu lapsuris floribus uernat, postremis adolescit fructibus. Nos quoq; æui rudes sensus habemus infantiæ, sed mutati in annos ingenij rudimenta deponimus. Dicantur igitur in suis omnia manere debuisse principijs, mundum tenebris obductũ, quia splendore solis illuxerit, displicere. Et quanto gratius est animi tenebras depulisse quàm corporis, fideiq; iubar emicuisse quàm solis? Ergo & mũdi sicut omniũ rerum, primęua uiam mutarũt, ut uenerabilis canę fidei sequeretur senectus. Quos hoc mouet, reprehendant messem, quia sera fœcunditas est: reprehendant uindemiam, quia in occasu anni est: reprehendãt oliuam, quia postremus est fructus. Ergo & messis nostra fides animorũ in ecclesia, gratia meritorũ uindemia est, quæ ab ortu mũdi uirebat in sanctis, sed postrema ætate se diffudit in populos, ut aduerterent omnes non rudibus animis irrepsisse fidem Christi. Nulla enim sine aduersario corona uictoriæ: sed exposa ea opinione quæ antè cõualuit, id quod erat uerũ, iure prælatũ. Si ritus ueteres delectabant, cur in alienos ritus eadem Roma succesſit? Omitto abscondito precio humum, & pastorales casas auro degeneri renitẽtes. Quid (ut de ipso respondeam quod queruntur) captarũ simulacra urbium, uictosq; deos, & peregrinos ritus sacrorũ, alienę
24 superstitionis æmuli receperunt? Vnde igitur exemplũ, quod currus suos simulato Al-
25 monis in flumine lauat Cybele? Vnde Phrygij uates, & semper inuisa Romanis non æquæ Carthaginis numina? Quam cœlestem Aphri, Mitram Persæ, plerique Venerem colunt, pro diuersitate nominis, nõ pro numinis uarietate. Sic deam esse & uictoriã crediderunt, quæ utiq; munus est, non potestas. donatur, non dominatur: legionũ gratia, non religionum potentia. Magna igitur dea, quam militũ multitudo sibi uindicat, uel præliorum donat euentus. Huius aram strui in urbis Romæ curia petũt, hoc est, quò plures cõueniunt Christiani. Omnibus in templis are, ara etiã in templo uictoriarum, quando numero delectantur: sacrificia sua ubiq; cõcelebrant. Quid est nisi insultare fidei, unius aræ sacrificium uindicare? Ferendu mne istud, ut Gentilis sacrificet, & Christianus interſit?

terſit? Hauriant omnes, inquit, hauriant uel inuiti fumum oculis, ſymphoniam auribus, cinerẽ faucibus, thus naribus, & auerſantiũ licet ora excitata ſocis noſtris fauilla reſpergat. Non illis ſatis ſunt lauacra, nõ porticus, non plateæ occupatæ ſimulacris? Etiam ne in cõmuni illo concilio non erit cõmunis conditio? Obſtringetur pia Senatus portio obteſtantiũ uocibus, adiurantium ſacramentis? Si refutet, uidebitur mendaciũ prodere: ſi acquieſcat, ſacrilegiũ confiteri. Vbi, inquit, in leges ueſtras & uerba iurabimus? Ergo mens ueſtra quę legibus tenetur incluſa, ceremonijs gentium ſuffragium colligit, fidem ſtringit? Iam nõ ſolum præſentium, ſed abſentium etiam, & quod eſt amplius Imperatores fides ueſtra pulſatur. Vos enim cogitis ſi iubetis. Conſtantius auguſtæ memoriæ nondũ ſacris initiatus myſterijs cõtaminari ſe putauit ſi aram illam uideret. Iuſſit auferri, nõ iuſſit reponi. Illud authoritatem facti habet, hoc præcepti nõ habet. Nemo ſibi de abſentia blandiatur. Præſentior eſt qui ſe animis inſerit, quàm qui oculis proteſtatur. Plus enim eſt mente cõnecti, quàm corpore copulari. Vos Senatus cogẽdi cõſilij prę-
ſules habet, uobis coit, uobis conſcientiã ſuam, nõ dijs gentium præſtat, uos liberis ſuis
nõ tamen fidei ſuæ præfert. Hæc eſt charitas expetenda, hæc eſt charitas maior imperio, 26
ſi fides tuta ſit, quę ſeruat imperiũ. Sed fortaſſe aliquem moueat ita fideliſſimum Principem deſtitutũ: proinde quaſi meritorũ preciũ caducis eſtimetur pręſentium. Quis enim ſapiens non in orbe quodam atq; circuitu locata humanarũ rerum nouit negocia, quia nõ eoſdem ſemper ſucceſſus habent: ſed uariant ſtatus, & mutant uices? Quem beatiorem Cneo Pompeio Romana templa miſerũt? At is cùm tribus triumphis terrarũ cinxiſſet orbem, pulſus acie, bello profugus, & ſui terminis exul imperij Conopei manu 27
ſpadonis occubuit. Quem nobiliorem Cyro Perſarũ totius Orientis terrę regem dederunt? Is quoq; cùm principes potentiſſimos aduerſantes uiciſſet, victos reſeruaſſet, mu-
liebribus armis ſuſus interijt. Et ille rex qui ſuperatos etiã conſeſſus honore donauerat, 28
execto capite, & intra utrem plenũ cruoris ſatiari iuſſus incluſo, fœmineis imperijs ludibrio fuit. Adeò in iſtius uitę curriculo non paria paribus, ſed longè diuerſa referuntur. Quem etiã magis ſacrificijs deditũ quàm Carthaginienſiũ ducem Hamilcarem reperimus? qui cùm toto prelij tempore inter acies poſitus dimicantes ſacrificiũ faceret, ubi partẽ ſuorũ victã eſſe cognouit, in ipſos quos adolebat ſe præcipitauit ignes, ut eos uel cruore ſuo reſtingueret, quos ſibi nihil profuiſſe cognouerat. Nam de Iuliano quid loquar? qui cùm reſponſis aruſpicum male credulus eſſet, ademit ſibi ſubſidia reuertendi. Ergo in cõmuni caſu non eſt cõmunis offenſa. Nemínem etenim promiſſa noſtra luſerunt. Reſpõdi laceſſentibus tanquã nõ laceſſitus. Refellendæ etenim relationis, nõ ex-
ponendæ ſuperſtitionis mihi ſtudiũ fuit. Te tamẽ Imperator ipſa eorũ relatio faciat cau- 29
tiorem. Nam cùm de ſuperioribus principibus texuiſſet, quia prior eorũ numerus ceremonias patrũ coluit, recentior nõ remouit, addidiſſet etiam, ſi exemplũ religio ueterum non facit, faciat diſſimulatio proximorũ: euidenter docuit quod & fidei tuæ debeas, ut gentilitij ritus nõ ſequaris exẽplũ: & pietati, ut fratris ſtatuta nõ uioles. Si enim pro ſuis quantaxat partibus eorũ diſſimulationẽ principũ prædicarũt, qui cùm eſſent Chriſtiani, decreta tamen Gentiliũ minimè remouerũt, quanto magis amori debẽt deferre fraterno, ut qui diſſimulare deberes, etiãſi quid forſitan nõ probares, ne fraternis derogares ſtatutis, & nũc teneas quod & fidei tuę, & germanitatis neceſſitudini iudicas cõuenire.

Diui Ambroſij ad Valentinianum Imperatorem, recuſantis certare cum Auxentio Arriano in conſiſtorio Imperatore iudicaturo, ex eo quòd in cauſa fidei Epiſcopi delaicis in Eccleſia, & non laici de Epiſcopis in conſiſtorio debeant iudicare. Epiſtola XXXII

C Lementiſſimo Imperatori & beatiſſimo Auguſto Valẽtiniano Ambroſius Epiſcopus. Dalmatius me tribunus & notarius mandato, ut allegauit, clementiæ conuenit tuæ, poſtulans ut & ipſe iudices legerem, ſicut elegiſſet Auxẽtius. Nec tamẽ expreſſit eorũ nomina qui fuerãt poſtulati: ſed id addidit, quod in cõſiſtorio eſſet futura certatio, arbitro pietatis iudicio tuæ. Cui rei reſpõdeo, ut arbitror, cõpetenter. Nec quiſquã cõtumacem iudicare me debet, cùm hoc aſſerã quod auguſtę memoriæ pater tuus nõ ſolum ſermone reſpondit, ſed etiam legibus ſuis ſanxit, in cauſa fidei uel eccleſiaſtici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar ſit, nec

sit, nec iure dissimilis: Hæc enim uerba rescripti sunt: hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus uoluit iudicare. Quinetiam si aliàs quoq; argueretur Episcopus, & morũ esset examinanda causa, etiam hanc uoluit ad episcopale iudicium pertinere. Quis igitur contumaciter respondit clementiæ tuæ? Ille qui te patri similem esse desiderat, an qui uult esse dissimilem? Nisi forte uilis quibusdã tanti Imperatoris existimatur sententia, cuius & fides confessionis constantia cõprobata est, & sapientia melioratę reipublicæ profecti-
1 bus prædicatur. Quãdo audisti clementissime Imperator in causa fidei laicos de Episcopo iudicasse? Ita ergo quadam adulatione curuamur, ut sacerdotalis iuris simus immemores, & quod Deus donauit mihi, hoc ipse alijs putem esse credendũ? Si docẽdus est Episcopus à laico, quid sequetur? Laicus ergo disputet, & Episcopus audiat, Episcopus discat à laico. At certè si uel scripturarum seriem diuinarũ, uel uetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in causa fidei, in causa inquã, fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, nõ Imperatores de Episcopis iudicare? Eris Deo fauente etiã senectutis maturitate prouectior, & tunc de hoc censebis, qualis ille Episcopus sit qui laicis ius sacerdotale substernit. Pater tuus Deo fauente uir maturioris æui dicebat: Non est meum iudicare inter Episcopos, tua nunc dicit clementia, Ego debeo iudicare? Et ille baptizatus in Christo inhabilem se ponderi tanti putabat esse iudicij: clementia tua, cui adhuc emerenda baptismatis sacramenta seruantur, arrogat de fide iudicium, cum fidei ipsius sacramenta nõ nouerit? Quales autem elegerit iudices, possumus existimationi relinquere, quando eorũ nomina timet prodere. Veniãt plane si qui sunt ad ecclesiam, audiant cum populo: non ut quisquam iudex resideat, sed unusquisq; de suo affectu habeat examen, eligat quem sequatur. Agitur de istius Ecclesiæ Sacerdote: si audierit illũ populus, & putauerit melius disputare, sequatur fidem eius: nõ inuidebo. Omitto quia iam ipse populus iudicauit: taceo quia eum quem habet, de patre tuæ clementiæ poltulauit: taceo quia pater pietatis tuæ quietem futurã spopondit, si electus susciperet sacerdotium. Hanc fidem secutus sum promissorum. Quod si de aliquorum peregrinorũ assentatione se iactat, ibi sit Episcopus, unde sunt ij qui eum episcopatus putant nomine esse donandum. Nam ego nec Episcopũ noui, nec unde sit scio. Vbi illud constituimus Imperator, quod iam ipse tuum iudicium declarasti, imò etiam dedisti leges, ne cui esset liberum aliud iudicare? Quod cùm præscripsisti alijs, prę scripsisti & tibi. Leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat. Vi sne igitur experiar, ut incipiãt ij qui iudices eliguntur, aut aduersus tuam uenire sententiã, aut certe excusare quod Imperatoris tam seuero, & tam districto imperio non potuerint obuiare? Sed hoc contumacis non modesti est Sacerdotis. Ecce Imperator legem tuam iam ex parte rescindis, sed utinam non ex parte, sed in uniuersum. Legem enim tuam nollem esse supra Dei legem. Dei lex nos docuit quid sequamur, humanæ leges hoc docere nõ possunt. Extorquere solent timi-
2 dis cõmutationem, fidem inspirare non possunt. Quis erit igitur ille qui cùm legat per tot prouincias uno momento esse mandatum ut quicunq; obuiauerit Imperatori, feria-
3 tur gladio: quicunq; Dei templum non tradiderit, protinus occidatur? Quis, inquã, est qui possit uel unus, uel inter paucos dicere Imperatori, lex tua mihi nõ probatur? Non permittitur hoc dicere Sacerdotibus, permittitur laicis? Et iudicabit de fide, qui aut gratiam sperat, aut metuit offensam? Deinde ipse cõmittam ut eligam iudices laicos, qui cùm tenuerint fidei ueritatem, aut proscribantur, aut necentur, quod lex de fide lata de-
4 cernit? Ego igitur aut præuaricationi offeram homines, aut pœnæ? Non tanti est Ambrosius, ut propter se deijciat Sacerdotium. Non tanti est unius uita, quanti est dignitas omnium Sacerdotum, quorum de consilio ista dictaui, intimantibus ne forte etiam Gentilis esset aliquis aut Iudæus qui ab Auxentio esset electus, quibus traderemus de Christo triumphum, si de Christo iudicium cõmitteremus. Quid illos aliud, nisi Christi iniuriam audire delectat? Quid illis aliud potest placere, nisi (quod absit) ut Christi diuinitas denegetur? Cum ijs plane bene conuenit Arriano, qui creaturam Christum dicit, quod etiam Gentiles ac Iudæi promptissimè confitentur. Hoc scriptum est in Ariminensi synodo: meritoq; concilium illud exhorreo, sequens tractatum con-
Roma. 8 cilij Niceni, à quo me nec mors nec gladius poterit separare. Quam fidem etiam parens clementię tuæ Theodosius beatissimus Imperator & sequitur, & probauit. Hãc fidem

dem Galliæ tenent, hanc Hispaniæ, & cum pia diuini spiritus confessione custodiunt. Si tractandum est, tractare in Ecclesia didici: quod maiores fecerunt mei. Si conferendum de fide, Sacerdotum debet esse ista collatio, sicut factum est sub Constantino augustæ memoriæ principe, qui nullas leges antè præmisit, sed liberum dedit iudicium Sacerdotibus. Factum est etiam sub Constantio Augustæ memoriæ Imperatore paternæ dignitatis hærede. Sed quod bene cœpit, aliter consummatum est. Nam episcopi sinceram primo scripserant fidem: sed dum uolunt quidam de fide intra palatium iudicare, id egerunt, ut circunscriptionibus illa episcoporum iudicia mutarentur. Qui tamen inflexam statim reuocauere sententiam. Et certe maior numerus Arimini, Niceni concilij fidem probauit, Arriana decreta damnauit. Si ad synodũ prouocat Auxentius, ut de fide disputet: licet non sit necesse propter unum tot episcopos fatigari, qui etiam si Angelus de cœlo esset, paci ecclesiarũ non deberet præferri: cùm audiero synodũ congregari, & ipse non deero. Tolle igitur legem, si uis esse certamen. Venissem Imperator ad consistorium clementiæ tuæ ut hæc coram suggererem, si me uel episcopi uel populus permisissent, dicentes de fide in ecclesia coram populo debere tractari. Atq; utinam Imperator non denunciasses, ut quò uellem pergerem. Quotidie prodibam, nemo me asseruabat. Debuisti me quò uolueras destinare, quem ipse omnibus offerebam. Nunc mihi à sacerdotibus dicitur: Non multum interest, utrum uolens relinquas, an tradas altare Christi. Cùm enim reliqueris, trades. Atq; utinam liquido mihi pateret quod Arrianis ecclesia minime traderetur: spõte me offerrem tuæ pietatis arbitrio. Sed si ego solus interstrepo, cur etiam de alijs omnibus inuadendis ecclesijs est præceptum? Vtinã confirmetur ut ecclesijs nullus molestus sit: opto ut de me, qualis uidetur, sententia proferatur. Dignanter igitur Imperator accipe quod ad consistorium uenire non potui. Ego in consistorio nisi pro te stare non didici: & intra palatium certare non possum, qui palatij secreta nec quæro, nec noui. Ego Ambrosius Episcopus hunc libellum obtuli clementissimo Imperatori, & beatissimo Augusto Valentiniano.

Diui Ambrosij in Auxentium de basilicis tradendis inuehentis, suosq; ad constantiam atq; tolerantiam exhortantis, Oratio.

IDEO uos præter solitum subitò esse turbatos, atq; asseruantes mei. Miror quid hoc sit, nisi fortè quia per tribunos me uidistis aut audistis Imperiali mandato esse conuentum ut quo uellem abirem hinc, & si qui uellẽt, sequendi potestatem haberent. Metuistis ergo ne ecclesiam desererem, & dum saluti meæ timeo, uos relinquerem? Sed quid & ipse mandauerim, potuistis aduertere: desertæ ecclesiæ mihi uoluntatem subesse non posse, quia plus dominũ mundi, quàm seculi huius Imperatorem timerem. Sane si me uis aliqua abduceret ab Ecclesia, carnem meam exturbari posse non mentem. Paratum me esse ut si ille faceret quod solet esse regiæ potestatis, ego subirem quod Sacerdotis esse consueuit. Quid ergo turbamini? Volens nunquam uos deseram, coactus repugnare nõ noui. Dolere potero, potero flere, potero gemere: aduersus arma, milites, Gotthos quoq;, lachrymę meæ arma sunt. Talia enim munimẽta sunt Sacerdotis. Aliter nec debeo nec possum resistere. Fugere autem & relinquere Ecclesiam non soleo, ne quis grauioris pœnæ metu factum interpretetur. Scitis & uos ipsi quòd Imperatoribus soleam deferre, non cedere: supplicijs me libẽter offerre, nec metuere quæ parantur. Vtinam essem securus quod Ecclesia hæreticis minimè traderetur: ad palatium Imperatoris irem libenter, si hoc congrueret Sacerdotis officio, ut in palatio magis certarem quàm in Ecclesia. Sed in consistorio non reus solet Christus esse, sed iudex. Causam fidei in Ecclesia agendam quis abnuat? Si quis cõfidit, huc ueniat. Inclinatum iam uel Imperatoris iudicium, quod lata lege patefecit, quo impugnat fidem, uel sperata ambientium quorundam studia non requirat. Non committo ut quisquam uendat iniuriam Christi. Circunfusi milites, armorum strepitus, quibus uallata est Ecclesia, fidem non terrent meam, sed mentem exagitant: ne dum me tenetis, pernicioſum aliquid uestræ oboriatur saluti. Ego enim iam didici non timere, sed uobis timere plus cœpi. Sinite quæso uestrum Sacerdotem congredi, habemus aduersarium qui lacessit. Aduersarius enim noster diabolus, sicut Leo rugiens circuit quærens quem deuoret, ut Apostolus dixit. Accepit sine dubio, accepit (non fallimur,

1. Petri 5

fallimur,ſed admonemur) tentandi huiuſmodi poteſtatem,ne forte corporis mei uulne
ribus paſſim à fidei intentione reuocari. Legitis & uos quia multis alijs tentauit ſanctũ
Iob 1.& 2 Iob diabolus:ad poſtremum poteſtatem huiuſmodi petijt,& accepit,ut tentaret corpus
eius:quod perfudit ulceribus. Cùm eſſet propoſitum ut eccleſiæ uaſa iam traderemus,
hoc reſponſi reddidi:Me,ſi de meis aliquid poſceretur,aut fundus, aut domus, aut au-
rum,aut argentum,id quod mei iuris eſſet,libenter offerre: templo Dei nihil poſſe de-
cerpere:nec tradere illud quod cuſtodiendũ non tradendum acceperim. Deinde con-
ſulere me etiã Imperatoris ſaluti,quia nec mihi expediret tradere,nec illi accipere. Acci
piat enim uocem liberi Sacerdotis,ſi uult ſibi eſſe conſultum, recedat à Chriſti iniuria.
Hæc plena humilitatis ſunt,& (ut arbitror) plena affectus eius quem Imperatori de-
Epheſ.6 bet Sacerdos. Sed quia lucta nobis eſt non ſolum aduerſus carnem & ſanguinem, ſed
etiã (quod grauius eſt) aduerſus ſpiritualia nequitiæ, quæ ſunt in cœleſtibus, tentator
ille diabolus per miniſtros ſuos certamen auget,uulneribus corporis mei experiẽdum
arbitratur.Scio fratres uulnera hæc quæ pro Chriſto excipimus, non eſſe uulnera qui-
bus uita amittitur,ſed propagatur.Sinite quæſo eſſe certamen,ſpectatores uos eſſe de-
cet.Conſiderate quia ſi quem habet ciuitas uel athletam, uel alterius nobilis artis peri-
tũ,optat offerre certamini. Cur in maioribus rebus repudiatis, quod uel in minoribus
uelle cõſueſtis? Non metuit arma,nõ Barbaros,qui mortem non timet,qui nulla carnis
uoluptate retinetur.Certe ſi dominus huic nos certamini deputauit, fruſtra peruigiles
tot noctibus & diebus cuſtodias exhibetis. Implebitur Chriſti uoluntas. Omnipotens
enim noſter eſt dominus Ieſus.hæc eſt fides noſtra.Et ideo quod fieri mandat, implebi-
tur: nec conuenit nos diuinæ obuiare ſententiæ. Audiſtis quod hodie lectum ſit:Pul-
lum ſibi aſinæ Saluator per Apoſtolos iuſſit adduci,mandauitq; ut ſi quis reſiſteret, di-
Lucæ 19 ceretur:Dominus operam eius deſiderat. Quid ſi & nunc pullũ iſtum aſinę,hoc eſt eius
animalis quod grauem ſarcinã portare conſueuit, ſicut eſt humana cõditio, cui dicitur:
Matth. 11 Venite ad me omnes qui laboratis,& onerati eſtis,& ego uos reficiã, tollite iugũ meũ,
quia leue eſt:quid ſi inquã,pullum iſtum ad ſe modo iuſſit adduci,miſſis Apoſtolis, illis
qui iam exuti corpore incõprehenſibilem oculis noſtris Angelorum ſpeciem gerunt?
Non'ne ſi ab aliquo reſiſtatur,dicent:Dominus operã eius deſiderat? Si reſiſtat uel uitæ
huius cupiditas,ſi reſiſtat caro & ſanguis,ſi reſiſtat cõuerſatio corporalis, quia aliquib.
Philip. 1 forſitã grati uidemur:ſed qui nos hic diligit, multo amplius diliget ſi ſinat fieri hoſtiam
Chriſti:quia diſſolui,& cum Chriſto eſſe,multo melius,& ſi manere in carne, magis ne-
ceſſarium propter uos. Nihil eſt ergo quod uereamini fratres dilectiſſimi. Scio enim
quia quicquid paſſus fuero, pro Chriſto patiar. Et legi quod eos timere non debeam
Matth. 10 qui poſſunt carnem occidere. Et audiui dicentem: Qui perdiderit animam ſuam pro-
pter me,inueniet eam. Ergo ſi uult dominus, certum eſt quod nullus obſiſtat. Quod ſi
adhuc noſtra differt certamina, quid uereminì? Seruum Chriſti non cuſtodia corpora-
lis,ſed domini prouidentia ſepire conſueuit. Turbati eſtis quia apertas reperiſtis gemi-
nas fores,quas captus oculis quidam dum hoſpitium proprium repetit,patefeciſſe me-
moratur.In quo cognoſcite, quòd nihil ſuffragetur humana cuſtodia.Ecce unus qui ui
dendi munus amiſit, ſoluit ueſtra uniuerſa munimina, & cuſtodias luſit. Dominus au-
tem ſuæ miſericordiæ cuſtodiam non amiſit.Non'ne ante biduum,ut meminiſtis, etiam
illud repertum eſt,quod à parte læua baſilicæ ingreſſus quidam peruius fuit,quem puta
batis clauſum eſſe atq; munitum? Sepſerunt nempe armati baſilicam, explorabant hos
2 atq; illos aditus.cęcitate perfuſi ſunt,ut quod apertum erat.uidere non poſſent.itaq; per
plurimas noctes quod apertum fuerit,non ignoratis. Deſinite ergo ſolicitari: quia hoc
erit quod Chriſtus iubet,& hoc eſſe expedit.Denicq; exempla uobis legis proferã. He-
4.Reg.6 liſæus quærebatur à rege Syriæ. miſſus erat exercitus qui eum caperet. circumuallatus
erat undicq;.cœpit timere eius ſeruulus,quia ſeruulus erat,hoc eſt,non erat liberæ men-
tis, & liberę poteſtatis.Petiuit aperiri eius oculos ſanctus Propheta, & ait: Reſpice, &
uidè quanto plures ſint pro nobis, quàm contra nos. Et reſpexit, & uidit Angelorum
milia. Aduertitis igitur quod ſeruulos Chriſti ij magis cuſtodiant qui non uidentur,
quàm qui uidentur. Sed & illi ſi cuſtodiunt, ueſtris cuſtodiunt orationibus aduo-
cati. Legiſtis nempe eoſipſos qui Heliſæum quærebant, ingreſſos eſſe Samariam ad
eum ipſum

eum ipsum quem capere gestiebant, cui non solum non potuerunt nocere, sed ipsius ad uersus quem uenerāt, intercessione seruati sunt. Petrus quoq; Apostolus utriusq; rei uobis edit exemplum. Nam ubi eum Herodes quæsiuit & cepit, recepit in carcerem. Non enim recesserat dei seruulus, sed steterat timoris ignarus. Orabat pro eo Ecclesia, sed Apostolus in carcere quiescebat, quod est indicium non timentis. Missus est angelus qui dormientem excitaret, per quem Petrus productus è carcere, mortem ad tempus euasit. Idem Petrus postea uicto Simone cùm præcepta dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitauit animos Gentiliū: quibus eum quærentibus, Christianæ animæ deprecatæ sunt ut paulisper cederet. Et quamuis esset cupidus passionis, tamen contēplatione populi precātis inflexus est. Rogabatur enim ut ad instituendū & cōfirmandū populū se reseruaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit, & uidēs sibi in porta Christū occurrere, urbēq; ingredi, ait: Domine, quò uadis? Respondit Christus: Venio Romam iterū crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem diuinum pertinere respōsum. Christus enim non poterat iterū crucifigi, qui carnē passione susceptæ mortis exuerat. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autē uiuit, uiuit deo. Intellexit ergo Petrus quòd iterū Christus crucifigendus esset in seruulo. Itaq; spōte remeauit, interrogantibus Christianis responsum reddidit, statimq; correptus, per crucē suā honorificauit dominū Iesum. Videtis igitur quod in seruulis suis pati uelit Christus. Quid si & huic seruulo dicit: Illum uolo sic manere, tu aūt me sequere: & de hac arbore gustare uult fructum? Nam si illius cibus erat ut faceret uoluntatē patris, idem cibus illius est ut nostris passionibus epuletur? Non ne (ut de ipso domino sumamus exemplū) quando uoluit, passus est: & cùm quæreretur, inuētus est? Quando aūt hora non uenerat passionis, per mediū quærentiū transibat, & uidentes eum tenere non poterant. Quo utiq; euidenter ostendit, quia quando dominus uult, unusquisq; inuenitur & capitur. Quando autem differt, etiam si quærentiū manibus occurrat & oculis, non tenetur. Ego ipse non quotidie uel uisitandi gratia prodibam, uel pergebā ad martyres? Non regiam palatij prætexebam eundo atq; redeundo? Et tamen nemo me tenuit, cùm exturbandi me haberēt, ut prodiderūt postea, uoluntatē, dicentes: Exi de ciuitate, & uade quò uis. Expectabam fateor magnū aliquid, aut gladium pro Christi nomine, aut incendiū. At illi delicias mihi pro passionibus obtulerunt: sed athleta Christi nō delicias, sed passiones suas exigit. Nemo ergo uos turbet quòd aut carrū preparauerant, aut dura, ut uidebatur sibi, Auxē ntij ipsius qui se dicit episcopū, ore iactata. Plericq; narrabant percussores præmissos, pœnam mortis esse decretā: nec illa timeo, & ista non desero. Quò enim abibo, ubi nō omnia plena gemitus sint atq; lachrymarum, quando per Ecclesias iubentur eīci catholici Sacerdotes, resistentes gladio feriri, curiales proscribi omnes, nisi mādatū impleuerint? Et hęc Episcopi manu scripta, & ore dictata: qui se ut probaret doctissimum, uetus non omisit exemplum. Legimus enim in propheta quod uiderit falcem uolantem. Hāc imitatus Auxentius gladiū uolantem per omnes urbes direxit. Et Satanas trāsfigurat se in Angelū lucis, & in malum imitatur eius potentiam. Tu domine Iesu uno momento mū dum redemisti, Auxentius uno momēto tot populos, quod in ipso est, trucidabit, alios gladio, alios sacrilegio. Meam basilicam petit cruento ore, sanguinolētis manibus. Cui bene præsens respōdit lectio: Peccatori aūt dixit deus: Quare tu enarras iustitias meas? id est, non conuenit paci & furori, non cōuenit Christo & Belial. Meministis etiā quod lectum est hodie, Nabuthe sanctum uirū possessorem uineæ suę interpellatum petitione regia ut uineam suam daret, ubi rex succisis uitibus olus uile sereret, eumq; respōdisse: Absit ut ego patrum meorum tradam hæreditatem. Regemq; contristatū esse quòd sibi esset alienum ius relatione iusta negatum, sed muliebri consilio deceptū Nabuthe, uites suas uel proprio cruore defendisse. Si ille uineam nō tradidit suā, nos trademus Ecclesiā Christi? Quid igit̄ à me respōsum est cōtumaciter? Dixi enim cōuētus: Absit à me ut tradā Christi hereditatē. Si ille patrū hæreditatē non tradidit, ego tradā Christi hæreditatē? Sed & hoc addidi: Absit ut tradā hæreditatē patrum, hoc est, hæreditatē Dionysii qui in exilio in causa fidei defunctus est, hereditatē Eustorgij confessoris, hæreditatē Myroclis, atq; omnium retro fidelium Episcoporum. Respondi ego quod Sacerdotis est: quod Imperatoris est, faciat Imperator. Prius est ut animam mihi quàm fidem auferat.

Actо. 12 3

Rom. 6

Ioan. 21

Ioan. 14

4

5

Psal. 49

3. Reg. 21

2. Cor. 11

rat. At cui tradam? præsens lectio Euāgelij docere nos debet, quid petatur, à quibus petatur. Audistis nempe legi quòd cùm Christus super pullum asinæ sederet, clamabant pueruli, & molestè ferebant Iudæi. Denique interpellauerunt dominum Iesum dicentes
Luc. 19 ut faceret eos tacere. respondit: Si hi tacebunt, lapides clamabunt. Deinde ingressus tẽplum, eiecit nummularios, & cathedras, & columbas uendentes in tẽplo dei. Lectio nẽ pe ista nulla nostra dispositione recitata est, sed casu, quæ præsentibus bene aptatur temporibus. Semper ergo Christi laudes, uerbera perfidorũ sunt. Et nunc cùm laudat̃ Christus, dicunt hæretici quia seditio cõmouetur: dicũt hæretici quia his mors paratur, & uerè mortẽ habent in laudibus Christi. Quomodo enim laudes eius ferre possunt, cuius infirmitatem prædicant? Itaq; & hodie cum laudatur Christus, Arrianorum amentia uerberatur. Gerasení præsentiã Christi ferre non poterant, isti peiores Gerasenis nec laudationẽ Christi sustinere possunt: Vidẽt pueros Christi gloriã cõcinentes, quia scriptũ est,
Psal. 8 Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Irrident istam ætatulam fidei plenã,
Luc. 19 cùm dicũt: Ecce quid clamãt? Sed respondit ijs Christus: Si hi tacuerint, lapides clamabũt, hoc est, fortiores clamabunt, clamabunt & iuuenes, clamabũt & maturiores, clama-
Psal. 117 bũt & senes, isti lapides ad illũ iam solidati lapidem, de quo scriptũ est: Lapidẽ quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. His igitur laudationibus inuitatus templũ suum Christus ingreditur, & flagellum prehendit, & eijcit de templo nũmularios. Non patitur enim in suo templo pecuniæ esse uernaculos, non patitur in suo templo esse eos qui uendant cathedras. Quid sunt cathedræ, nisi honores? Quid sunt colũbæ nisi simplices mentes uel animæ fidem candidã & puram sequentes? Ego ergo inducam in templũ quem Christus excludit? Iubetur enim exire qui dignitates uendit & honores. Iubetur enim exire qui uendere uult simplices mentes fideliũ. Ergo Auxẽtius eijcitur, Mercurinus excluditur. Vnũ portentum est, duo nomina. Etenim ne cognoscere tur quis esset, mutauit sibi uocabulũ: ut quia hic fuerat Auxentius Episcopus Arrianus, ad decipiendã plebem, quã ille tenuerat, se uocaret Mercurinũ. Mutauit ergo uocabulum, sed perfidiã non mutauit. Exuit lupũ, & induit lupum. Nihil prodest quod mutauit nomen, quid sit agnoscitur. Alius in Scythiæ partibus dicebatur, alius hic uocat̃. nomina pro regiõibus habet. Habet ergo iam duo nomina: & si hinc aliò perrexerit, habebit & tertiũ. Quomodo enim patietur ut maneat ei uocabulum ad tanti sceleris indicium? Minora fecit in Scythia, & ita erubuit ut mutaret uocabulum. sceleratiora hic ausus est, & uolet, quocunq; perrexerit, nomine suo prodi. Tantorum populorum sanguinẽ manu sua scribet & poterit cõsistere animo? Paucos excludebat dominus Iesus de templo suo, Auxentius nullũ reliquit. De tẽplo suo Iesus flagello eijcit, Auxentius gladio. Iesus flagello, Mercurinus securi. Pius dominus flagello exturbat sacrilegos, nequam persequitur pios ferro. De quo bene dixistis hodie: Leges suas secum ferat. Feret etiã si nolit. Feret conscientiã suam, et si non fert chartulã: feret sanguine inscriptã animã suam, etsi
Hier. 17 atramento inscriptã epistolam nõ feret. Scripta est Iuda culpa tua graphio ferreo & ungue adamantino, & scripta in pectore tuo: hoc est ibi scripta, unde processit. Is mihi etiã audet mentionẽ facere retractãdi, plenus sanguinis, plenus cruoris? Qui quos nõ potuerit sermõe decipere, eos gladio putat esse feriẽdos, cruẽtas leges ore dictans, manu scribẽs, & putãs quod lex fidẽ possit hominibus imperare. Nõ audiuit, & id quod hodie dictũ est: Quoniã non iustificat̃ homo ex operibus legis? Aut, Per legẽ legi mortuus sum,
Gal. 2 Ibid. ut deo uiuã? id est, per legẽ spiritualẽ interpretationi legis est mortuus corporali. Et nos per legẽ domini nostri Iesu Christi moriamur huic legi, quæ sancit decreta perfidiæ. Nõ
Rom. 1 Ibid. lex Ecclesiam congregauit, sed fides Christi. Lex enim non est ex fide, iustus autem ex fide uiuit. Iustum ergo fides non lex facit, quia non est per legem iustitia, sed per fidem Christi. Qui autem fidem repudiat, & legis iura præscribit, ipse se testatur iniustum, quia iustus ex fide uiuit. Hanc ergo legem quisquam sequatur qua firmatur Ariminense con-
Galat. 4 cilium, in quo creatura dictus est Christus? Sed aiunt: Misit deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Ergo factum legunt, hoc est creatum. Non'ne hoc ipsum cõsiderãt quod proposuerũt, quia factus dicitur Christus, sed ex muliere, hoc est, secundum partum uirginis factus est, qui secũdum diuinã generationẽ ex patre natus est? Legerũt,
Galat. 3 & hodie quia Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.

Nunquid

Nunquid maledictum Christus secundum diuinitatem est? Sed quare maledictū dicat, Apostolus te docet, dicens, quia scriptū est: Maledictus omnis qui pēdet in ligno. Hoc est, qui in carne sua nostram carnem, in suo corpore nostras infirmitates & nostra maledicta suscepit, ut crucifigeret. Nō enim ille maledictus, sed in te maledictus. Denique habes alibi: Qui peccatū non cognouit, sed pro nobis peccatū factus est: quia nostra peccata suscepit, ut sacramēto suæ passionis aboleret. Hęc ego fratres coram ipso apud uos plenius disputarē, sed certus nō ignaros uos esse fidei, uestrum refugit examen, & Gentiles quosdā quatuor aut quinq; ferme homines elegit cognitores sibi, si tamen aliquos elegit: quos uellem adesse in cœtu omnium, non ut de Christo iudicent, sed ut maiestatē audiant Christi. Tamen illi iam de Auxentio pronunciauerunt, cui tractanti quotidie non crediderunt. Quæ maior eius cōdemnatio, quàm quod sine aduersario apud iudices suos uictus est? Ergo & ipsorū sententiam contra Auxentiū iam tenemus: & quod Gentes elegit, iure damnandus est, quia Apostoli præcepta dimisit, cùm Apostolus dicat: Audet aliquis uestrū aduersus alterū habens negociū, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? Aut nescitis quoniā sancti de hoc mundo iudicabunt? Et infra ait: Sic nō est inter uos sapiens quisquā, qui possit iudicare inter fratres, sed frater cū fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles? Vides quia quod ille obtulit, contra authoritatē Apostoli sit? Vos eligite, utrū Auxentium, an Paulum sequi debeamus magistrum. Sed quid dicā de Apostolo, cùm ipse dominus clamet per prophetam: Audite me populus meus qui scitis iudiciū, quorū in corde lex mea est. Deus dicit: Audite me populus meus, qui scitis iudiciū, Auxentius dicit: Nescitis iudiciū. Videtis quia iam deum contemnit in uobis, qui sententiā cœlestis refutat oraculi? Audite me, inquit, populus meus, dicit dominus. Non dicit audite gētes, non dicit audite Iudæi. Iam enim populus dei qui fuerat, populus erroris est factus. Et qui populus erroris erat, populus dei esse cœpit, quia in Christum credidit. Iste ergo populus iudicat, cuius in corde lex diuina est, non humana: lex nō atramento scripta, sed spiritu dei uiui: non in charta exarata, sed in corde signata: lex gratiæ, non cruoris. Quis igitur uobis iniuriam facit, qui recusat uestram, an qui elegit audientiā? Conclusus undiq; ad uersutiā patrum suorum confugit. De Imperatore uult inuidiā cōmouere, dicens iudicare debere adolescentē catechumenū sacræ lectionis ignarum, & in consistorio iudicare. Quasi uerò superiore anno quando ad palatium sum petitus, cum præsentibus primatibus ante consistorium tractaretur, cùm imperator basilicam uellet eripere, ego tunc aulæ contēplatione regalis infractus sim, cōstantiā non tenuerim Sacerdotis, aut imminuto iure discesserim. Non ne meminerūt quod ubi me cognouit populus palatiū petisse, ita irruit, ut uim eius ferre non possent, quādo comiti militari cum expeditis ad fugandam multitudinem egresso obtulerunt omnes se neci pro fide Christi? Non tunc rogatus sum ut populum multo sermone mulcerē? Spondere fidem, quòd basilicā Ecclesiæ nullus inuaderet? Et cùm pro beneficio meum sit officium postulatū, tamen quòd populus ad palatium uenisset, mihi inuidia cōmota est. In hanc igitur inuidiam me redire desiderant. Reuocaui populum, & tamen inuidiam nō euasi: quam quidem inuidiam ego temperandam arbitror, non timendā. Quid enim timeamus pro Christi nomine? nisi forte illud mouere me debet quod aiunt, Ergo nō debebet Imperator unā basilicā accipere ad quam procedat: & plus uult Ambrosius posse quàm Imperator, ut Imperatori prodeundi facultatē neget? Quod cùm dicūt, apprehēdere sermones nostros gestiūt, sicut Iudæi qui Christū uersuto sermone tentabāt, dicentes: Magister, licet tributum dare Cæsari, aut nō? Semper ne de Cæsare seruulis dei inuidia cōmouetur? Et hoc ad calumniam sibi arcessit impietas, ut imperiale nomen obtendat? Et isti possunt dicere quòd eorum non habeant sacrilegium, quorum imitantur magisterium? Et tamen uidete quanto peiores Arriani sunt quàm Iudæi. Illi querebant utrum soluendum putaret Cæsari ius tributi, isti Imperatori uolunt dare ius Ecclesię. Sed ut perfidi suum sequuntur authorem, ita & nos quæ nos dominus & author noster docuit, respondeamus. Considerans enim Iesus dolum Iudæorū dixit ad eos: Quid me tentatis? ostendite mihi denarium. Et cùm dedissent, dixit: Cuius imaginem habet & inscriptionem? Respondentes dixerunt: Cæsaris. Et ait illis Iesus: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt dei, deo. Ergo & ego dico illis qui mihi obijciunt: Ostendite mihi dena-

Galat. 3
Deut. 21
2. Cor. 5
ibid. 6
Esa. 31
2. Cor. 3
Matt. 22
ibid.

denarium. Iesus Cæsaris denarium uidit, & ait: Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, & quę dei sunt, deo. Nunquid de Ecclesiæ basilicis occupandis possunt denarii offerre Cæsaris? Sed in Ecclesia unam imaginem noui, hoc est, imaginem dei inuisibilis, de qua dixit
Gen. 1 deus: Faciamus hominẽ ad imaginẽ & similitudinem nostrã. Illam imaginẽ de qua scri-
Hebr. 1 ptum est: Quia Christus splendor gloriæ, & imago substantiæ eius. In ista imagine patrẽ
Ioan. 14 cerno, sicut dixit ipse dominus Iesus: Qui me uidit, uidit & patrẽ. Non enim hæc imago
Ibid. 10 à patre est separata, quæ unitatem me docuit trinitatis, dicens: Ego & pater unum su-
Ioan. 16 mus. Et infrà: Omnia quæcũq; habet pater, mea sunt. Et de spiritu sancto, dicẽs: quia spi-
Ibid. ritus Christi sit, & de Christo accepit, sicut scriptum est: Ille de meo accipiet, & annũcia-
bit uobis. Quid igitur? non humiliter responsum à nobis est? Si tributum petit, nõ nega
mus. Agri Ecclesiæ soluunt tributũ. Si agros desiderat Imperator, potestatem habet uin
dicandorũ, nemo nostrum interuenit. Potest pauperibus collatio populi redũdare. Nõ
faciant de agris inuidiam, tollat eos si libitũ est. Imperatori non dono, sed non nego. Au
rum quærunt. possum dicere: Argentum & aurum non quæro. Sed inuidiã faciunt quia
7 aurum erogatur. Nec ego hanc inuidiam perhorresco. Habeo ærarios: Aerarij mei, pau
peres Christi sunt. Hunc noui congregare thesaurũ. Vtinam hoc mihi semper crimẽ ad-
scribant, quia aurum pauperibus erogatur. Quòd si obijciunt quòd defensionem ab ijs
requiram, nõ nego, sed etiam ambio. Habeo defensionem, sed in orationibus pauperũ.
Cæci illi, & claudi, debiles & senes, robustis bellatoribus fortiores sunt. Deniq; munera
Prouer. 19 pauperũ deum obligãt, quia scriptũ est: Qui largitur pauperi, deo fœnerat. Præsidia bel
latorum diuinam sępe gratiam non merentur. Hymnorũ quoq; meorũ carminibus de-
ceptũ populum ferunt. Planè nec hoc abnuo. Grande carmen istud est, & quo nihil po-
tentius. Quid enim potentius quàm confessio trinitatis, quę quotidie totius populi ore
celebratur? Certatim omnes student fidem fateri, patrem & filium & spiritum sanctum
norunt uersibus prædicare. Facti sunt igitur omnes magistri, qui uix poterant esse disci-
puli. Quid igitur obaudiẽtius potest esse, quàm ut Christi sequamur exemplum, qui spe
Philip. 2 cie inuentus ut homo, humiliauit semetipsum factus obediens usq; ad mortem? Deniq;
Rom. 5 omnes per obedientiam liberauit. Sicut enim per inobedientiã unius hominis peccato
res constituti sunt plurimi, ita & per unius obedientiam iusti constituentur multi. Si er-
go ille obediens, accipiant obedientiæ magisterium, cui nos inhæremus, dicẽtes ijs qui
nobis de imperatore inuidiam faciunt: Soluimus quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt
dei deo. Tributũ Cæsaris est, non negatur. Ecclesia dei est, Cæsari utiq; non debet addi-
ci: quia ius Cæsaris esse non potest dei templũ. Quod cum honorificẽtia Imperatoris ne
mo dictũ potest negare. Quid enim honorificentius, quàm ut Imperator Ecclesiæ filius
esse dicatur? Quòd cùm dicitur, sine peccato dicitur, cũ gratia dicitur. Imperator enim
bonus intra Ecclesiã, non supra Ecclesiã est. Bonus enim imperator quærit auxiliũ Ec-
clesiæ, non refutat. Hæc ut humiliter dicimus, ita cõstanter exponimus. Sed incẽdia ali-
8 qui, gladiũ, deportationẽ minantur. Didicimus Christi seruuli non timere. Non timen-
9 tibus nunquam est grauis terror. Deniq; scriptum est: Sagittæ infantiũ factæ sunt plagæ
Psal. 63 eorum. Satis igitur propositis responsum uidetur. Nunc illos interrogo quod saluator
Luc. 20 interrogauit: Baptismum Ioannis de cœlo est, an ex hominibus? Et non potuerũt respõ
dere ei Iudæi. Si baptismum Ioannis non soluerunt Iudæi, Auxentius soluit baptismum
Christi? Non enim istud ex hominibus est baptismũ, sed de cœlo, quod detulit nobis cõ
silij magni Angelus, ut iustificemur deo. Cur igitur rebaptizãdos Auxentius fideles po
pulos putat, baptizatos in nomine trinitatis, cùm Apostolus dicat: Vna fides, unum ba
Eph. 4 ptisma? Et se hominũ dicit aduersariũ esse, non Christi, cùm consilium dei spernat, & cõ
demnet baptismum, quod Christus nobis ad redimenda nostra peccata donauit?

Diui Ambrosii ad Marcellinam sororem suam, referẽtis illi quid in causa de basili
cis tradendis actum sit, & in quo statu res ipsa nunc consistat. Epist. XXXIII

QVoniam omnibus epistolis ferè sollicite quęris de Ecclesia, accipe quid aga
tur. Postridie quàm accepi literas tuas quibus significaueras quod te exagi-
tarent somnia tua, moles inquietudinum grauium cœpit moueri. Nec iam
Portiana, hoc est, extramurana Basilica petebatur, sed Basilica noua, hoc est intramura-
na, quæ maior est. Conuenerunt me primo, uiri comites consistoriani, ut & basilicã tra-
derem,

derem,& procurarem ne quid populus turbarũ moueret. Respondí quod erat ordínis: templũ dei tradí à Sacerdote nõ posse. Acclamatũ est sequenti die in Ecclesia,etiã Prę fectus eò uenit,cœpit suadere ut basilica Portiana cederemus. Populus reclamauit. Ita tũc díscessum est,ut intimaturũ se Imperatori díceret. Sequenti die,erat aũt dominica, post lectiones atq; tractatũ dimíssis Catechumenis symbolũ aliquibus Cõpetentíbus in baptísterijs tradebã basilicæ. Illic nunciatũ est míhi cõperto quod ad Portianam basilícam de palatio decanos mísissent,& uela suspenderent,populi partẽ eò pergere. Ego tamen mansi in munere,míssam facere cœpi. Dũ offero,raptũ cognoui à populo Castulũ quen dam quem presbyterum dicerent Arriani. Hunc autem in platea offenderant transeun tes. Amarissime flere,& orare in ipsa oblatione deum cœpi,ut subueníret, ne cuius sanguis in causa Ecclesiæ fieret,certe ut meus sanguis pro salute non solum populi,sed etiã pro ipsis impijs effunderetur. Quid multa? Míssis presbyteris & diaconibus eripui iniu riæ uirum. Condemnationes illicò grauissimæ decernũtur. primo in corpus omne mercatorum. Itaq; sanctís diebus hebdomadis ultimæ quibus solebant debitorũ laxarí uíncula,stridunt catenę,imponuntur collo innocentium,exiguntur ducenta põdo auri intra totum triduum. Respondent aliqui se tantũ aut duplum sí peterentur daturos, dum- 2
modo seruarẽt fidem. Erant pleni carceres negociatorĩbus. Palatína omnia officia, hoc 3
est,memoriales,agentes in rebus, apparítores díuersorũ comitum tẽperare à processu iubentur,specie qua seditioni interesse prohíbebantur: honoratis multa minabanť gra- 4
uissima nisi basilicam traderent. Feruebat persecutio: ac sí aperuissent portam, proruperi in omne facinus uidebantur. Conuenior ipse à comitíbus & tríbunis, ut basilicæ fieret matura traditio,dicẽtíbus Imperatorem iure suo utí, eo quòd in potestate eius essent omnia. Respondi,sí à me peteret quod meum esset,id est fundum meum, argẽtum meũ,ius huiusmodi meũ me non refragaturũ,quamquã omnia quę mea sunt,essent pau 5
perum: uerum ea quæ diuina,imperatoriæ potestati non esse subiecta. Sí patrímonium petitur,inuadite: sí corpus,occurram. Vultis in uíncula rapere? uultis in mortẽ? uolupta ti est míhi. Non ego me uallabo circunfusione populorum,nec altaría tenebo uítam ob
secrans,sed pro altarĩbus gratius ímmolabor. Horrebã quippe animo cùm armatos ad 6
basilicam Ecclesiæ occupandam missos cognoscerẽ,ne dum basilícam uindicãt, aliqua strages fieret quæ in pernicíẽ totius uergeret ciuitatis. Orabam ne tantæ urbis uel totius Italiæ busto superuiuerem. Detestabar inuídiam fundendi cruoris,offerebam iugulum meum. Aderant Gotthi tribuni,adoriebar eos dicens: Propterea uos possessio Romana suscepit,ut perturbationis publicæ uos præbeatis ministros? Quo trãsibítis sí hæc de leta fuerint? Exigebatur à me ut cõpescerem populum. Referebã in meo iure esse ut nõ excitarem,in dei manu ut mitigaret. Postremo sí me incentorem putarẽt, iam in me uín excitarem,in dei manu ut mitigaret. Postremo sí me incentorem putarẽt, iam in me uín dicari oportere,uel abduci me in quas uellent terrarũ solitudines. His dictís illi abierũt, ego in basilica ueteri totum exegí diem,inde domum cubitum me recepi, ut sí quis abducere uellet,inueníret paratum. Ante lucem ubí pedem límine extuli, circun fuso mílí te occupatur basilica. Idq; à milítibus imperatorí mandatum dicítur, ut sí prodire uellet,haberet copiam, se tamẽ præsto futuros sí uíderent eum cum catholicís conuenire, alioquin se ad eum cœtum quem Ambrosius cogeret,transituros. Prodire de Arrianis 7
nullus audebat,quia nec quisquam de ciuibus erat,pauci de familia regia,nõnulli etiam 8
Gotthi. Quibus ut olim Plaustra sedes erat, ita nunc plaustrum Ecclesia est. Quocunq; fœmina ísta processerit,secũ suos omnes cœtus uehit. Circunfusam basilicã esse gemitu populi intellexi,sed dum leguntur lectiones,intimatur míhi plenam populi esse basilícam etiam nouam,maiorem uideri plebem quàm cum essent omnes liberi: lectorẽ effla 9
gitari. Quid plura? Milites ipsi qui uidebantur occupasse basilicã,cognito quòd præcepissem ut abstinerentur à cõmunionis consortio, ad conuentum hunc nostrum uenire cœperũt. Quibus uísis turbantur mulierum animi,prorípit se una. Ipsi tamen milites se 10
ad orationẽ uenisse,non ad prælium loquebantur. Clamauit aliqua populus. quàm moderate,quàm constanter,quàm fideliter poscebat ut ad illam pergeremus basilicam? In illa quoq; basilica fertur quod populus præsentiã flagitabat meam. Tũc ego hunc ador sus sermonẽ sum: Audistis filĩ librũ legi Iob, qui solenni munere est decursus, & tempo re. Sciuit & usu hunc librũ etiã diabolus intímandum, quo uirtus omnis suæ tentationis

aperitur & proditur,& ideo se hodie motu maiore cõcussit.Sed gratias deo nostro, qui nos ita firmauit fide & patientia.Vnum Iob miraturus ascenderam,omnes Iob quos mirarer inueni.In singulis uobis Iob reuixit,in singulis sancti illius patientia & uirtus refulsit.Quid enim præsentius dici potuit à Christianis uiris, quàm id quod hodie in uobis spiritus sanctus est locutus? Rogamus Auguste,non pugnamus.Non timemus, sed rogamus.Hoc Christianos decet,ut & tranquillitas pacis optetur & fidei:ueritatisq; con-
Psal.16 stantia,nec mortis reuocetur periculo.Est enim præsul dominus,qui saluos faciet sperãtes in se.Sed ueniamus ad propositas lectiones.Videtis diabolo tentãdi licentiã dari,ut boni probentur.Inuidet inimicus bonis profectibus,tentat diuersis modis.Tẽtauit sanctum Iob in patrimonio,tentauit in filijs,tentauit in dolore corporis.Fortior in suo corpore tẽtatur,infirmior in alieno.Et mihi meas diuitias quas in uobis habeo,uolebat auferre,& hoc tranquillitatis ueſtræ patrimonium dissipare cupiebat.Vos quoq; ipsos mihi bonos filios gestiebat eripere,pro quibus ego quotidie instauro sacrificium,uos ruinis quibusdam publicæ perturbationis conabatur inuoluere.Duo igitur iam genera tẽtatiõis excepi.Et fortasse quia infirmiorẽ me dominus deus nouit,adhuc in corpus meum non dedit potestatem.Et si ipse cupiam & si offeram,adhuc me fortasse huic certamini imparem iudicat,& diuersis exercet laboribus.Nec Iob ab isto cœpit certamine,sed in hoc consummauit.Tentatus est aũt Iob nuncijs coaceruatis malorũ, tẽtatus est etiam
Iob 2 per mulierem,quæ ait:Dic aliquod uerbum in deum,& morere.Videtis quanta subito moueãtur.Gotthi,arma,Gentiles,mulcta mercatorũ,pœna Sanctorũ.Aduertitis quid iubeatur cùm mandatur:Trade basilicam,hoc est,dic aliquod uerbum in deum, & morere.Nec solũ dic aduersum deum,sed etiam fac aduersus deum.Mandatur, Trade altaria dei.Vrgemur igitur præceptis regalibus,sed cõfirmamur scripturæ sermonibus:quę
Ibid. respondit:Tanquam una ex insipientibus locuta es.Non mediocris igitur ista tentatio. Nanq; asperiores tentationes has esse cognouimus,quæ fiunt per mulieres.Deniq; per Euam etiam Adam supplantatus est:eoq; factum, ut à mandatis cœlestibus deuiaret. Quo errore cognito, præuaricatricis conscientiæ reus latere cupiebat,sed latere non
Gen.3 poterat,& ideo ait ei deus:Adam,ubi es? Hoc est,quid eras antè? ubi nunc esse cœpisti? ubi te constitueram? quo ipse transgressus es? Agnoscis esse te nudum, quia bonæ indumenta fidei perdidisti.Folia sunt ista quibus nunc uelare te quæris.Repudiasti fructum, sub folijs legis latere cupis,sed proderis.Recedere à domino deo tuo propter unam mulierem desiderasti,propterea fugis quem uidere quærebas.Cum una muliere te abscõderе maluisti,relinquere speculum mundi,incolatum paradisi,gratiam Christi. Quid dicã
3.Reg.19 quòd etiam Heliam Iezabel cruenta persecuta est? quòd Ioãnem Baptistam Herodias
Matt.14 fecit occidi? Singulæ tamen singulos,mihi quo minora longe merita,eo tentamẽta grauiora.Virtus infirmior,sed plus periculi.Succedũt sibi mulierum uices, alternant odia, commenta uariantur,seniores conueniuntur,prætexitur regis iniuria.Quæ ratio igitur est aduersus hunc uermiculum moliri grauiores tentationes,nisi quia non me,sed Ecclesiã persequuntur? Mandatur deniq;:Trade basilicam.Respõdeo:Nec mihi fas est tradere,nec tibi accipere Imperator expedit.Domũ priuati nullo potes iure temerare,domũ dei existimas auferendam? Allegatur,imperatori licere omnia,ipsius esse uniuersa.Respõdeo:Noli te grauare Imperator,ut putes te in ea quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere.Noli te extollere,sed si uis diutius imperare,esto deo subditus. scriptum est:
Matt.22 Quæ dei deo,quæ Cæsaris Cæsari.Ad imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotẽ Ecclesiæ.Publicorum tibi mœnium ius commissum est,non sacrorum.Iterum dicitur mandasse:Debeo & ego unam basilicam habere.Respõdi:Nõ tibi licet illam habere. Quid tibi cũ adultera? Adultera est enim quæ nõ est legitimo Christi coniugio copulata. Dũ hæc tracto,suggestũ est mihi cortinas regias esse collectas:refertam autem populo basilicam,præsentiam mei poscere:statimq; eo conuerti sermonẽ meum,dicens: Quàm alta & profunda oracula sunt spiritus sancti. Matutinis horis lectum est, ut meministis fra-
Psal.78 tres,quod summo animi dolore respondemus : Deus uenerunt gentes in hæreditatem tuam.Et reuera uenerunt gẽtes,& plus etiam quàm gẽtes uenerũt.Venerunt enim Gothi,& diuersarum nationũ uiri,uenerunt cũ armis,& circunfusi occupauerũt basilicam. Hoc nos ignari tuæ altitudinis dolebamus,sed nostra imprudentia aliud opinabatur.

Vene-

Venerunt gentes, sed uerè in hæreditatem tuam uenerunt. Qui enim gentes uenerunt, facti sunt Christiani. Qui ad inuadendam hæreditatem uenerunt, facti sunt cohæredes dei. Defensores habeo quos hostes putabam: socios teneo, quos aduersarios existimabam. Completum est illud quod de domino Iesu Dauid propheta cecinit: Quia factus est in pace locus eius, & confregit cornua arcuum, scutum, & gladium, et bellum. Cuius enim hoc munus, cuius opus, nisi tuum domine Iesu? Videbas ad templum tuũ armatos uenire, hinc gemere populum, & frequẽtem adesse, ne basilica dei traderetur: inde uim militibus, imperatori: mortem ante oculos mihi: ne quid inter hæc furori liceret, inseruisti te domine medium, & fecisti utraq; unum. Compescuisti armatos dicens profecto: Si ad arma concurritur, si in templo meo lis commouetur, quæ utilitas in sanguine meo? Gratias itaq; tibi Christe: non legatus, neq; nuncius, sed tu domine saluum fecisti populum tuum, conscidisti saccum meum, & præcinxisti me lætitia. Hæc ego dicebam ratus Imperatoris animum studio militum, obsecratione comitum, precatu populi posse mitescere. Interea nunciatur mihi missum notarium qui mandata deferret. Concessi paulum, mandatũq; intimat. Quid tibi uisum est, inquit, ut contra placitũ faceres? Respõdi: Quid placitum sit ignoro, quid ue temere factum dicatur, incertũ habeo. Ait: Cur presbyteros ad basilicam destinasti? Si tyrannus es, scire uolo, ut sciam quemadmodum me aduersum te præparem. Retuli dicens me nihil in præiudicium fecisse Ecclesiæ: eo tempore quo audieram occupatam esse à militibus basilicam, gemitum tantummodo liberiorẽ habuisse: multisq; adhortantibus ut eò pergerem, dixisse: Tradere basilicam non possum, sed pugnare non debeo. Postea uero quàm cognouerim cortinas regias inde esse sublatas, cum me populus eò ire deposceret, direxisse presbyteros, me tamẽ noluisse ire sed dixisse: Credo in Christo quod ipse nobiscũ faciet imperator. Si hęc tyrannis uidetur, habeo arma, sed in Christi nomine, habeo offerẽdi mei corporis potestatẽ. Quid moraretur ferire, si tyrannum putaret? Veteri iure à sacerdotibus donata imperia, non usurpata. Et uulgo dici quòd imperatores sacerdotium magis optauerint, quàm imperium sacerdotes. Christus fugit, ne rex fieret. Habemus tyrannidem nostram. Tyrannis Sacerdotis, infirmitas est. Cùm infirmor, inquit, tunc potens sum. Cauere tamen ne ipse sibi tyrannum faceret, cui deus aduersarium non excitauit. Non hoc Maximum dicere, quod tyrannus ego sim Valentiniani, qui se meę legationis obiectu queritur ad Italiam non potuisse transire. Addidi quia nunquam Sacerdotes tyranni fuerunt, sed tyrãnos sępe sunt passi. Exactus est totus ille dies in mœrore nostro, scissæ tamen ab illudentibus pueris cortinæ regiæ. Ego domum redire non potui, quia circunfusi erãt milites, qui basilicam custodiebant. Cum fratribus Psalmos in Ecclesiæ basilica minore diximus. Sequenti die lectus est de more liber Ionæ, quo completo hunc sermonẽ adorsus sum. Liber lectus est fratres quo prophetatur quòd peccatores in pœnitentiam reuertãtur. Accptum est ita, ut speraretur in præsenti futurum. Addidi quòd uir iustus etiã offensam contrahere uoluisset, ne uel spectaret uel denunciaret excidium ciuitati. Et quod lugubre esset illud dictum, Contristatus quoq; sit quòd aruisset cucurbita. Deum quoque dixisse ad Prophetam: Si tristis es pro cucurbita? Respondisse Ionam: tristis. Dixisse domi num, si illud doleret quòd exusta esset cucurbita, quanto magis sibi curæ esse oportere tantæ plebis salutem? Et ideo excidium quod paratum toti urbi fuerat, remouisse. Nec mora, nunciatur Imperatorem iussisse ut recederent milites de basilica, negociatoribus quoq; quod exacti de condemnatione fuerant redderetur. Quæ tunc plebis totius lætitia fuit? qui totius populi plausus? quę gratia? Erat autem dies quo sese dominus pro nobis tradidit, quo in Ecclesia pœnitentia relaxatur. Certatim hoc nunciare milites, irruẽtes in altaria osculis significare pacis insigne. Tunc agnoui quòd deus uermem antelucanum percusserat, ut tota ciuitas seruaretur. Hæc gesta sunt, atq; utinam iam finita. Sed grauiores motus futuros, plena commotionis imperialia uerba indicant. Ego tyrannus appellor, & plus etiam quam tyrannus. Nam cum Imperatorem comites obsecrarẽt uti prodiret ad Ecclesiam, idq; petitu militum facere se dicerent, respondit: Si uobis iusserit Ambrosius, uinctum me tradetis. Quid post hanc uocem superfit, considera. Quam uocem omnes cohorruerũt. sed habet à quibus exasperetur. Deniq; etiam speciali expressione Calligonus præpositus cubiculi mandare mihi ausus est: Me uiuo tu contemnis

Psal. 75

Ephes. 2
Psal. 29

Ioan. 6
2. Cor. 12

Ionæ 4

Valentinianum? Caput tibi tollo. Respondi: Deus permittat tibi ut impleas quod minaris. Ego enim patiar quod Episcopi, tu facies quod spadonis. Atq; utinam dñs auertat eos ab Ecclesia, & in me omnia sua tela conuertant, meo sanguine sitim suã expleãt.

Diui Ambrosii ad Theodosium imperatorem, decessum Valentiniani Augusti uehementer se dolere, aptissimumq; pro sepultura eius locum præparatum esse insinuantis. Epist. xxxiiii.

A Mbrosius Theodosio Imperatori. Silentium meum rupit sermo clementiæ tuæ. Nihil enim in tam tristibus rebus melius facere in animum induxeram, quàm si fieri posset, meipsum abdere. Sed quia in secessu aliquo delitescere, & sacerdotio exire nõ poteram: uel silentio intra me latebam. Doleo enim fateor dolore acerbo, non solũ quòd immatura ætate Valentinianus Augustus decesserit, sed etiã quòd informatus fide ac tuis institutis tantã deuotionẽ erga deum nostrum induerat, atque tanto in me incubuerat affectu, ut quem ante persequebatur, nunc diligeret: quem ante ut aduersarium repellebat, nunc ut parentẽ putaret. Quod ego nõ pro recordatione iniuriæ ueteris exprompsi, sed pro testimonio conuersionis. Illud enim alienum, hoc suum: quod à te infusum sibi ita tenuit, ut matris persuasionem excluderet. Ille se à me nutritum præferebat, ille ut sedulum patrem desiderabat. Ille simulato à quibusdam aduentus mei nuncio, impatienter præstolabatur. Quinetiam illis ipsis publici doloris diebus cum sanctos & summos Sacerdotes domini intra Gallias haberet, ut à me tamen sacramentis baptismatis initiaretur, scribendum arbitratus est. Quod et si non rationabili ter, amabiliter tamen erga me suum studium testificatus est. Hunc ergo non intimo anhelem spiritu, secretisq; mentis atq; animi uisceribus amplectar? Hunc mihi mortuum putem? Immo mihi magis uiuum. Quas ego domino deferebam gratias, quod ita in me conuersus esset, quod ita emendatus, quasi senioris cuiusdã ætatis mores induisset: quas clementię tuæ, quod eum non solum regno reddidisses, sed etiam quod est amplius, instituisses fidei & pietatis tuæ disciplinis? Hunc ergo nõ doleam, æui integrũ, antequam sacramentorum quæ desiderauit adipisceretur gratiam, repentina obisse morte? Refrigerasti animum quod etiam ipse dignatus es ferre testimoniũ meo dolori. Te Imperator arbitrum teneo affectus mei, te meæ mentis interpretem. Sed flẽdi tempora aliàs nõ deerunt: nunc de sepultura eius, quoniam scripsit clementia tua ita hic procurandũ. Sed exors recessit baptismatis. quid cognouerim, nõ repressi. Est hic porphyreticum labrũ pulcherrimum, & in usus huiusmodi aptissimum. Nam & Maximianus Diocletiani socius ita humatus est. Sunt tabulæ porphyreticæ pretiosissimæ, quibus uestiatur operculum quo regales exuuię claudantur. Hoc fuerat præparatum, sed expectabatur rescriptum clementiæ tuæ, cuius perceptione recreatæ sunt sanctæ filiæ tuæ, filij tui Valentiniani sorores, quæ se grauibus afficiunt modis, & amplius exagitabantur quòd diu nihil scriberetur sibi. Vnde ijs non parum accessit solatij. sed dum inhumatę sunt reliquię, nequaquàm sibi parcunt. Videntur enim sibi germani sui quotidianum funus tenere. Et reuera cum sine fletu magno ac sine dolore graui nunquam sint, tamen quotiescunq; eò accedunt, exangues reuertuntur, Et ipsis igitur consuletur, & charissimis exuuijs, si acceleretur sepultura, ne æstiuo penitus soluantur calore. Vix enim superiorem ætatẽ transegimus. Mandatum tuũ seruo, & commendo domino. Diligat te dominus, quia tu domini seruos diligis.

Diui Ambrosii ad Eusebium episcopum, apparitori prefecturæ offensam quam contraxerat esse remissam, Faustinumq; paruulum tussi laborantem ad sororem uenisse referentis. Epist. xxxv

Mbrosius Eusebio Episcopo. Apparitor prefecturę qui propter operas portuenses offensam contraxerat, iam in portu nauigat, opportunè autem aduenit. Nam simul ut accepi literas tuas, uidi Præfectum, rogaui pro eo, ignouit illicò, iussi retrahi epistolam quam de facultatibus eius publicandis dictauerat. Quòd si tardius uenisset, nemo magis probasset inexplicabile illud opus esse portus reformandi, quàm iste qui illic naufragium fecerat, nisi te habuisset gubernatorem, ut aliter non posset inde nisi nudus exire. Faustinus paruulus tussi laborat, ad sanctam sororem curatum uenit, & uenit sponte. Expertus enim est melius sibi uentrem curari. Denique &

& me medicum putat, expectat prandium. Itaq; hic bis ad diem curatur, & cœperat pul chrè ualere, sed dū eū nimio amore abstinere gestiūt, tussire de uētre plus cœpit: & labo rabit adhuc, nisi ad medicamēta sua reuertat. Vale, & nos dilige, quia nos te dilígimus.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS EPISTOLARVM, LIB. VI.

Diui Ambrosii ad Sabinum episcopum, eos qui indignum duxerint, quòd Paulinus uenditis facultatibus, & seculo relicto, secretum quoddam elegerit, confutantis & comprobantis quod nō ignominiosum aut turpe, sed gloriosum sit, opprobriosum, uilem & nudum fieri pro Christo. Quid etiam denudatio ipsius Dauid figurauerit, exponentis. Epist. XXXVI

AMbrosius Sabino Episcopo. Paulinum splendore generis in partibus Aquitaniæ nulli secundum, uenditis facultatibus tam suis quàm etiam coniugalibus, in hos se induisse cultus ad fidem cōperi, ut ea in pau- 1
peres conferat quæ redegit in pecuniā, & ipse pauper ex diuite factus tanquam deoneratus graui sarcina, domui, patriæ, cognationi quoq; uale dicat, quo impensius deo seruiat. Elegisse autē secretum affirmatur Nolanæ urbis, ubi tumultum fugitans æuum exigat. Matrona quoq; uirtuti & studio eius 2
proxime accedit, neq; à proposito uiri discrepat. Deniq; transcriptis in aliorum iura suis prædijs, uirum sequitur, & exiguo illic coniugis contenta cespite solatur se religiōis & 3
charitatis diuitijs. Soboles eis nulla, & ideo meritorum posteritas desiderata. Hæc ubi audierint proceres uiri, quæ loquentur? Ex illa familia, illa prosapia, illa indole, tāta præditum eloquentia migrasse à Senatu, interceptam familię nobilis successionē: ferri hoc non posse. Et cum ipsi capita & supercilia sua radant si quando Isidis suscipiunt sacra, si 4
forte Christianus uir attentior sacrosanctæ religioni uestem mutauerit, indignum faci- 5
nus appellant. Equidem doleo tantam esse in mendacio obseruantiam, in ueritate negligentiam, ut confundantur plerique attentiores ad sacrosanctam religionem uideri, non considerantes uocem dicentis: Qui me confusus fuerit coram hominibus, confundar et ego eum coram patre meo qui est in cœlis. Sed non confusus est Moyses, qui cum esset adscitus in domum regiam, thesauris Aegypti opprobrium Christi præferendum putauit. Non confusus est Dauid, qui ante arcam testimonij corā omni populo saltauit. Non confusus est Esaias, qui nudus & discalciatus ibat per populos oracula clamās cœlestia. Quid utiq; tam deforme uisibili spectaculo quàm histrionicos sinuare gestus, & fœmineo usu mollire membra? Deliciarum comes & luxuriæ ludibrium est lasciua saltatio. Quid illud quod ipse cecinit dicens: Omnes gētes plaudite manibus? Nempe si corporalia consideremus, tanquam muliebribus intermixtum choreis putamus eum concrepare manibus, & turpi sono plaudere. Nam & de Ezechiel dictum est: Plaude manu, & percute pede. Sed hęc quæ corporeo aspectu fiunt turpia, sacrosanctæ religionis contemplatione reuerenda sunt: ut qui ista reprehendunt, ipsi in laqueos reprehensionis animas suas inducant. Deniq; reprehendit Michol saltantem Dauid, & ait ad eum: Quid honorificatus est hodie rex Israel, quia denudatus est hodie ante oculos puellarum suarum? Et respondit ei Dauid: Coram domino ludam qui elegit me pro patre tuo, & pro uniuersa domo eius, ut constitueret me regem super populum suum Israel. Et ludam coram domino, & denudabor adhuc sic, & ero nugax ante oculos tuos, & cum puellis quibus dixisti me denudatum, honorificabor. Non erubuit igitur Dauid fœmineas opiniones, nec opprobria apud mulieres subire pro religionis obsequio uerecundatus est. Lunes, nec opprobria apud mulieres subire pro religionis obsequio uerecundatus est. Lu
n

Matt. 11 testimoniũ. Dixit enim dei filius: Cantauimus uobis, & nõ saltastis. Derelicti sunt itaq; iudæi qui nõ saltauerũt, qui nescierũt manibus suis plaudere, ascitæ sunt gẽtes quæ spiri-
Eccl. 4 tualẽ deo plausum dederunt. Stultus enim cõplexus est manus suas, & deuorauit uisce-ra sua, id est, corporalibus se implicauit negocijs, & deuorauit uiscera sua sicut mors prę-ualens, & ideo nõ inueniet uitam æternã. Sapiens aũt attollens opera sua, ut lucerẽt co-rã patre suo qui in cœlis est, nõ absumpsit, sed eleuauit uiscera sua usq; ad resurrectionis gratiam. Hæc glorioſa sapiẽtis saltatio, quam saltauit Dauid, & ideo usq; ad sedẽ Christi sublimitate spiritualis saltationis ascendit, ut uideret atq; audiret dicentem dominũ do-mino suo: Sede à dextris meis. Ergo si nõ absurde cecidisse nobis hanc de saltatione in-
Psal. 109 terpretationẽ iudicas, non supersedeas adhuc lectionis labori, ut etiam de Esaia mecũ
Esa. 20 recenseas, quod bene tibi cognitũ est, illum non ludibriose sed glorioſissime denudatũ esse in cõspectu populorũ occurſantium, utpote qui oracula domini ore proprio resul-tabat. Sed forte aliquis dicat: Non igitur erat turpe, ut uir nudus omnino iret per popu-los, cũ ei & uirilis sexus & muliebris occurreret? Non ipsa species offendebat oculos o-mniũ, & maximè mulierũ? Non ne ipsi nos inspicere nudos plerũq; reueremur? Deniq; idcirco indumentis operiuntur genitalia hominũ, ne deformi uisu obtutum aciẽq; per-stringant oculorũ intuẽtium. Acquiesco & ego: sed considera quæ figura sit facti huius,
Ibidem quid ue prætendat species huiusmodi. Eò quod ita nudi ambulabũt pueri Iudęorum &
6 uirgines in captiuitatẽ deducti, sicut puer, inquit, meus Esaias uadit nudus & excalcia-tus. Potuit quidẽ hoc & sermone exprimere, sed exemplo acerbare maluit: ut species ip-sa plus incuteret horroris, et quod in prophetæ corpore auersabant, in se pertimescerẽt. In quo igitur horror grauior turpitudinis, in corpore prophetę, an in perfidorũ peccato quod tãtam meritis suis ærumnã incidit captiuitatis? Quid si in propheticò corpore ni-
Psal. 34 hil opprobrij? Ille enim corporalibus nõ intendebat, sed spiritualibus. Nanq; in excessu mentis non dicit: Audiam quid loquar, sed quid loquatur in me deus. Neq; attẽdit utrũ
Gen. 3 nudus, an uestitus sit. Deniq; Adam ante peccatũ nudus erat, sed nudũ se nesciebat, quia erat indutus uirtutibus. Postea quàm uero peccatũ commisit, nudũ se esse uidit & texit.
Gen. 9 Noe nudatus erat, sed nõ erubescebat, quia erat plenus iucũditatis, & spiritualis lætitiæ. Deniq; qui eum risit ut nudũ, ipse mãsit perpetuę obnoxius opprobrio turpitudinis. At
Gen. 39 uero Ioseph ne turpiter nudaret, uestem reliquit, & nudus aufugit. Quis igitur turpis, il-la quæ uestẽ alienam tenuit, an is qui suam exuit? Sed ut plenius liqueat quia nõ se, neq;
Act. 7 ea quæ iuxta pedes sunt, prophetæ aspiciunt, sed cœlestia, lapidabatur Stephanus, & ui-debat cœlos apertos, & Iesum ad dexteram dei stantẽ: & ideo lapidum ictus nõ sentie-bat, corporis non cõsiderabat uulnera, sed oculis erat Christo affixus, illi adhærebat. Er-
Esa. 20 go & Esaias nudũ se nõ conspicabatur, sed diuinæ uocis organũ se præbebat, ut prome-ret quod in eo loquebatur deus. Sed esto ut se uideret, poterat non facere quod iubeba-tur? Poterat turpe arbitrari quod imperabat deus? Sara quia risit, incredulitatis coargu-
Gen. 18 ta est, Abraham laudatus, quia in uerbo dei non hæsitauit. Et donatus remuneratione
Ibid. 15 et 22 maxima, quia iubẽte deo piè posse fieri credidit etiam parricidium. Hic igitur quid uere
7 cundiæ esset prophetæ, ubi aliud gerebatur, & aliud figurabatur? Iudæi propter flagitia sua destituti à domino deo, cœperant uinci ab aduersarijs suis, conferre se uolebant ad Aegyptios, ut sibi essent præsidio aduersum Assyrios, qui redire magis ad fidem, si bo-nos consulerẽt debuissent. Iratus dominus significat uanam illos spem gerere, qui offen-sam domini putarũt maiore peccato leuandam, cum illi ipsi uincendi forent, in quorum auxilijs populus Iudęorũ confideret. Hoc secundum historiam. Figurat aũt illa, quia in Aegyptijs confidit qui luxurijs deditus est, mancipatus lasciuiæ. Nemo autem se luxui cõmittit, nisi qui recedit à præceptis dei ueri. Vbi autem cœperit quis luxuriari, incipit deuiare à fide uera. Ita duo committit maxima crimina, opprobria carnis, & mẽtis sacri-legia. Ergo qui non sequitur dominum deum suum, ingurgitat se luxuriæ ac libidini, pe-stiferis corporis passionibus. Qui autẽ se ingurgitauerit atq; immerserit huiusmodi uo-
Exod. 32 luptabris, perfidiæ laqueos incurrit. Sedit enim populus mãducare & bibere, & fieri sibi
8 deos alienos popoſcit. Vnde docet dñs quoniam qui duobus istis flagitiorum generi-bus dederit animã suam exuitur indumento, non uestis laneæ, sed uiuidæ uirtutis, cuius amictus non temporalis, sed æternus est. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui.

Diui Ambrosii ad Chromatium, ex illo quod in libro Numerorum à Balaam dictum esse legitur: Quia non mentitur deus, nec est augurator in Israel: discutientis unde habuerit iste qui augur erat, ut oraculum dei loqueretur & futura manifestaret.

Epist. XXXVII.

AMbrosius Chromatio. Nunquid nam mentitur deus? Sed non mẽtitur, quia impossibile est mentiri deum. Impossibile quoq; istud, nunquid nam infirmitatis est? Non utiq;. Nam quomodo omnia potest, si aliquid efficere non potest? Quid ergo ei impossibile? Non quod uirtuti arduum, sed quod naturæ eius cõtrariũ. Impossibile, inquit, est ei mentiri. Impossibile istud non infirmitatis est, sed uirtutis & maiestatis: quia ueritas non recipit mendaciũ, nec dei uirtus leuitatis errorem. Idcoq; sit deus uerax, omnis autem homo mendax. Veritas itaq; semper in eo est, fidelis manet, mutare se & negare nõ potest. Si enim uerũ se negat, mentitur: mentiri autẽ, non uirtutis sed infirmitatis est. Nec mutare se potest, quia natura eius non recipit infirmitatem. Hoc igitur impossibile eius, plenitudinis est, quæ minuere se & augere nõ potest, non infirmitatis, quæ in eo quod se auget, imbecilla est. Ex quo colligitur impossibile dei potentissimũ esse. Quid enim potentius quàm nescire quicquid infirmitatis est? Est tamen & aliud infirmum dei, quod fortius est hominibus: & stultum dei, quod sapiẽtius est hominibus: sed hoc crucis, illud diuinitatis. Si ergo quod infirmum eius, potẽtia est: quod potentiæ, quomodo infirmum est? Sit igitur nobis positum, quia nõ mentit deus. Sed nec augurator augurij in Israel, secundum legem dei. Quomodo ergo Balaã prohibitum se oraculo dei dicit ut uadat ad maledicendum populo Israel, & iuit, et occurrit ei Angelus domini qui eum prohiberet pergere, ita ut obsisteret Asinæ eius quæ uehebat eum, & nihilominus & ipse dixit ei ut iret, sed hoc diceret quod sibi infunderetur? Si augurator non est in Israel, unde isti oraculum dei quod futura manifestauit, qui augur erat? Si oraculum dei loquebat, unde meritum diuinę aspirationis assumserat? Sed non mireris infusum auguri à domino quod loqueretur, quando infusum legis in Euãgelio etiam principi synagogæ uni ex persequentibus Christum: Quia oportet unum hominẽ mori pro populo. In quo nõ prophetię meritũ, sed assertio ueritatis est, ut aduersario rum testimonio manifestaretur, quo perfidia non credentium, uocibus suorum augurũ redargueretur. Ideo Balaã ille Chaldæus accitur ad fidem, ut Chaldæorũ superstitio conticesceret. Non igitur confitentis meritum, sed uocantis oraculum est reuelante dei gratia. Quid igitur contraxit offensionis, nisi quia aliud loquebatur, aliud machinabatur? Deus enim uas mundum requirit, non immunditia inquinatum & sordibus. Tẽtabatur igitur Balaam, non probabatur. Erat enim plenus fallaciæ ac doli. Deniq; cũ primo consuluisset utrũ ad illum uanitatis populũ deberet pergere, & prohibitus esset, excusauit: postea missis legatis honoratioribus, promissis uberioribus, muneribus cumulatioribus illectus, qui renunciare debuerat, iterum consulendum putauit, quasi deus aut precio aut muneribus inflecteret. Responsum est quasi auaro, non quasi ei qui uerũ quæreret: ut illuderet potius, quàm informaret. Cœpit ire, occurrit ei Angelus in angusto, demõstrauit se asinæ: non demõstrauit auguri. Illi se reuelauit, istum obtriuit: tamen ut aliquando & ipse cognosceret, aperuit oculos eius: uidit, & adhuc tamen non credidit euidenti oraculo: & qui uel oculis credere debuisset, inuoluta & ambigua respõdit. Tũc indignatus dominus, per Angelum dixit: Vade, & quæcũq; tibi inspirauero, hæc dices, id est, non quæ uis, sed quæ cogeris loqui. Quasi organum inane sonum meis prębebis seruitutibus. Ego sum qui loquar, non tu: qui ea quæ audieris resultabis, & quæ non intelliges. Nihil proficies eundo qui sine mercede remeabis pecuniæ, & sine profectu gratiæ. Deniq; ea prima uox eius est: Quid maledicam cui nõ maledicit deus? Vt ostẽderet nõ in sua uoluntate esse benedictionem Hebræi populi, sed in dei gratia. A summis, inquit, montibus conspiciam eum, quoniam non oculis comprehendere possum hunc populum qui habitabit solus fines suos, non locorum possessione disterminãs, sed uirtutis incolatu, & morum singularium proprietate, in æterna diffundẽs secula. Quis enim annumerabitur ei de nationibus aliis, qui finitimorum populorum excedit consortia iustitię sublimitate? quis cõstitutionẽ generationis eius colliget? Corpora quidem eorũ humanis seminib. concreta & figurata aduertimus, sed de superioríb. & miralibus seminarijs

A

Heb. 6

Rom. 3

1

1. Cor. 1

ad Tit. 1

Num. 23

2

Ioan. 11

Num. 23

animæ

animæ eorum pullulauerunt. Moriatur anima mea in animis eorum, moriatur hãc corporalẽ uitam, ut in animis iustorũ illius æternæ uitę adipiscatur gratiã. In quo iam tunc sacramenti huius cœlestis & sacri baptismatis reuelata est magnificẽtia, per cuius operationẽ moriuntur homines culpæ ueteri, & iniquorum operibus, ut nouitate uitæ in cõsortia iustorum transfigurati, in eorum mores resurgant. Et quid mirum de hominibus, Rom. 6 cum morianꝰ peccato, ut deo uiuant? Hæc audiens Balach, indignatus est dicẽs: Ad maledicendum te adduxi, & tu benedicis? Respondit ille: Calumniam patior de eo quod nescio. Ego enim nihil meũ loquor, sed quasi cymbalum tinniẽs sonum reddo. Iterum aliò atq; aliò transductus, cum uellet maledicere, benedicebat: Non est labor in Iacob neq; dolor, deus illum protegit. Et infra iubet parari aras septem & sacrificia. Vtiq; debuit discedere, sed per infirmitatẽ mentis, & mutabilitatẽ sententiæ putabat quod auertere posset dei uoluntatẽ. Ipse autem per excessum mẽtis aliud cupiebat, & aliud loquebatur. Quàm speciosa, inquit, habitacula tua Iacob, ô Hebręorum militia. Tabernacula tua sicut nemora obũbrantia, sicut paradisus supra fluuium, & sicut cedrus secus aquas. Exibit homo ex Iacob, & obtinebit multas gentes, & attolletur regnum eius in altũ, in Num. 24 terris quoq; extendet principatum suum in Aegyptum. Qui benedicent eum, benedicentur: & qui maledixerint ei, maledicti erunt. Quem igitur nisi Christi populum significat quẽ benedicit deus? In cuius medullas uerbũ dei descendit usq; ad diuisionem animæ, artuum quoq; & medullarum: in quo habuisset Balaam gratiam domini, si id exsententia & affectus sui proposito fecisset. Sed quia reuincitur mala mens consilijs suis, & Heb. 4 occulta animi produntur exitu, ideo sequentibus insidijs animus eius aperitur. Vnde et dignam mercedem suæ inuenit maleuolentię. Nam cum aduerteret quod non posset in excessu mentis positus maledicere, dat consiliũ regi dicens: Illa sint oraculorũ quæ deus præcepit, accipe consilium aduersus oracula dei. Populus iste iustus est, habet protectionem dei, quia non diuinationibus & augurijs sese dedit, sed soli æterno deo: ideo cæteris fide præstat. Interdum tamen & fideles mentes corporis labuntur illecebra, & formę lenocinio. Sunt tibi mulieres plurimæ, & pleræq; non indecores pulchritudine. Virilis autem sexus nullo magis lubricus quam muliebri decore: cito capitur, & maxime si ar-
3 dor mentium alloquijs inflammetur frequentibus, & quasi facibus inardescat, si spẽ potiẽdi hauriat, effectum differat. Iaciant igitur mulieres tuæ uocibus suis hamos, nec diffi-
4 ciles primos congressus suos præbeant, sed & uisu faciles, & dictu affabiles circũferrent, & toto se circunfundant exercitui, atq; hos arte tractent uiros, ut concubitu non indulgeant, nisi amoris mutui fidem consortio sacrilegij comprobauerint. Sic enim poterunt cœlesti protectione destitui, si ipsi à domino deo suo sacrilegijs deuiauerint. Non igitur iustus Balaam utpote consiliarius fornicationis & sacrilegij, sicut euidẽter etiam in Apocalypsi scriptum est Ioannis Euangelistæ, dicente domino Iesu ad Angelum Eccle- Apoc. 2 siæ Pergami: Habes illic tenentes doctrinã Balaam, qui docebat Balach mittere scandalum coram filijs Israel, manducare immolata, & fornicari: Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Quo apparet inde Manichęorum sacrilegia manasse, qui miscẽt atque adiungunt sacrilegiũ turpitudini. Ergo nec deus iniustus, nec mutabilis eius sententia. Deprehendit enim mentem eius, & occulta cordis, & ideo tentauit eum quasi diui-
5 num, non elegit quasi prophetam. Et utiq; uel tantorum oraculorum gratia, & reuelationum sublimitate conuerti debuit: sed animus nequitiæ plenus uerba prompsit, non fidem detulit, consilijs infirmare cupiens quod annunciabat futurum. Et quia oracula fraudare non poterat, consilia fraudulenta subministrabat, quibus leues populi Iudæorum tentati quidem sunt, sed non expugnati. Vnius enim uiri sacerdotis iustitia, solutũ est omne facinorosi hominis cõsilium: multoq; mirabilius per unum hominem potuisse liberari exercitum patrum, quàm potuisse decipi. Hoc munusculum sanctæ menti tuæ transmisi, quia uis me aliquid de ueterum scriptorum interpretationibus pagināre. Ego autem assumpsi epistolas familiari sermone attexere, redolentes aliquid de patrum moribus, quarum gustum si probaueris, post hæc huiusmodi mittere non uerecundabor. Malo enim senilibus uerbis de supernis rebus hallucinari tecum, quod Græcè dicunt ἀδολεσχίαις γηραλαίαις περὶ τῆν ἄνω ἀδολεσχεῖσθαι, ut enitente Rebecca futurę Ecclesiæ animo uidens mysteria: malo inquã hallucinari tecum uerbis senilibus ne uidear

artem

artem deseruisse, quàm cõcitatioribus deflare aliquid iam nec studijs nostris aptum nec uiribus. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Horontianum, rationẽ huic quæstioni reddentis, cur prius omnia uel uolatilia uel terrestria, uel quæ in aquis sunt, producta fuerint, quã homo, propter quem cuncta illa creata sunt, formaretur. Epist. XXXVIII

Mbrosius Horontiano. Moueri te insinuasti mihi lecto hexaemero quod
A ipse scripsi: quia cum tantum diuinæ scripturæ serie uel stylo sermonis mei collatum aduerteres homini, quãtum nulli in hac terra animantiũ, prius omnia uel uolatilia, uel terrestria, uel quæ in aquis sunt, produxerit terra uel aqua, quàm homo propter quem illa creata sunt generaretur: eiusq; rei rationem de me requirere, quã & Moyses siluerit, & ego nõ auserim attingere. Et forte ille oraculi interpres diuini consilio conticuerit, ne cœlestis dispositionis arbitrum se & consiliariũ præstare uideretur. Aliud est enim loqui quod infundebatur à dei spiritu, aliud uoluntatem dei interpretari. Nos autem non quasi interpretes dei, sed quasi ex usu humano rationis seminaria colligentes, existimamus posse nos ex eo quod humano usui in cæteris rebus ipse dominus infuderit, opinari, quoniã decuit hominem postremũ creari. Etenim qui conuiuium adornat, ut ille Euãgelicus diues (oportet enim diuina diuinis cõferamus, quo melius colligere possimus) utiq; omnia prius præparat, tauros & saginata occidit, & tunc amicos ad cœnam inuitat. Prius ergo quæ leuiora sunt parãtur, & tunc rogatur honoratior. Vnde & dominus homini ante animalium cæterorum præparauit epulas, tunc ipsum quasi amicum ad suum uocauit cõuiuium. Et uerè amicum, quasi charitatis diuinæ participẽ, & hæredem gloriæ. Deniq; ipse dicit: Amice, quomodo huc ueneisti ad nuptias? Præcedentia ergo ministeria sunt, amicusq; postremus rogatur. Accipe aliud. Quid est mundus, nisi quidam agon plenus certaminũ? Vnde & in Apocalypsi dominus ait: Vincenti dabo coronam uitæ. Et Paulus ait: Certamen bonum certaui. Et alibi: Nemo nisi qui legitime certauerit, coronatur. Huius agonis instaurator utiq; omnipotẽs deus est. Qui igitur agonem suscipit in hoc seculo, nónne omnia præparat quæ agoni sunt necessaria & tunc Athletas uocat, paratis præmiorum insulis certaturos ad coronam, ne morã patiatur qui uicerit, sed præmio donatus recedat? Præmia ergo hominis, terrarum fructus sunt, & cœli lumina. Illa ad uitę præsentis usum, hęc ad spẽ uitę æternæ. Quasi athleta igitur postremus ingreditur in agonẽ, erigit ad cœlum oculos, uidet quia & cœlestis creatura uanitati subiecta est nõ sponte, sed propter eum qui subiecit eam in spe. Videt quia omnis creatura congemiscit, expectans redemptionẽ. Videt quia omnis manet labor: erigit oculos, uidet coronas luminum, lunæ & stellarum globos considerat. Quoniã iusti qui uicerint, erunt sicut stellę in cœlo. Et castigat corpus suum, ne sibi aduersetur in certamine, ungit oleo misericordiæ, exercet diurna uirtutis palæstra, puluere se oblinit stadij, currit non quasi in incertum, ictus dirigit, lacertos excutit, sed non inuacuum, percutit aduersarium quem non uidet, quia illum solum attendit, cui cedũt omnes etiã qui non uidentur, in cuius nomine potestates aereæ diuerberantur. Ille ergo ictũ librat, & Christus percutit: Ille calcem leuat, & Christus in uulnus dirigit. Deniq; etsi non uidebat Paulus quos cæderet, non quasi aera tamen cædebat: quia in Christi prædicatione omnes spirituales nequitias quæ sibi aduersabantur conuulnerabat. Nõ immerito ergo postremus homo ingressus est stadium, cui parabatur corona, ut eum præcederet cœlũ, quasi sui prẽmium. Sed non solum aduersus nequitię spiritualia quę sunt in cœlestibus, sed etiam aduersus carnem & sanguinem lucta nobis. Lucta aduersus satietatem, lucta cum ipsis frugibus terræ, lucta cum uino quo etiã iustus inebriatus est, quo etiã integer Iudæorũ exercitus supplantatus est: lucta cum feris bestijs, lucta cum uolatilibus cœli, quibus caro saginata nõ redigitur in seruitutem: lucta cum periculis itinerum, periculis fluminum, ut ait Paulus: lucta cũ uirgultis arborũ, quibus cędebantur Apostoli. Vides quanta certamina. Terra ergo exercitium est hominis, cœlum corona. Aut quasi amicum igitur precedere debuerunt ministeria, aut quasi athletã corona & prẽmia. Specta aliud. In omnibus rebus prestantiora sunt principia & finis. Si domũ cõsideres, potiora omnibus fundamenta & culmina: si agrũ, satio & messis, plantatio & uindemia. Quàm iucunda insitiua arborũ, quã fructus uotiui? Ita ergo & cœlũ primo est conditũ, nouissimus ho-

Matth. 22

Matth. 22

Apocal. 2

2. Timo. 4

2. Tim. 2

Rom. 8

1

1. Cor. 9

2

Ephes. 6

1. Cor. 11

3

4

mus homo quasi quædam cœlestis in terris creatura. Nã etsi corpore cũ bestijs cõfertur,
1.Cor.15 animo tamẽ cœlestibus annumeratur. Sicut enim portauimus imaginẽ terreni, ita porta
mus & imaginẽ cœlestis. Quomodo nõ cœlestis, qui ad imaginẽ & similitudinẽ factus
est dei? Recte ergo in cõstitutione mundi primum cœlũ, & nouissimum cœlum, in quo
quod ultra cœlũ est, deus cœli est. Denicꝙ de eo magis accipitur: Cœlum mihi thronus.
Non enim deus supra elementum sedet, sed in corde hominis. Vnde & dominus ait: Ve
Ioann.14 niemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Principiũ ergo operis mundani cœ
lum, finis homo. Cœlum de mũdo, homo supra mundum. Illud enim mundi portio, iste
paradisi incola, Christi possessio. Cœlum incorruptibile putatur, & præterit: homo cor
ruptibilis habetur, & incorruptionem induit. Illius figura perit, iste quasi immortalis re
surgit. Vtrumꝙ tamen manus domini fecerunt, secundum scripturæ authoritatem. Si
Psalm.101 cut enim de cœlis legimus: Et opera manuum tuarum sunt cœli, ita & homo dicit: Ma
Psalm.118 nus tuæ fecerunt me, plasmauerũt me. Similiter quoꝙ cœli enarrant dei gloriã: & ut cœ
Matt.5 lum stellarum fulget splendoribus, ita & homines meritorum luminibus micant, quorũ
opera coram patre suo lucent, qui est in cœlis. Firmamentum cœli supernum illud, hoc
Matth.16 quoꝙ non dissimile firmamentum, de quo dictum est: Super hanc petram ædificabo Ec
clesiam meam. Illud firmamentum elementorum, hoc uirtutum. Iam illud præstantius:
suxerunt oleum de firma petra. Petra enim caro Christi, quæ cœlum & totum mundum
redemit. Quid illa attexam, & quasi toto stadio te urgeam, quòd hominem deus diuinæ
2.Pet.1 fecit consortem naturæ, sicut in epistola Petri legimus? Vnde non immerito quidã ait:
Acto.17 Cuius & genus sumus. Dedit enim nobis de cognitione sua, rationabilis scilicet naturę
ut queramus illud diuinum quod non longe est ab unoquoꝙ nostrum, in quo & uiui
mus & sumus & mouemur. Cùm itaꝙ contulisset homini quod est gratiarum maximũ,
quasi charissimo & domestico animanti concessit ea quæ in hoc mundo sunt omnia, ut
nullius indigeret quod esset necessarium uel ad uitam, uel ad bonã uitam. Quorũ alia mi
nistraret abundantia copiarum terrestrium ad uoluntatis perfunctionem, alia cognitio
secretorum cœlestium, quæ mentem inflammaret hominis amore, & desiderio discipli
narum, per quas ad sublime illud diuinorum penetraliũ possimus peruenire. Vtrumꝙ
igitur prestantissimũ, ut & subiectas haberet omnes mundi opes, omnia uolatilia, terre
stria, etiã pisces, & usum maris, tanquam rex elementorum, ac sine labore, sine indigen
tia ad imitationem & similitudinẽ uenerandi authoris abundaret omnibus, atꝙ in sum
ma degeret copia, & uias sibi aperiret, gradusꝙ admoueret, per quos ad cœli ascendat
regiam. Cuius difficilis itineris uiatorẽ non facile reperies, illum uirum qui ita sit animi
inductione formatus ac uoluntate, ut minima sibi cum suo corpore sit familiaritas, neꝙ
5 in ullum ingrediatur uitiorum contubernium, nullis assentantium pumicetur sermoni
bus: neꝙ in rotis secũdorum temporum positus humiles fastidiat, mœsta fugiat, sancto
rum laudes excutiat atꝙ eleuet, neꝙ glorię ardore aut pecunię presumptę, spei omnem
exurat cupiditatem. Cuius animum non inflectat mœstitia, non frangat iniuria, nulla so
licitet suspicio, libido non exagitet, non expugnent passiones corporis, non inequitet
uanitatum appetentia, uoluptatum gratia. Iam si adiungas ei uirtutes, castimoniã, sobrie
tatem, ac temperantiam, facile refrænare potẽs sit immoderatos impetus leuium passio
num, mensuramꝙ imponat delectationibus suis & cupiditatibus, æquitate ambigua di
stinguat, tranquillitate mentis dubia componat, & uelut compositis omnibus corporis
& mentis iurgijs, quasi bonus arbiter inoffensam teneat exterioris hominis atꝙ interio
ris concordiam, placidans eos in semetipso, ac si caussa exigat, nullus eum malus consi
liarius reuocet metus à passionis corona, is plane nõ solum quasi amicus, sed etiam qua
si filius assumetur à patre ut diuitias glorię & hęreditatis eius adipiscatur. Merito ergo
postremus quasi finis naturę formatus ad iustitiam inter cętera animantia iusti arbiter.
Rom.10 Et si licet exemplum arcessere, sicut inter homines finis legis Christus ad iustitiam om
ni credenti, & nos tanquam iumenta contemplatione domini: sic enim propheta ait,
Psalm.2 κτηνώδης ἐγενήθην παρὰ σοί, id est, iumentum existimatus sum apud te, & quę tamen compa
ratio, cùm ille pereũtes redemerit, nos immolemus? ille seruos ad libertatem uocauerit
nos liberis irrogemus captiuitatẽ? Sed quis similis deo processit? Tamẽ postremus crea
turarũ omnium homo, specie gratus, mente sublimis, ut omni esset creaturę miraculo.

In quo

In quo ad similitudinem æterni dei νοῦς esset inuisibilis, humana specie amictus. Hic est νοῦς animæ uigor, principatum animæ & corporis sibi quasi rector uindicans. Quem etiam si non uident animalia cætera, tamen reformidant, sicut nos deum: quem quia non uidemus, timemus, & eo plus metuimus, quia non uidemus. Namq; ut ad imaginẽ eius & similitudinem, sicut scriptũ est, præsumamus dicere, cùm ille se fundat maiestatis suæ plenitudine, & uideat omnia, cœlum, aerem, terram, mare, complectens uniuersa, & penetrans per singula, ut eum nihil prætereat, & nihil sit quod non consistat in eo, atq; ex ipso pendeat, & ipsius plenum sit, sicut ipse ait: Cœlum & terram ego cõpleo, dicit dominus: ait νοῦς hominis uidet omnia, & nõ uidetur, habens sui inuisibilem substantiam, disciplinis & cõsilijs ac sensibus cõprehendit latentia, penetrat occulta maris, atq; omnium diffusa terrarum latibula, utriusq; scrutator naturæ, ad similitudinem dei summi, quem imitatur & sequitur, cuius imago pro exiguis portionibus in singulis figuratur, eleuans quoq; se in aerem, & eius nubilosa prætergrediens, ad cœli alta se dirigit studio cognitionis, & ardore sapientiæ, ubi paulisper stupefactus admiratione stellarum cœlestiũ, & luminũ delectatus claritate, prospiciens desuper mundana ista, conferens quoq; se ad hesperum atq; arcturum & cæteros illos ἀπλανεῖς πλανήτας, & uidens quòd infensus ille sit error, quem sine errore, quo magis omnia obeant, intexere atq; oberrare uideantur, maiore se cupiditate attollit ad ipsum gremiũ patris, in quo est unigenitus dei filius enarrans secreta dei, & facie ad faciem postea reuelanda. Nunc tamen quibus dignatur ex parte demonstrat, atq; in ænigmate, simulq; de spiritu & uultu suo splendorẽ luminis more torrentis effundit, ut eo illuminatus dicat: Et erat ignis flammigerans in ossibus meis, & dissolutus sum undiq;, & ferre non possum. Et Dauid ait: De uultu tuo iudicium meum prodeat. Hoc igitur mẽtis uigore, ut reuertar unde digressus sum, quo & externa subigit, & separata & distantia uidet, & ualidiora uiribus animalia subijcit, tantam cæteris ueneratiõnẽ sui infundit, ut certatim quasi regi obediant, uoci eius obsecundent. Et cum sint irrationabilia, rationem agnoscant, & disciplinam eam imprimat, quam natura non tribuit. Deniq; uidentes feræ eius mansuetudinem eius imperio mansuescunt. Sæpe suspenderunt morsus suos reuocante sono uocis humanæ. Videmus innoxio canum dente lepores sine uulnere capi, Leones quoq; ipsos, si uox hominis resultauerit, prædam dimittere, Pardos atq; ursos incitari ac reuocari uocibus: equos plausu hominum fremere, silentio mollire cursum. Deniq; sæpe sine uerbere prætereunt uerberatos, ita uehementius illos incitat linguæ flagellum. Quid uero de muneribus loquar? Nutrit aries uellera, ut placeat homini, atq; in fluuio mersatur, ut nitorem augeat. Oues quoq; meliora pabula legunt, ut suauiore succo lactis fœta distendant ubera, subeũt partus dolores, ut homini sua munera ferant. Tauri depresso sulcis per totum diem aratro gemunt, Cameli præter subeundi oneris obsequia tondẽdos se exhibent ut arietes, quo uelut regi diuersa animalia tributum suum conferant, pendantq; uectigal annuum. Equus tanto se iactans equite, glomerat gressus superbos, atq; ad domini adscensum dorsa sinuatus, herili terga substernit sedili. Sed ne forte adhuc moueat quòd nouissimus homo factus sit, idem equus nos doceat, non ad contemptionẽ referendũ esse, sed honorẽ. Portat posteriorem suum, nec despicit, sed reformidat, & perdiuersa eum suo circunfert labore. Vno momento homo longinqua obit, circumerrat distantia, tum equis singulis, tum quadrigis triũphalibus. Et quoniã triumphales memorauí quadrigas, necesse est attexã ijs currus Heliæ, quibus per aera uectus est. Currus elephantorũ, quibus homo uictor assistens, cùm sit postremus, priores regit. Sic quoq; gubernator nauis in puppi sedet, & totam nauẽ gubernat. Vnde puto illud non ociosum esse in Euangelio quod dominus Iesus in puppi dormiebat: deniq; excitatus imperauit uento & mari, & sedauit tempestatem, ostendẽs ideo se nouissimũ uenisse, quia gubernator ueniret. Vnde Apostolus ait: Factus est primus homo Adam in animam uiuentẽ, nouissimus Adam in spiritum uiuificantem. Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. Et addidit: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Recte ergo nouissimus quasi totius summa operis, quasi causſa mundi, propter quẽ facta omnia, quasi omniũ habitator elementorũ inter feras uiuit, cũ piscibus natat, super aues uolat, cõuersatur cum angelis, terrã inhabitat, & cœlo militat, sulcat mare, aere pascitur

Gene. 1

Hierem. 2

7

Hierem. 26 Psalm. 16

8

9

10

4. Reg. 2

Matth. 8

1. Cor. 15

Exod. 12 scitur, cultor soli, uiator profundi, piscator in fluctibus, in aere auceps, in cœlo hæres,
Daniel. 14 Christi cohæres. Hęc secundum industriam. Accipe etiam quod supra hominis substan
3. Reg. 17. & tiam. Moyses in imo ambulauit mari, in summo Apostoli, Abacuch sine pennis uolauit
4. Reg. 2 Helias in terris uicit, & in cœlo triũphauit. Vale fili, & nos dilige, quia nos te dilígimus.

Diui Ambrosii ad Horontianum, de diuisione prophetica quæ operatorem atq; opera distinxit. Ratione quoq; sex dierum quibus factus est mundus, & mysterio septimi atq; octaui numeri subtiliter differentis. Epistо. XXXIX

Mbrosius Horontiano. Diuisionem egregiè aduertisti propheticam, uel potius diuinam. Non enim sua Moyses, sed infusa & reuelata sibi scripsit, ea præcipuè quæ sunt de constitutione mundi, quę diuisio operatorem atq; opera distinxit. Nã cum aliud impassibile esset, aliud passionis receptabile: quod erat impassibile, ad deum operatorem retulit: quod autem passibile, sine anima, sine motu proprio, mõtum & animam & figuram à creatore accipiens suo, deputauit huic mundo. Quem factum non oportuit sine gubernatore & quodã parte indefensum relinqui. Et ideo inuisibilem deum uisibilis huius mundi rectorẽ esse, & quasi tutorem, apertissimè describet. Quod ergo inuisibile, sempiternum: quod autem uidetur, temporale. Sex itaq; diebus factum mundum exprimit, non quod deus tempore indiguerit ad constitutionem
Psalm. 148 eius, cui intra momentum suppetit facere quæ uelit, (dixit enim, & facta sunt) sed quia ea quæ fiunt, ordinem quærunt. Ordo autem tempus & numerũ plerumq; exigit. Illud quoq; præcipuè, quoniam nobis ad operandum formam daturus, numerum dierum seruauit & tempora. Nos enim tempore indigemus ut aliquid maturius agamus, ne præci
Gene. 1 pitemus consilia atq; opera nostra, ne ordinem prætermittamus. Cùm enim Deum legimus, ut scriptura ostendit, cum sapientia & quodam consilio & dispositione fecisse & ordine, ut primo cœlum faceret quod est pulcherrimũ, oportet ut eò primum oculos erigamus, illò nobis contendẽdum esse arbitremur, illam sedem terrenis omnibus præfe-
Gene. 2 rendam putemus. Sex itaq; diebus mundum creauit, septimo die requieuit ab operibus suis. Bonus septimus numerus, quẽ non Pythagorico & cæterorum philosophorũ more tractamus, sed secundum formã & diuisiones gratiæ spiritualis. Septẽ enim uirtutes
Esa. 61 principales sancti spiritus propheta Esaias cõplexus est. Hęc hebdomas sicut ipsa patris & filij & spiritussancti uenerabilis trinitas, sine tempore, sine ordine, author numeri, nõ sub numeri lege deuincta. Itaq; sicut ad ęternæ trinitatis gratiam, cœlũ, terram, maria formata, sicut sol, luna, & stellę: ita etiam ad illum septenariũ uirtutum spiritualium circuitum atq; orbem, operationis diuinæ uigore pręstantem, septenarium quoddam ministerium planetarũ creatũ aduertimus quo hic mundus illumínatur. Quarũ concurrere fertur militia ad earum numerũ quas inerrabiles ferunt stellas, & ut Greci dicunt ἀπλανῆς. Septentrio quoq; inde Latinè nomen accepit quòd septem in eo fulgor stellarum irradiet, in quem maxime gubernatores quasi ducem feruntur intendere. Descendit hęc de cœlo in terras prærogatiua. Nam ut transeam septiformem capitis nostri gratiam, in oculis duobus, auribus & naribus binis, ore quoq; per quod magnam suauitatem percipimus: quantum istud miraculi, quod septimo mense in plerisq; origo legitima formatur, & qui fuerit editus, uitalis generationis curricula sortitur? octauo autem mense interdicta naturali lege pariendi cernimus tempora, ac si forte letalis necessitas partus claustra laxauerit, periculum pariter generantis properetur & pignoris. Sed tamen ille septimanus, etsi bene nascatur, ad labores nascitur: qui autem octaua die regenerationis sortitur mysteria, consecratur per gratiam, & ad hæreditatem regni cœlestis uocatur. Magna in uirtutibus spiritus sancti hebdomadis gratia, eadem tamen hebdomadẽ sonat, ogdoen consecrat. in illa sonus, in ista fructus est: ideoq; octauo die soluta paradiso reddidit spiritus gratia, quos extorres sua fecerat culpa. Nouit ogdoen istam, quam octauam Latinè
Eccle. 11 dicimus, Vetus testamentum, siquidem ait Ecclesiastes: Da partem illis septem, & illis quidẽ octo. Hebdomas Veteris testamẽti est, octaua Noui, quãdo Christus resurrexit,
Psalm. 117 & dies omnibus nouæ salutis illuxit. Ille dies, de quo ait Propheta: Hic dies quem fecit dominus, exultemus & lætemur in eo. quo die se fulgor plenæ atq; perfectæ circuncisionis humanis pectoribus infudit. Propterea & Vetus testamentum dedit partem octauæ in circunsionis solennitate. Sed illa adhuc in umbra latebat. Venit sol iustitiæ, & cõsum-

mationę

matione passionis propriæ reuelauit sui luminis radios, quos retexit omnibus, & uitæ claritatem aperuit æternæ. Isti ergo sunt septē & octo, de quibus & Osee dicit quòd eo numero conduxerit sibi, & acquisierit fidei plenitudine. Sic enim habes: Et abij, & conduxi mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & semicoro hordei, & neuel uini. Conducendam autem ei meretricem dominus præceperat. In superioribus itaq; manifestū est quòd conduxit eam, qui etiam mercedis quantitatem expressit. Quindecim autem argentei ex septem, & octo constant, hebdomadam itaq; & octauam significant. Duorum igitur testamentorum, id est, plenæ fidei precio prophetia consummationem accepit fidei, Ecclesia plenitudinem. Primo enim testamento Israel acquisitus est populus, secundo nationum & gentium. Fide ergo plena conducitur meretrix, uel ex gentibus copulam sui quærens, uel ex adultero Iudæorum populo, qui dominum suum & authorem uirginalis fidei dereliquerat, conuentus suos totius orbis spatio diffundens. Quod autem dixit, in coro & in semicoro hordei: in coro mensuræ plenitudo est, in semicoro semiplena mensura. Plenitudo in Euangelio, semipletio in Lege: sicut legimus dicente domino: Non ueni legem soluere, sed implere. Et alibi habemus dicente domino per Micheam prophetam: Quia tunc pax erit in terra Israel, cum uenerit Assyrius in terram eius, & insurrexerint in eum septem pastores, & octo morsus hominū. Tunc enim plena pax est fideli populo ab omnibus tentationibus & uanitatibus absoluto, cùm mundi huius uanitatem excluserint de cordibus nostris pax & gratia. Pax ueteris, gratia noui testamenti. Septem pastores, præcepta legis sunt, quibus grex adhuc quasi irrationabilis in uirga Moysi per desertum ductus & gubernatus est. Octo morsus hominū mandata euangelij, & dominici oris alloquia. Corde enim creditur ad iustitiā, ore confessio fit ad salutē. Boni morsus, per quos uitæ æternæ munus gustauimus, peccatorum remissionem in Christi corpore deuorantes. In Veteri testamento amarus morsus est mortis, propterea dictum est: Deuorauit mors prævalens. In Nouo testamento suauis morsus est uitæ, quæ mortem absorbuit. Propterea Apostolus ait: Deuorata est mors in uictoria sua. Vbi est mors uictoria tua? ubi est mors aculeus tuus? Atq; ut apostolicis utamur testimonijs, ubi hominem fecit deus, requieuit ab omnibus operibus suis in die septima. Sed quia populus Iudæorum per contumaciam cōtempsit mandata dei sui, ait dominus: Si introibunt in requiem meam. Et ideo aliam deus prefiniuit diē, de qua dicit: Hodie si uocem meam audieritis. Duos enim dies cōprehendit scriptura generales, Heri & Hodie. De quibus dicit: Imitamini fidē Iesu Christi, heri & hodie, ipse est in secula. In superiore die promissio est, in cōsequenti solutio. Sed quia hesterna die neq; Moyses neq; Iesus Naue populum induxit in requiem, hodierna die Christus induxit, cui dixit pater: Ego hodie genui te. Per suam enim resurrectionem Iesus populo requiē comparauit. Requies enim in cœlo, non in terra est. Requies nostra, dominus est Iesus, qui ait: Hodie mecum eris in paradiso. Quid igitur opus est, ut explorem ortus signorum atq; obitus, quorum ad exortum duris inarata uomeribus findantur noualia, uel ad occasum læta messis recumbat? Vna mihi stella abundat pro omnibus, stella splendida & matutina, cuius ad exortum seminata est non frugum, sed martyrum seges: quando Rachel plorauit filios suos, ut lachrymis ablutos suis pro Christo offerret infantulos: cuius stellæ obitus non cremiorum insensibilium, sed spirantium defunctorum triumphales manipulos de tumulis resuscitauit. Celebretur itaq; hebdomas, eò quod per septem ætatum cursus uita hominū usq; ad senectutem transcurritur, sicut Hippocrates medicinæ magister scriptis explicuit suis. Prima ætas infantia est, secunda pueritia, tertia adolescentia, quarta iuuentus, quinta uirilis ętas, sexta æui maturitas, septima senectus. Est ergo infans, puer, adolescens, iuuenis, uir, ueteranus, senex. Solon autem decem fecit ætatum ordines per annos septenos, ita ut prima ætas infantię usq; ad emissionem sit dentium, quibus conficiat cibum, sermonemq; distinguat, ut possit effabilis uideri. Pueritia quoq; usque ad annos pubertatis procedit, & genitalia tentamenta. Adolescentia usq; ad barbæ lanuginem. Iuuenta usque ad perfectæ uirtutis processum. Quinta ætas uirilis est, apta copulis coniugalibus per totam hebdomadam. Sexta quoque hebdomas uirili deputatur ętati, & ad prudentiæ processum habili, & ad agendum strenuæ. Septima quoque hebdomas & octaua æui maturum, & sensum uigentem, & sermonem non insuauis

Osee. 3 1

Matth. 5 Micheæ. 5

Rom. 10

1. Cor. 15 Hebr. 4

Psalm. 2

Luc. 23

2 3

Hierem. 13 Matth. 2

4

ſuauis alloquíj gratia prędítum produnt. Nona hebdomas reliquias adhuc habet alí-
quas uirium, lingua ac ſapientia mollior. Decima uero hebdomas menſuram implet, ad
quam is qui peruenire potuerit, nõ immaturo temporum curſu pulſabit mortis ſera ue-
ſtibula. Ergo Hippocrates & Solon uel ſeptem ętates uel hebdomadas ætatum norunt,
in illis ſe hebdomas præferat. Octaua autem unam & perpetuam ætatem inuehit, qua
excreſcimus in uirum perfectum in agnitione dei fidei plenitudine, in qua legítimæ æta
tis menſura impletur. Eſt etiam in uiſceribus noſtris hebdomadis explorata gratia. Fe-
runt enim ſeptem quoq; eſſe in nobis interiora uiſcera, ſtomachum, cor, pulmonem,
lien, hepar, renes duos. Septem quoq; exteriora, caput, poſteriora, uentrem, binas ma-
nus, & binos pedes. Præſtantiſſima hæc, ſed obnoxia dolori. Quis autem dubitet maius
eſſe octauę munus quę totum renouauit hominem, ut iam níhíl poſſit dolere? Itaq; ſe-
ptíma mundi ætas concluſa eſt, octaua illuxit gratia, quæ fecit hominem iam non huius
mundi eſſe, ſed ſupra mundum. Iam enim nõ uítam noſtram, ſed Chriſtum uiuimus. No-
Philipp. 1 bis enim uiuere Chriſtus & mori lucrum. Itaq; iam nõ in carne, ſed in fide uiuimus Chri
ſti. Vnde colligímus, quía concluſus eſt mundi dies: Denique nouiſſima hora uenit do-
minus Ieſus, & pro nobis mortuus eſt, & omnes in illo mortui ſumus, ut uiuamus deo.
Non ergo nos qui eramus uiuimus, ſed uiuit Chriſtus in nobis. Abíjt ergo hebdomas,
uenit octaua. Abíjt heri, uenit, hodie, illud hodie quod promiſſum eſt, quo admoníti ſu-
mus uocem dei audiendam & ſequendam. Abíjt ergo ille dies teſtamẽti Veteris, uenit
Hierem. 31 dies nouus, quo teſtamentum conſummatũ eſt Nouum, de quo dicit: Ecce dies ueníũt,
Hebr. 8 dicit dominus, & confirmabo domui Iſrael, & domui Iudæ teſtamentum nouum, non
ſecundum teſtamentum quod feci patribus illorum in die qua apprehendi manus ipſo-
rum educere illos de terra Aegypti. Et qua ratione mutatum ſit teſtamentum, adíjcit:
Quoniam ipſi non manſerunt, inquit, in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit domi
nus. Abierunt ſacerdotes legis, legis tribunalia. Accedamus ad ſacerdotem nouum, ad
ſedem gratiæ, uiſitatorem animarum noſtrarum, ſacerdotem nõ ſecundum legem man-
Hebr. 7 dati carnalis creatum, ſed ſecundum uirtutem inſatigabilem electum. Non enim ipſe ſi-
Pſalm. 109 bi honorem prærípuit, ſed electus à patre eſt, ſicut ipſe pater ait: Tu es ſacerdos in æter-
num ſecundum ordinem Melchiſedech. Nouus ergo ſacerdos uidemus quíd obtulerit.
Alíj ſacerdotes pro ſe offerebant, & pro populo ſuo, hic quía non habuit peccatum, ut
pro ſe offerret, pro uniuerſo mundo ſe obtulit, & per ſanguinem ſuum intrauit in ſancta
Hebr. 9 ſanctorum. Hic eſt ergo ſacerdos nouus, & noua hoſtia, non ex lege, ſed ſupra legem: ad
Apocal. 22 uocatus mundi, lux ſeculi: qui dixit: Ecce uenio, & uenit. Ad quem accedamus in abun-
dantia fidei, adorantes, & obſecrantes, & ſperantes in eum, quem non uídemus oculis,
ſed affectu tenemus, cui eſt omnis honor ſemper & gloria. Vale fili, & nos dílige, quía
nos te dílígimus.

Diui Amhroſii ad Sabinum, líbellos ílli mittentis, atq; rogantis ut diſcutiat, &
quæ corrígenda decreuerit, arbitrij ſui iudicio corrigat. Epiſt. XL

AMbroſius Sabíno. Remiſiſti míhi líbellos, quos tuo iudicio probatiores ha-
A bebo. Ideo miſi alios non iudicij fauore delectatus, ſed promiſſa à te, & peti-
ta à me ueritate illectus. Malo enim tuo corrigatur iudicio ſi quid mouet,
priuſquam foras prodeat, unde iam reuocandi nulla facultas ſit, quàm laudari à te quod
ab alijs reprehendatur. Itaq; arbitrum te eorum quæ poſtulas rogaui. Neq; enim legi
ante mea quæ nõnunquàm tribuo in uulgus, ſed in tuæ calculum uenire ſentẽtiæ deſide
1 raui. Non erit longi ſubſellij iſta iudicatio & mora, ut dictum eſt antiquitus. Facile eſt ti-
bi de noſtris iudicare. Ego certe huc inuitatu tuo prodeundum putaui, tuum eſt líquido
decernere, & ſcrutanter diſcutere quæ corrigas, ne tibi uitio uertãt ea quæ nobis potue-
runt obrepere. Neſcio quo enim modo præter imprudentię caliginem quæ me circum-
fundit, unumquemq; fallunt ſua ſcripta, & aurem prętereunt, atq; ut filij etiam deformes
delectant, ſic etiam ſcriptorem indecores ſermones ſui palpant. Incautius plerumq; ali-
quid promitur, aliquid accipitur maleuolentius, aliquid exit ambiguum: tum quía alie-
no examinanda iudicio, non pro noſtra debemus magis quàm pro aliena opinione tru
tinare, & diſcutere omnes ſcrupulos maleuolentiæ. Aſſume igitur beneuolo animo au-
rem uerſutiæ, & pertracta omnia, ſermones uellica, ſi in ijs nõ forenſes blanditiæ, & ſua-
ſoria ue r-

soría uerba,sed fidei syncerítas est,& confessionis sobrietas.Notam appone ad uerbum dubíj ponderis,& fallacis stateræ, ne quid pro se aduersarius interpretetur. Esto ut reuincatur si congredi cœperit.Male se habet liber qui sine assertore non defenditur. Ipse igitur pro se loquatur,qui procedit sine interprete. Noster hic tamen nō egreditur à nobis,nisi à te acceperit authoritatē. Itaq; cum eum fide tua prodire iusseris,committetur sibi.Tamen quoniam non in sermone est regnum dei, sed in uirtute:uerbum si offenderit,uirtutem professionis interrogato.Professio autem fidei sententia est, quam aduersum Sabellianos & Arrianos ita à Maioribus traditam tenemus,ut patrem deum, & filium eius unigenitum, & spiritum sanctum ueneremur, hanc trinitatem unius esse substantiæ, maiestatis, diuinitatis. In hoc nomine patris & filij & spiritus sancti baptizare nos quemadmodum scriptum est:Filium itaq; coæternum patris suscepisse carnem, natum de spiritu sancto & uirgine Maria æqualē patri secundū diuinitatem in dei forma, id est,in omni plenitudine diuinitatis, quæ in illa habitat,ut dixit Apostolus,corporaliter,qui in persona hominis formam serui accepit, et se humiliauit usq; ad mortem.Ergo & aduersus Photinum hæc nobis sententia est: aduersus Apollinarem autem legitima circunspectio, ut confiteamur sicut in dei forma nihil ei defuit diuinę naturæ & plenitudinis,sic in illa forma hominis nihil ei defuisse quo imperfectus homo iudicaretur, qui ideo uenit,ut totum hominem saluū faceret. Neq; enim decebat ut qui perfectum opus in alijs consummauerat, hoc imperfectum in se esse pataretur. Si enim aliquid ei defuit, non totum redemit.Si non totum redemit,fefellit igitur, qui dixit ideo se uenisse, ut totum hominē saluū faceret.Sed quia impossibile est mentiri deo, nō fefellit ergo:quia ita uenit,ut totum redimeret, & saluū faceret totū utiq; susceptum quod erat humanæ perfectionis.Nostra sententia huiusmodi est,ut meministi.Si uerba alicubi mouent, non præiudicant fidei.Etenim sermonem dubium mens non dubia obumbrat,& defendit à lapsu.Hæc tecum prelusimus, quę in libros nostrarum Epistolarum referam si placet,atq; in numerum reponam,ut tuo commendentur nomine,& tuis ad nos,et nostris ad uos literis augeatur mutuus amor per dominū,ut ita legas quo iudices,& quod mouerit,scribas ad me.Amor enim uerus constantia probat. Placet iam quod senibus usu facilis est, quotidiano & familiari sermone epistolas texere,& si quid de scripturis diuinis obuium inciderit, attexere.Vale frater,& dilige amantem tui,quia plurimum te diligo.

Diui Ambrosii ad Sabinum,ex eo quòd illi complacuit usus epistolarum,spōdentis se frequentius eum scriptis suis, præsertim cum solus sit,uelle alloqui, solitudinemq; plurimum commendantis atq; suadentis. Epist. XLI

A Mbrosius Sabino. Quoniam tibi quoque complacuit nostrarum usus epistolarum, in quibus quidem inter absentes præsentium sermo est, pergam frequentius te in meis scriptis & cum solus sum alloqui.Nunquam enim minus solus sum,quàm cum solus esse uideor:nec minus ociosus,quàm cum ociosus.Certe pro arbitrio arcesso quos uolo,atque adiungo mihi quos magis diligo, aut quos aptiores arbitror:nemo interpellat,nemo interpolat. Tunc ergo te magis teneo,& de scripturis confero, & prolixiorem simul sermonem cedimus. Sola erat Maria, & loquebatur cum angelo. Sola erat quādo superuenit in eam Spiritus sanctus, & uirtus altissimi obumbrauit eam.Sola erat,& operata est mundi salutem,& concepit redemptionem uniuersorum. Solus erat Petrus, & totum per orbem consecrandarum gentium cognouit mysteria.Solus erat Adam,& non est præuaricatus,quia mens eius adhęrebat deo.Post quam uero ei mulier adiuncta est,non potuit inhærere mandatis cœlestibus, & ideo se abscondebat quando deus deambulabat in paradiso. Et nunc deambulat in paradiso deus quando diuinas scripturas lego.Paradisus est Geneseos liber, in quo uirtutes pullulant patriarcharum,Paradisus Deuteronomium,in quo germinant legis præcepta, Paradisus Euangeliū,in quo arbor uitæ bonos fructus facit & æternæ spei mandata diffundit per uniuersos populos.Audiens itaq;,Diligite inimicos: audiēs, Dimitte omnia tua & sequere me:audiens, Qui te percutit in maxilla,præbe ei alteram:& hæc non faciens, & uix diligens eum qui me diligat,non dimittens quę habeo,iniuriam acceptam ulcisci uolens,& sublatum mihi extorquere,cùm scriptura dicat etiam aliud, id est, plus quàm petitum aut ereptum est,concedendū:uideo me contra mandata dei facere.Et aperiens

1.Cor.4 Matth.28 Coloss.2 Philip.2 Ioann.7 1 2 Luc.1 3 Actor.10 Genes.2. et 3 Matth.5 Matth.19 Luc.6

oculos conſcientiæ, deambulare mihi deum præſentem recognoſco, cupio me abdere,
Hebr. 4 cupio uelare, ſed nudus ſum deo, apud quem nuda & intecta ſunt omnia. Erubeſcens
itaque tegere pudenda facinora deſidero, quaſi membra mei corporis: ſed quia deus
omnia uidet, foliis obumbratus, latebris tectus appareo. Puto me abſcondi, quia corpo
re amictus ſum. Ipſa eſt tunica pellicea cum qua Adam de paradiſo eiectus eſt, nec à frí-
gore tutus, nec tectus ab opprobrio, ſed & iniuriæ & culpæ patens. Liquet igitur ex his
quia ſoli cum ſumus, tunc nos offerimus deo, tunc mentem ei noſtram aperimus, tunc
Gene. 3 amictum fraudis exuimus. Solus erat Adam quando in paradiſo cõſtitutus eſt, ſolus e-
rat et quando ad imaginem dei factus eſt, ſed non erat ſolus quando de paradiſo eiectus
Gene. 1. et 3 eſt. Solus erat dominus Ieſus quando mundum redemit. Non enim legatus neque nun-
cius, ſed ipſe dominus ſolus ſaluum fecit populum ſuum: etſi nunquam ſolus eſt ille, in
quo pater eſt ſemper. Vnde & nos ſoli ſimus, ut dominus nobiſcum ſit. Vale, & nos dili
ge, quia nos te diligimus.

Diui Ambroſii ad Sabinum, de paradiſo quid alij ſenſerint referentis, & quę
ſua de myſtico paradiſo ſit ſententia, pulchra expoſitione declarãtis. Epiſt. XLII

1 AMbroſius Sabino. Lecto hexaemero utrum paradiſum ſubtexuerim, requi-
A rendum putaſti, & quam de eo haberem ſententiam, ſignificandum, idq; uel
le te ſtudioſe cognoſcere. Ego autem iam dudum de eo ſcripſi, nondum ue-
teranus Sacerdos. Sententias autem de eo diuerſas eſſe plurimorum comperi. Nam Io-
ſephus, utpote hiſtoriographus, locum dicit refertum arboribus uirgultiſq; plurimis, ir
rigari etiam flumine qui diuidatur in quatuor fluuios. Collecta etenim in unum congre
gatione aquarum, non ſe penitus exinaniuit terra, & fraudauit irriguis ſuis, ſed hodieq;
in fontes prorumpit, & deducit meatus fluminum, quibus pignora ſua quaſi pia mater
plenis lactat uberibus. Alij alias, omnes tamen congruunt: in paradiſo & lignum uitę ra
dicatum, & lignum ſcientiæ quæ diſcernat bonum & malũ, cætera quoq; ligna plena ui
2 goris, plena uiuificationis, ſpirãtia, & rationabilia. Ex quibus colligitur paradiſum non
terrenum uideri poſſe, non in ſolo aliquo, ſed in noſtro principali, quod animatur & ui-
uificatur animæ uirtutibus, & infuſione ſpiritus dei. Denique Salomon in ſpiritu paradi
ſum in homine eſſe euidenter declarauit. Et quia myſteria exprimit uel animæ & uerbi,
uel Chriſti & Eccleſiæ, ideo ait de uirgine anima, uel Eccleſia quam uolebat uirginem
caſtam aſſignare Chriſto, Paradiſus concluſus, ſoror mea ſponſa, paradiſus concluſus,
Cantic. 4 fons ſignatus. Paradiſus Græcè, Latinè hortus dicitur. Denicq; Suſanna in paradiſo erat,
Daniel. 13 & ſic legitur Latinè. Et Adam in paradiſo erat, & ſic legimus. Ergo non te moueat quòd
Gene. 2 alij codices Latini hortum habent, alij paradiſum. Ibi ergo eſt caſta uxor, ubi uirgo. Li-
cet uirgo excepta habeat clauſtra & ſignacula ſua, ſed utraq; in paradiſo, ut aduerſum ę-
ſtus corporis & carnis flagrãtiam refrigeretur uirtutum umbraculis. Ergo paradiſus in
principali noſtro eſt, ſyluęſcens plurimarum opinionum plantarijs, in quo principali-
ter lignum uitæ conſtituit deus, id eſt, pietatis radicem. Ea eſt enim uitæ noſtræ ſubſtan-
3 tia, ſi domino & deo noſtro debitos cultus deferamus. Conſtituit etiam ſcientiæ boni
& mali ſeminarium. Homo enim ſolus in cæteris animantibus terrenis habet ſcientiam
boni & mali. Alia quoque illic plantaria diuerſa, quorum fructus uirtutes ſunt. Sed quia
ſcientiæ capax hominis affectus cognitus eſt deo quòd citius ad aſtutiam inclinaretur,
quàm ad ſummum prudentiæ, (Neque enim iudicem qui fines certos in anima noſtra
conſtituit, operis ſui qualitas latere poterat) eliminare uoluit aſtutiam de paradiſo, qua-
ſi prouidus author noſtræ ſalutis, & uitæ ſtudium, & diſciplinam pietatis infundere.
Gene. 2 Ideoq; præcepit homini ab omni ligno quod eſt in paradiſo, guſtandum, de ligno au-
tem ſcientiæ boni, & mali non eſſe guſtandum: ſed quia creatura omnis paſſioni obno-
xia, ideo delectatio ſicut ſerpentino illapſu humanis irrepſit affectibus. Itaque non im-
merito ſanctus Moyſes delectationem ſerpentis figurauit ſimilitudini. Prona eſt enim
in uentrem ſicut ſerpens, non pedibus incedens, aut ullis eleuata cruribus, ſed ſinuoſo
flexu totius uelut corporis ſui lubrica. Ei terra cibus eſt ſicut ſerpenti, quoniam eſcam
neſcit cœleſtem. Corporalibus enim paſcitur, atq; in uarias mutatur ſpecies cupidita-
4 tum, & tortuoſis angulatur anfractibus. Venenum in dẽtibus habet, quibus unuſquiſq;
ſe euiſcerat luxurioſus, helluo internecat, abligurítor perimit. Quantos ruperunt uina,

diſſoluit

dissoluit ebrietas, distendit cruditas? Nunc intelligo qua caussa dominus deus insuffla- Gene. 2
uit in faciẽ hominis. Ibi enim sensus omnis, ibi sedes atq; illecebra delectatiõis, in oculis, auribus, naribus, atq; in ore, ut sensus nostros aduersus delectationem fortiores faceret. Hæc ergo nobis, sicut serpens astutiam, infudit. Non enim delectatio, sed labor & diuturna meditatio cum dei gratia dat perfectam prudentiam. Tamen quia serpentis fraudibus inuoluta est humani generis hæreditas, in eo astutiam serpentis sequamur, ut caput nostrum non proijciamus in pericula, sed præ cęteris integrum custodiamus. Caput 1. Cor. 11
autem nostrum Christus est. Hoc maneat incolume, ut serpentis uenena nobis non pos- Ephes. 1. & 4.
sint nocere. Bona est enim sapientia cum hæreditate, id est, cum fide, quoniam est hæreditas credentibus in dominũ. Quod si primus ille homo qui cum deo loquebatur in paradiso positus, labi tam facile potuit, ex terra creatus uirgine, quæ ad uerbum dei formata & creata recenti fuerat exortu, nondum ea parricidali cædiumq; concreta sanguine, flagitijs & dedecore polluta, nondum carne nostra damnata maledicto obnoxiæ hæreditatis: quanto facilius postea lubrica ad peccandum uia maius aduexit humano generi præcipitiũ, cùm deterior tolerabiliori per uices generationis successerit? Etenim si magnes lapis tantam naturæ uim habet, ut ferrum ad se trahat, & transfundat se in illius speciem, ut pleriscq; experiri uolentibus cum plures annulos ferreos ad eum lapidem admouerint, omnes pari teneat modo: deinde si ei annulo cui adhæserit lapis, aliũ admoueas annulum, & rursus per ordinẽ singulis substituas, licet in omnes penetret per ordinem ex illo lapide uis naturæ, tamen priores nexu uehementiore constringit, posteriores remissiore: quanto magis humani generis conditio atq; natura ex puriore statu in deterio rem lapsa est, quando nequiorẽ attigit? Nam si per eas species minuitur natura quę non sunt culpæ capaces, quanto magis per animos atq; artus labe pollutos scelerum uirtus eius hebetatur? Vnde quia excreuerat malitia, abolita innocentia fuerat, non erat qui faceret bonitatem, non erat usq; ad unum: uenit dominus, qui reformaret naturæ gratiam, Psalm. 13
imò augeret, ut ubi superabundauit peccatum, superabundaret gratia. Ergo liquet & Rom. 5
quia author hominis deus, & quod deus unus, non multi dij, sed unus qui mundum operatus est, & unum non multos mundos, ut dicunt philosophi. Primum igitur mundum creauit, deinde habitatorem mũdi, cui totus mũdus patria foret. Nam si hodie quocunque accesserit sapiens, ubiq; ciuis est, ubiq; sua omnia intelligit, nusquam se peregrinum nusquam hospitem iudicat, quanto magis ille primus homo totius erat mundi incola, & ut Græci dicunt, κοσμοπολίτης, opus dei recẽs, confabulator assiduus, ciuis sanctorum complantatus uirtutibus, præpositus omnibus terrenis animantibus, marinis, uolatilibus, totum mundum suam possessionem putabat, quẽ dominus tuebatur ut opus suum, neq; ut bonus parens atq; author deserebat? Deniq; eousq; creatum fouit, ut abdicatum redimeret, eliminatum reciperet, mortuum passione filij sui unigeniti resuscitaret. Est ergo hominis author deus, & diligit opus suum operator bonus, nec derelinquit bonus pater, quem etiam sicut diues paterfamilias censu propriæ hæreditatis redemit. Caueamus ergo ne hominem istum, id est, νοῦν, mulier illa, id est, passio sensuum nostrorum, delectatione & ipsa decepta atque illusa effœminet, & circumscriptum in leges suas & sententiam trahat. Fugiamus delectationem sicut serpentem. multas artes habet, & maximè in hominem. Nam alia animantia cibi auiditate capiuntur, homo quanto plures sensus oculorum auriumq; habet, tãto maiora pericula. Vale, et nos dilige, ut facis, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Sisynnium, pietatem illius commendantis, quòd filio ignoscerit qui eo inconsulto uxorem acceperat. Epist. XLIII

AMbrosius Sisynnio. Quod filio nostro remisisti meo rogatu, quia te inconsulto uxorem acceperat, pietati magis tribuo quàm nostro amori. Plus est enim pietatem ipsam de te impetrauisse, quàm cuiusquam petitionem. Certe Sacerdos tunc magis impetrat, cũ uirtus præualet. Sacerdotis enim petitio, doctrina pietatis est. Impetrauit igit natura, impetrauit filius, eo plenius, quia postulati contẽplatio temporalis solet esse, uirtutis autem diuturnus habitus, & iugis animarum inductio. Pulchrè itaq; gestum, ut te patrem recognosceres: simul quia iusta indignatio fuit. Malo enim culpã fateri, ut plus laudetur paterna indulgentia. sed & ipsa paterna offensio fuit,

quoniam

quoniam uenturam in locum filiæ tuæ debuisti eligere iudicio, cui fieres pater. Nanque aut natura filios suscipimus, aut electione. In natura casus est, in electione iudicium: magisq; in adoptatis offendimus quàm in genitalibus filijs: quia genitales filios esse degeneres, ad naturam refertur: ascitos uel adoptione uel copula dedecores esse, nõ nisi errori adscribitur. Fuit ergo quod succenseres filio, sed fuit etiam quod remitteres, quia sibi uxorem elegit. Adquisisti filiam sine electionis periculo. Si bonam duxit, tibi acquisiuit gratiam: si errauit, recipiendo meliores facies, refutando deteriores. Maturiore quidem consilio puella filio à patre traditur, sed maiore obsequij proposito à filio ad patrem ducitur, & à uiro lecta ingreditur soceri domum, dum metuit & filius displicere iudicium suum, & nurus ministerium. Illum paternæ electionis prærogatiua attollit atque erigit, istam offensionis humiliat metus, inclinat uerecundia. Non habebit filius quod in uxo-
2 rem referat quasi exors culpę si quid fortasse offensum sit, quod habet usus: imò amplius elaborabit ut in utroq; suum possit probari, & in uxore iudicium, & in se obsequium. Fecisti igitur quod boni parentes, ut cito ignoscere, sed obsecratus. Nam antequam rogareris, non erat ignoscere, sed factum probare. Deinde diutius differre uenìam, & tibi a-
Gene. 21 cerbum, & illis inutile. Neq; enim paterna uiscera diutius tolerare possent. Summæ deuotionis proposito Abraham filium suum secũdum oraculum dei offerebat in holocaustum, & quasi exors naturæ exerebat gladium, ne mora sacrificium decoloraret: tamen ubi abstinere à filio iussus est, gladium libenter recondit: & qui immolare unigenitum fidei intentione properabat, maiore pietatis studio festinauit ouem subrogare sacrificio.
3 Ioseph quoq; ut fratrem iuniorem teneret, simulabat iracundiam fratribus, & compositam à se furti fraudem indignatus est: tamen cum aduolueretur ad genua eius unus ex
Gene. 44 fratribus Iudas, flerent alij, fraterno uictus & compassus affectu, diutius tenere non potuit simulationem seueritatis, remotisq; arbitris aperuit fratribus quod germani sui essent, & ipse esset Ioseph quem uendidissent: nec se memorem suæ esse iniuriæ, & fraternæ uenditionis acerbitatem fraternè excusare, atq; id quod posset arguere, ad altiores caussas referre, eò quòd ita oportuisset fieri procurante deo, ut trãsiret in Ægyptum qui gentem suam frugis externæ egentem pasceret, ut sterilitatis tempore alendis patri & fi-
2. Reg. 14 lijs subsidio foret. Quid autem de sancto Dauid loquar, qui degenerem filium, & fratricidam oblitum sanguine, ad unius mulieris petitionem paternis uisceribus mentem emollitus domo recepit? Ipse ille Euangelicus pater adolescentiorẽ filium qui prodegerat om-
Luc. 15 nem substantiam à patre acceptam uiuendo luxuriose, regredientem tamen unius sermonis inflexus humilitate, quod in patrem peccasse se fatebatur, occursu pio fouit, supra collum eius cecidit, primam illi stolam, annulum & calceamenta deferri iussit, atq; honoratum osculo, donatum munere, admirabili susceptit conuiuio. Horum te imitatorem præbuisti pietate patria, qua proxime ad deum accedimus: & ideo ego prompte filiam nostram adhortatus sum ut etiam hyemali tempore uiæ laborem exciperet, commodius hybernatura non solum in hospitio, sed etiam in affectu paterno, cum iam successerit indignationi gratia: quando quidem ut plenè te ad similitudinem atque imitationem sanctorum referres, eos accusauisti qui compositis mendacijs animum tuum aduersum filios excitandum arbitrati sunt. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

FINIS.

DIVI

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS EPISTOLARVM LIBER VII

Constantium quomodo plebem suam regere debeat, docet. Epist. XLIIII

AMbrosius Cõstantio. Suscepisti munus sacerdotij, & in puppe Ecclesię sedens nauim aduersus fluctus gubernas. Tene clauũ fidei, ut te graues huius seculi turbare non possint procellæ. Mare quidem magnũ & spatiosum, sed noli uereri, quia ipse super maria fundauit eam, & super flumina præparauit eam. Itaq; non immerito inter tot mundi freta Ecclesia domini tanquam supra Apostolicam ædificata petram immobilis manet, & inconcusso aduersum impetus sæuientis sali perseuerat fundamine. Alluitur undis, non quatitur: & licet frequenter elementa mũdi huius magno inlisa resultent fragore, habet tamen quo laborantes excipiat, tutissimum portum salutis. Sed tamen & si in mari fluctuat, currit in fluminibus, & uide ne in illis fluminibus magis, de quibus dictum est: Eleuauerunt flumina uocẽ suam. Sunt enim flumina quæ de uentre eius fluunt qui potum à Christo acceperit, & de spiritu dei sumpserit. Hęc ergo flumina cum redundant spirituali gratia, eleuant uocem suam. Est & fluuius qui decurrit in sanctos suos sicut torrens. Est & fluminis impetus, qui lætificat animã pacificam atq; tranquillam. Ex huius fluminis plenitudine quicunq; acceperit, sicut Ioannes Euangelista, sicut Petrus, Paulus, eleuat uocem suam, & sicut Apostoli Euangelicæ prædicationis uocem usq; in totos fines orbis terrarum canoro diffuderunt præconio, ita & iste incipit Euangelizare dominum Iesum. Accipe ergo à Christo, ut & tuus sonus exeat. Mare est scriptura diuina, habens in se sensus profundos, altitudinem propheticorum ænigmatum, in quod mare plurima introierunt flumina. Sunt ergo & fluuij dulces atq; perspicui, sunt & fontes niuei qui saliant in uitam æternam, sunt & sermones boni sicut faui mellis, & gratæ sententiæ quæ animos audientium spirituali quodam potu irrigent, & præceptorũ moralium suauitate mulceant. Diuersa igitur scripturarum diuinarum fluẽta. Habes quod primum bibas, habes quod secundum, habes quod postremum. Collige aquam Christi, illam quæ laudat dominum. Collige aquam de pluribus locis quam effundunt nubes propheticæ. Quicunq; colligit de montibus aquam, atq; ad se trahit, uel haurit è fontibus, & ipse rorat sicut nubes. Imple ergo gremium mentis tuæ, ut terra tua humescat, & domesticis irrigetur fontibus. Ergo qui multa legit & intelligit, impletur: qui fuerit impletus, alios rigat. Ideoq; scriptura dicit: Si impletæ fuerint nubes, pluuiam in terram effundent. Sint ergo sermones tui proflui, sint puri dilucidi, ut morali disputatione suauitatem infundas populorum auribus, & gratia uerborum tuorum plebem demulceas, ut uolens quo ducis sequatur. Quòd si aliqua uel in populo uel in quibus contumacia uel culpa est, sint sermones tui huiusmodi ut audientem stimulent, compungant male conscium. Sermones enim sapientium tanquam stimuli. Stimulauit & dominus Iesus Saulum, cũm esset persecutor. Quàm salutaris fuerit stimulus, considera, qui ex persecutore Apostolum fecit dicendo: Durum tibi est ut aduersus stimulum calces. Sunt etiam sermones sicut lac, quos infudit Paulus Corinthijs. Qui enim fortiorẽ cibum epulari non queunt, succo lactis ingenij sui exercent infantiam. Eloquia tua plena intellectus sint. Vnde & Salomon ait: Arma intellectus labia sapientis. Et alibi: Labia tua alligata sint sensu, id est, fulgeat sermonum tuorum manifestatio, intellectus coruscet, & alloquium tuum atq; tractatus aliena non indigeat assertione, sed sermo tuus uelut armis suis sese ipse tueatur, nec ullum uerbum tuum inuanum exeat, & sine sensu prodeat. Est enim alligatura quæ constringere solet animorum uulnera: quam si quis reijcit, desperatam sui prodit salutem. Et ideo circa eos qui graui ulcere uexantur, utere oleo sermonis quo foueas mentis duritiam. Appone malagma, adiunge alligaturam salutaris præcepti, ut uigos & fluctuantes circa fidem obseruantiam, nequaquam soluto animo & remisso uigore patiaris perire. Admone igitur plebem domini atq; obsecra ut abundet in operibus bonis, renunciet flagitijs, non accendat flammarum incendia, (non dicam in sabbato, sed in omni tempore) ne comburat corpus suum: fornicatio & immunditia, nõ sit in

1 Psalm. 23

Psalm. 92

Ioan. 7.

Psalm. 45

2

Eccles. 11

Eccles. 12

Acto. 9

Prouer. 14

dei

1. Thes. 4 dei seruulis, quia immaculato seruimus dei filio. Nouerit unusquisq;, & uas possideat su
Gene. 3 um, ut subacto quodam sui corporis solo, fructus expectet debitos: nec spinas & tribu-
Psalm. 84 los ei terra sua germinet, sed dicat & ipse, terra dedit fructus suos, atque in hac dumosa
quondam passionum fragilitate, insitiua uirtutum efflorent. Edoce etiam atq; institue
ut faciant quod bonum est, & unusquisq; nō intermittat opus probabile, siue à pluribus
uideatur, siue sine arbitro sit. Abundat enim sibi locuples testis cōscientia. Fugiat etiam
mala opprobria, etiam si se credat non posse conuinci. Nam etsi clausus parietibus sit, &
opertus tenebris, sine teste, sine consciо, habet tamē facti arbitrum quem nihil fallat, ad
Gene. 4 quem facta clamant omnia. Denicq; clamauit & uox sanguinis. Sibi ipsum unusquisq; a-
nimum suum seuerum iudicem sui, ultorem sceleris, et uindicem criminis habet. Denicq;
timens & tremens oberrabat Cain, parricidalis facinoris luens pœnas, ut ei remedio sua
3 mors fuerit, quæ uagum exulem formidato per omnia momēta terrore mortis permor
tem exuit. Nemo igitur uel solus uel cum altero aliquid turpe aut improbum faxit. Et si
quis solus est, seipsum præ cæteris erubescat, quem maxime debet uereri. Nec concupi-
scat plurima, quia & pauca ei plurima sunt. Paupertas & opes, inopiæ & satietatis uoca-
Michæ. 3 bula sunt. Nec diues est qui indiget aliquo, nec pauper qui non indiget. Nec quisquā ui
4 duam spernat, circunscribat pupillum, fraudet proximū suum. Væ enim illi qui congre-
gatam dolo habet substantiam, & in sanguine ædificat ciuitatem, id est animam suam.
Hæc est enim quæ ædificatur sicut ciuitas. Hanc ciuitatem non ædificat auaritia, sed de-
Prouer. 15 struit: non ædificat libido, sed exurit atq; incendit. Vis bene ędificare ciuitatem? Melius
est exiguum cum dei timore, quàm thesauri magni sine timore. Diuitiæ hominis ad re-
demptionem animæ debent proficere, non ad destructionem. Et thesaurus redemptio
est, si quis eo bene utatur: & iterum laqueus est, si quis uti nesciat. Quid enim homini pe
cunia sua, nisi quoddam uiaticum est? Multa oneri, moderata usui. Viatores sumus uitæ
huius. Multi ambulant, sed opus est ut quis bene transeat. Cum illo enim dominus Iesus,
Esaiæ. 43 qui bene transit. Ideoq; legis: Si transeas per aquam, tecum sum, flumina te non conclu-
dent: nec ignis exuret uestimenta tua, si transeas. Qui autē ignem alligat in corpore suo,
ignem libidinis, ignem immodicæ cupiditatis, non transit, sed exurit inuolucrum istud
Prouer. 22 animæ suæ. Præclarior est bona existimatio quàm pecunia, & super omnes argenti acer
uos bona est gratia. Fides ipsa abundat sibi, satis superq; censu suo diues. Sapienti quoq;
Prouer. 17 nihil alienum nisi quod uirtuti incongruum. Quocunque accesserit, sua omnia. Totus
iuxta 70 mundus possessio eius est, quoniam toto eo quasi suo utitur. Quid igitur circunscribi-
tur frater? quid fraudatur mercenarius? Non magna, inquit, lucra de mercede meretri-
cis, id est, lubricæ istius fragilitatis. Meretrix ista non specialis, sed publica est. Non una
mulier, sed uaga omnis cupiditas, meretrix est. Omnis perfidia, omnis fallacia meretrix,
non illa sola quæ corpus prostituit suum, sed omnis anima quæ spem suam uendit, quæ
deformes quæstus & degenerem stipem quærit. Et nos mercenarij sumus, qui ad merce
dem laboramus, & huius operis nostri mercedem speramus à domino nostro & deo. Si
Luc. 15 quis cognoscere uult quàm mercenarij sumus, audi dicentem: Quantis panibus merce-
narij patris mei abundant? ego autem hic fame pereo. Et infra: Fac me, inquit, sicut u-
num mercenariorum tuorum. Omnes mercenarij, omnes operarij. Qui tamen fructum
expectat laboris, consideret quòd is qui alium mercede fraudauerit debita, & ipse frau-
dabitur sua. Fœneratum istud offendit, & postea cumulatiore mensura exoluet. Ergo
qui non uult amittere quod est perpetuum, non eripiat alij quod temporale est. Nemo
etiam in dolo loquatur ad proximum suum. Laqueus est in labijs nostris, & sæpe unus-
5 quisque sermonibus suis non explicatur, sed inuoluitur. Fouea alta est os maleuoli, gran
de innocentiæ præcipitium, sed maius maleuolentiæ. Innocens dum credit facile, cito
labitur, sed tamen iste lapsus resurgit: maledicus autem suis artibus præcipitatur, unde
Prouer. 11 nunquam exiliat atque euadat. Ponderet ergo unusquisque sermones suos non cum
fraude & dolo. Statera fallax improbabilis apud deum. non illam stateram dico quæ
mercedem appendit alienam (& in uilibus quidem rebus raro constat fallacia) sed state
ra uerborum ipsa apud deum est execrabilis, quæ prætendit pondus grauitatis sobriæ,
& subnectit uersutias fraudulentię. Hoc maxime condemnat deus, si decipiat aliquis
proximum suum promissorū benignitate, & subdola iniquitate defœneratū opprimat,

nihil

nihil ſibi profuturus aſtutiæ ſuæ artibus. Quid enim prodeſt homini ſi totius mundi capiat opes, animam autẽ ſuam uitæ æternæ defraudet ſtipendio? Alia pijs mentibus conſideranda ſtatera, qua ſingulorum facta trutinantur, in qua plerumq; ad iudicium peccata propendunt, aut bene geſta peccatis præponderant. Væ mihi ſi præcedant flagitia, & ad mortis præiudicium letali uergant pondere, tolerabilius ſi ſubſequantur. Omnia tamen manifeſta domino & ante iudicium: nec bona poſſunt latere, nec ea quæ plena ſunt offenſionis, abſcondi. Quàm beatus qui radicem uitiorum reſecare potuerit auaritiam. Is profecto ſtateram hanc non reformidabit. Auaritia enim plerunq; ſenſus hebetat humanos, & peruertit opiniones, ut quæſtum pietatẽ putent, & pecuniam quaſi mercedem prudentiæ. Merces aũt magna pietatis eſt, & quæſtus ſobrietatis, habere quod uſui eſt ſatis. Quid enim in hoc mundo proſunt diuitiarum ſuperflua, cum in ijs & nulla adiumenta naſcendi ſint, nec impedimenta moriendi? Nam & ſine integimento in hoc mundo naſcimur, & ſine uiatico diſcedimus, ſine hæreditate ſepelimur. Pendet per ſingulos noſtrorum ſtatera meritorum: atq; exiguis uel boni operis, uel degeneris flagitij momentis huc atq; illuc ſæpe inclinatur: ſi mala uergant, heu me: ſi bona, præſtò eſt uenia. Nemo enim à peccato immunis: ſed ubi propendunt bona, eleuantur peccata, obumbrantur, tegũtur. Ergo die iudicij aut noſtra opitulabuntur nobis opera, aut ipſa nos in profundum tanquam molari depreſſos lapide mergent. Grauis eſt enim utpote talento plumbeo ſuffulta iniquitas, intolerabilis auaritia, atq; omnis ſuperbia, tetra fraudulentia. Et ideo hortare plebem domini ſperare magis in domino, abundare in diuitijs ſimplicitatis, in quibus ambulet ſine laqueo, ſine impedimento. Bona etiam puri ſermonis ſyncerítas, & locuples apud deum, etiam ſi inter laqueos ambulet. Tamen quia alij neſcit inſidias aut uincula innectere, non alligatur. Illud quoq; pręcipuum, ſi perſuadeas ut nouerint humiliari, ſciant uerum humilitatis colorem, naturam nouerint. Multi habent humilitatis ſpeciem, uirtutem non habent: multi eam foris prætendunt, & intus impugnant. Ad fucum præferunt, ad ueritatem abiurant, ad gratiam negant. Eſt enim qui nequiter humiliat ſe, & interiora eius plena ſunt doli. Et eſt qui ſe nimium ſubmittit ab humilitate multa. Non eſt ergo humilitas niſi ſine fuco, ſine fraude. Ipſa eſt uera quæ habet piam mentis ſyncerítatem. Magna uirtus eius. Denicq; per inobedientiam unius hominis mors introiuit, & per obedientiam unius domini Ieſu Chriſti facta eſt uniuerſorum redemptio. Sciuit humiliari ſanctus Ioſeph, qui cum eſſet à fratribus in ſeruitutem uenditus, uel à negociatoribus coemptus, humiliatus in compedibus, ut ſcriptura dicit, uirtutem humilitatis didicit, infirmitatem repudiauit. Itaq; emptus in Aegypti partibus à ſeruo regio coquorum præpoſito, non proſapię nobilis conſcientia, quaſi germẽ Abrahamidarum, dedignatus obſequia uernacula, faſtidiuit degenerem conditionẽ, ſed magis gnauum ſe & fidelem herili imperio præbuit, alto intendens conſilio nihil intereſſe in quo ſtatu quis probabilem ſe præſtaret, ſed illum eſſe finem bonorum, ut in quocũq; ſtatu probarentur: illudq; præcipuum, ſi magis mores commendarent ſtatum, quàm ſtatus mores. Etenim quo ſtatus inferior, eo uirtus eminentior. Talem itaq; ſe exhibebat, tam ſedulum, ut ei dominus ſuus totam domum ſuam crederet, ipſi omnia cõmitteret. Vnde & uxor eius oculos iniecit in eum capta formæ uenuſtate. Nihil enim ad nos ſi pẽtulantibus oculis aut ætas expetitur, aut pulchritudo. Ars deſit, nullum eſt crimen decoris: illecebra faceſſat, inoffenſa eſt ſpecies, & formæ gratia. Itaq; percita atq; animi furẽs interpellat iuuenem, & cogente libidine uicta paſſionũ ſtimulis crimen fatetur. Verùm ille abiurat flagitium, dicens nec moribus Hebræorum conuenire, nec legibus, ut alienum uiolent thorum, quibus cura eſt tuendi pudoris, ut integri nuptiarum integris ſocientur uirginibus, nec ulli conueniant fœminæ quæ legitimi uſus thori neſciat: religio hemq; ſibi eſſe, ne ebrius turpis intemperantiæ, ingratus herilis indulgentiæ, cui obſequium deberet, ei grauem inferret contumeliam. Nunquid erubeſcebat illum uilem dominum tamen dicere, & ſe ſeruum fateri? Quinetiam cum ambiret mulier, obſecraret etiam metu proditionis, uel amoris ſui lachrymas funderet ad extorquẽdi neceſſitatem, nec miſericordia flexus ad flagitij conſenſum, nec coactus metu, & precibus reſtitit, nec minis ceſſit, præponens præmijs periculoſam honeſtatem, quàm turpem remunerationem caſto pudori. Iterum quoq; mulier maioribus adorſa tentamẽtis, cum inflexibilem

Matth. 16

Hebr. 4

1. Tim. 6

7

8

Eccle. 19

Rom. 5

Geneſ. 37. & 39

Pſalm. 104

Gen. 39

aduerteret,etiam ſecundo immobilem paſſione,effera impudentia uires miniſtrante,in
uenem aggreditur,ueſte apprehenſa ad cubile trahens, complexũ offerens, & pene ce-
perat,niſi exuiſſet Ioſeph ueſtẽ qua tenebatur,ne exueret amictũ humilitatis,indumen-
tum pudoris.Sciuit igitur humiliari,qui humiliatus eſt uſq; ad carcerẽ:& cum ſuſtineret
calumniam,maluit crimen falſum ſubire,q̃ uerum referre.Sciuit inquam humiliari, qui
Philip.2 humiliabat̃ pro uirtute.Humiliabatur in typo eius qui ſe erat humiliaturus uſq; ad mor-
tem,mortẽ autem crucis:qui uenturus erat ut uitam hanc de ſomno reſuſcitaret,& ſom-
nium eſſe hunc uiuendi uſum doceret,in quo diuerſæ cõmutationum uices tanquam e-
briæ,& nihil ſolidum, nihil firmũ, tanq̃ dormientis ſomnium uidentes nõ uidemus, &
audientes nõ audimus,& manducantes non ſatiamur,gratulantes nõ gratulamur, cur-
rentes non peruenimus. Vanæ ſpes hominũ in hoc ſeculo, qui ea quæ nõ ſunt, tanquã
quæ ſint ſequenda arbitrentur.Itaq; inanes & uacuæ rerum ſpecies tanquã in ſomno ue
nerunt,abierunt,aſtiterunt,euanuerunt.Circunfuſæ & diſperſæ ſunt,teneri uidentur,&
Epheſ.5 non tenentur.Deniq; ubi quis audiuit dicentem: Surge qui dormis, & de ſeculi iſtius ſo
mno exurrexit: falſa hæc intellexit omnia: euigilauit, & fugit ſomnium, fugit poteſtas,
abijt cura patrimonij,formæ ucnuſtas,honorũ ſtudium. Hæc enim ſomnia ſunt, quibus
9 nõ mouentur qui uigilant corde, ſed dormientes exagitantur. Vadatur hunc ſermonẽ
meum ſanctus uir Ioſeph,non eſſe perpetua nec diuturna quæ ſunt huius ſeculi, qui ab
initio nobilis genere,cenſu diues,ſubito ignobilis ſeruulus,& (quod ipſam ſeruitij uili-
tatem acerbat) degeneris domini ære emptũ mancipium. Minus enim uile putatur ſer-
10 uire libero,geminatur aũt ſeruitus,ubi ſeruitur uernaculis.Seruus igitur ex genere pre-
claro,pauper ex patre diuite,de amore ad odium,de gratia ad ſupplicium,rurſus de car-
cere ad aulam, de reatu ad iudicium traductus, neq; aduerſis fractus eſt, neq; eleuatus
ſecundis.Aſtipulatur etiam momentarias eſſe uices rerũ etiam ſancti Dauid frequenter
uariatus ſtatus,qui deſpectus patri,precioſus deo, triumpho nobilis, inuidia uilis, acci-
11 tus ad miniſterium regium, electus ad affinitatẽ, poſtremo faciem & ora mutatus, exul
regni,fugitans parricidij,nunc ſua offendicula deplorabat,& rurſus aliena remouebat,
12 cõciliato hærede nobilior q̃ decolorato. Expertus igitur omnia,pulchrè dixit: Bonum
Pſalm.118 mihi quod humiliatus ſum.Quanq̃ hoc & ad eum poſſit referri,qui cum eſſet in dei for
Philip.2 ma,facilis inclinare cœlos,deſcendit tamen,& formam ſerui accipiens noſtras portauit
Eſaiæ 53 infirmitates: qui præuidens ſanctos ſuos,non quaſi rapinam ſibi proprium honorẽ aſſu
mere,ſed ſubijcere ſe æqualibus,& alios ſibi anteferre,dixit: Bonũ mihi eſt quod humi-
liatus ſum.Bonum mihi eſt quod me ſubieci,ut ſubiecta mihi ſint omnia,& ſit deus om-
2.Cor.15 nia in omnibus.Hanc infunde humilitatem ſingulorũ animis,&te ipſum formam præbe
1.Cor.11 omnibus,dicens:Imitatores mei eſtote,ſicut & ego Chriſti. Diſcant bonorum operũ di
uitias quærere,& morũ eſſe locupletes.Pulchritudo diuitiarũ non in ſacculis diuitũ,ſed
in alimentis pauperũ eſt. In illis infirmis & egenis melius opes lucent. Diſcant itaq; pe
cunioſi non ſua,ſed ea quæ ſunt Chriſti quærere, ut illos & Chriſtus requirat,ut illis ſua
largiatur. Impendit pro illis ſanguinẽ ſuum, effudit illis ſpiritũ ſuum, offert illis regnum
ſuum. Quid amplius dabit qui ſeipſum obtulit? Aut quid eſt quod nõ ſit daturus pater,
qui pro nobis unicum filium tradidit morti? Admone igitur illos ſeruire domino in ſo-
brietate & gratia,& tota mentis ſedulitate,erigere oculos ad cœleſtia,nihil ponere in lu
cro niſi quod uitæ æternę ſit.Nam iſte omnis huius quæſtus ſeculi,animarũ diſpendium
Philip.3 eſt.Deniq; omnium detrimentũ paſſus eſt qui uolebat Chriſtum lucrari: quod etſi mira-
biliter dixerit,minus tamen expreſſit q̃ acceperat. Hic enim de alienis locutus eſt, Chri
Lucæ 9 ſtus autẽ dixit: Qui uult poſt me uenire, abneget ſeipſum ſibi, ut ipſe ſuũ detrimentum
ſit,quo fiat lucrũ Chriſti.Caduca hæc omnia,cum damno,ſine lucro: illud ſolum eſt lu-
13 crum,ubi fructus perpetuus,ubi æternæ merces quietis. Cõmendo tibi fili Eccleſiam
quæ eſt ad Forũ Cornelij, quo eam de proximo interuiſas frequẽtius, donec ei ordine-
tur epiſcopus.Occupatus diebus ingruentibus quadrageſimæ, tam longè non poſſum
excurrere.Habes illic Illyrios de mala doctrina Arrianorũ,caue eorũ zizania,nõ appro
pinquent fidelibus,non ſerpant adulterina ſemina. aduertant quid propter ſuam perfi-
diam acciderit ſibi,quieſcant,aut ueram fidem ſequantur. Difficile quidem imbuti ani-
mi infidelitatis uenenis abolere poſſunt impietatis ſuæ glutinũ, ſi tamẽ in ijs uirus infau
ſtum

ſtum inoleuerit: nec facilè iſs credendũ putes. Nerui enim ſunt, & quidam artus ſapien- 14
tiæ, non temere credere, maximè in cauſſa fidei: quæ raro perfecta eſt in hominibus. Ta
men ſi quis eſt, qui licet ſuſpectæ ſit infirmitatis, & annunciantis affectus, purgare habí- 15
tam de ſe opinionem uelit, permitte, ut ſatisfeciſſe ſe putet: indulge aliquãtulum. Cuius
enim excluditur ſatisfactio, auertitur animus. Nam etiã medendi periti cum uident no- 16
tas ægritudines, ut ipſi appellant, medicinam quidem non adhibent, ſed tamẽ medicinę
tempus expectant, nec deſerunt inualidum, ſed lenioribus uerbis, aut quibus poſſunt
palpant delinimentis, ne aut intermiſſa ægritudo deſperatione animi graueſcat, aut cru
dior medicinam reſpuat, eò quòd ad maturitatẽ peruenire nequeat ſi indigeſtæ inſolens
rerum huiuſmodi medicus adhibeat manus. Siquidem & pomum cum immaturũ exa-
gitatur, cito deperit. Et quia de agro exemplum ſumpſimus, præcipe illis inuiolata con-
finij ſeruare iura, paternos cuſtodire terminos quos lex tuetur. Supra fraternam chari-
tatem frequẽter eſt uicini gratia. Ille enim ſæpe longe, hic in proximo eſt, uitæ omnis te-
ſtis, conuerſationis arbiter. Delectet eum per finitima ſpatia laxare liberum pecus, & in
herba uiridi proiectum ſecura captare ocia. Seruos quoq; dominus iure ſeruitij ſubdi-
tos habeat pro moderamine coercitionis quaſi animæ conſortes. Paterfamilias enim di
citur, ut quaſi filios regat, quoniam & ipſe dei ſeruus eſt, & patrẽ appellat dominũ cœli,
moderatorem poteſtatum omnium. Vale, & nos dilige, ut facis, quia nos te diligimus.

Diui Ambroſii ad Sabinum, cauſam reddentis cur poſt ſcripturam prius dire-
ctam codicem apertius ſcriptũ tranſmiſerit, & ad epiſtolarem inde ludum eum
inuitantis, & uſum illius exponentis. Epiſtola XLV

AMbroſius Sabino. Tranſmiſi petitum codicem ſcriptũ apertius atq; enoda
A tius q̃ ea ſcriptura eſt quam dudum direxi, ut legendi facilitate nullum iudi
cio tuo afferatur impedimentũ. Nam exemplaris liber non ad ſpeciem, ſed 1
ad neceſſitatẽ ſcriptus eſt. Non enim dictamus omnia & maximè noctibus, quibus no-
lumus alijs graues eſſe ac moleſti: tum quia ea quæ dictantur, impetu quodam proruũt,
& profluo curſu feruntur. Nobis autem quibus cura eſt ſenilem ſermonẽ familiari uſu ad
unguem diſtinguere, & lento quodam figere gradu, aptius uidetur propriam manũ no-
ſtro affigere ſtylo, ut non tam deflare aliquid uideamur q̃ abſcondere: neq; alterum ſcri 2
bentem erubeſcamus, ſed ipſi nobis conſcij ſine ullo arbitro, non ſolùm auribus, ſed e-
tiam oculis ea ponderemus quæ ſcribimus. Velocior eſt enim lingua quàm manus, di-
cente ſcriptura: Lingua mea calamus ſcribæ uelociter ſcribẽtis. Sed fortè dicas, quia ue- Pſal. 44
locitatem ad ſcribentem retulit. Non te fallit tamen id ſignificari, quòd ſcribæ uelociter
ſcribentis celeritas ſola poſſit linguæ propheticæ excipere ſermones. Apoſtolus quoq; Coloſ. 4
Paulus ſua ſcribebat manu, ſicut ipſe ait: Mea manu ſcripſi uobis. Ille propter honorifi-
centiam, nos propter uerecundiam. Tamen dum adhuc habes de libris iudicium, inter-
ludamus epiſtolis: quarũ eiuſmodi uſus eſt, ut diſiuncti locorũ interuallis, affectu adhæ-
reamus: in quibus inter abſentes imago refulget præſentiæ, & collocutio ſcripta ſepara-
tos copulat: in quibus etiam cum amico miſcemus animũ, & mentem ei noſtram infun-
dimus. Iam ſi, ut hortaris, aliquid & de ueteribus ſcriptis redoleat in epiſtolis, nõ ſolùm 3
animi conglutinari uidentur per ueræ doctrinæ profectũ, ſed etiam plenioris colloquij
ſpecies & forma exprimi, ut inter quærendi & reſpondendi mutuas uices aſſumpta con
certatio in unũ conducere, & coram uideatur amicos locare, qui tali ſe laceſſunt & com
plectuntur munere. Quid autem maiorum noſtrorum exempla proferam, qui epiſtolis
ſuis fidem infuderunt populorum mentibus, atq; ad integros & confertos ſcripſerũt po
pulos, & præſentes ſe eſſe cum abſentes ſcriberent ſignificarunt, dicente ſancto Apoſto
lo quia abſens erat corpore, ſed præſens ſpiritu, non ſolùm cum ſcriberet, ſed etiam cum 1. Cor. 5
iudicaret? Denicq; abſens per epiſtolam condemnabat, & idem abſoluebat per epiſtolã. 4
Epiſtola enim Pauli quædam effigies erat eius præſentiæ, & forma operis. Non enim ut
aliorum epiſtolæ graues, inquit, & fortes, præſentia autẽ corporis infirma, & ſermo con
temptibilis, talis & Apoſtoli, ſed talis huius epiſtola, ut talis eſſet forma præcepti, qualis
eſſet operationis ſubſtantia, quia quales ſumus, inquit, uerbo per epiſtolas abſentes, ta-
les & præſentes ſumus in opere. Imaginem præſentiæ ſuæ in epiſtolis expreſſit, fructum
teſtimonij in opere ſignificauit. Vale, & nos dilige, ut facis.

Diui Ambrosii ad Eusebium, iucunditatem illius in filijs, & filiorum benedictionem recensentis.

Epistola XLVI

1 MBrosius Eusebio. Faustinus uterq; tibi redditus est, nobis utrumque Am-
2 A brosium pignus resedit. Ipse habes quod primum in patre, & quod iucundissimum est in filio minore, quia & uirtutis apicẽ tenes, & humilitatis exhibes gratiam: nos quod medium inter patrem & iuniorẽ filium. Tecum summa totius
3 domus, & perpetuitati uocabuli iugis successio, apud nos parca mediocritas, quæ & de summo pendeat, & in posteriore subsistat. Tecũ igitur requies utriusq; nostrũ, quæ cum inuicem nobis refunditur, omnem animi abstergit solicitudinem. Tecum is qui & moribus & operibus suis & sobole tali inuenit gratiam apud dominum nostrum. Tecum is qui inter mundi huius procellas spiritalem nutriuit columbam, quæ ei fructus afferat pacis, uncta oliua integritatis. Tecum is qui ædificauit aram deo, quem benedixit deus &
Gen. 9 filios eius dicens: Crescite, & multiplicamini. Cum quo testamentum pacis statuit suæ, ut sit ei & filijs eius in progeniem æternam. Habes igitur hæredem diuinæ benedictionis, consortẽ gratiæ, principẽ iustitiæ. Sed uide quęso ne iste noster Noe agricola, bonus plantator feracis uineæ, cum fuerit amoris & gratiæ tuæ inebriatus poculo, tanquã crapulatus à uino, diutius quieti indulgeat: ac si forte indormierit, excitet eum Sem nostri desiderium. Est & ibi laphet iunior ex fratribus, qui pietatis reuerentia patrem induat, quem pater & dormiens uideat, nec unquam de pectore dimittat suo, quin semper oculis & complexu teneat, atq; euigilans intelligat quæ ei fecerit filius suus iunior, qui latitudo Latinè dicitur, eò quòd in labijs eius diffusa gratia sit, & in moribus, propter quod
4 benedixit eum dominus, quia ipse tanquam bonus retrorsum rediens patrem texit pio
Genes. 9. charitatis uelamine, & detulit pietati honorẽ, de quo & pater ait, Latificet deus laphet in domibus Sem. Vnde & in enumeratione generationũ præfertur seniori fratri, in benedictione substituitur. Præfertur propter honorem nominis, substituitur propter prærogatiuam senioris ætatis, & honorificentiam naturæ debitam. Sem autem dicitur Latinè nomen. Et bene hic noster Ambrosius bonum nomẽ, in cuius domibus dilatatur la-
Prouerb. 22 phet, quia potius est nomen bonum super multas diuitiarum copias. Sit ergo & iste benedictus, & gratia eius super aurum & argentum, sit in portione eius semen Abrahæ, sit
5 benedictio omnis in posteritate, & omni familia iusti uiri. Sed maledictus nemo, benedicti omnes. Benedictus enim Saræ fructus. Salutãt te Ambrosii, salutat Parthenius dulcissimus, salutat Valẽtinianus paratus ad humilitatẽ, quod Hebraicè Chanaan dicitur, quasi puer fratris sui, cui & nomine suo cessit. Et ideo tanquam Nemroth gemini gigas
Gen. 10 nominis, uenator egregius super terram, de quo dictum est: Tanquam Nemroth gigas uenator ante dominũ. Nanq; ingenio subrusticus, uiribus ualidus, quos ingenio æqua-
6 re non potest, uiribus superat, ut Comacinas rupes gestare secum, & faciem tauro propior uultu uideatur exprimere, posthabitum se indignatus, & paterno exutum uocabulo, metropolitanum uirum Bononiensi subditum, quia infantiæ nescit blanditias, & de nutricis gremio se illæsus excussit. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Sabinum, confutantis errorẽ cuiusdam maledici Apollinaristæ, qui nõ potest audire quòd dominus noster Iesus Christus pro nobis seruitutem susceperit.

Epistola XLVII

MBrosius Sabino. Quem scripsisti maledici sermonis seminatorem, leuissi-
A mus est, qui iam ueneni sui mercedem recepit. Siquidem responsum est ei publice: & quod priuatim seuerat, palam messuit. Ego autem uanum ante & inuisorem tantũ habebam. At ubi iste sermo ad aures peruenit meas, statim respondi
1 quòd eum uirus infecerit Apollinare, qui non potest audire quòd dominus noster le-
Philip. 2 sus pro nobis seruitutẽ susceperit in istius corporis susceptione, cum Apostolus clamet, quod formam serui acceperit. Hoc munimentũ, hæc sepes est fidei nostræ, qui hanc de-
Eccle. 10 struit, destruetur ipse, sicut scriptum est: Quia destruentẽ sepem mordebit serpens. Et quidem primo leniter mandaui ei, qua ratione bonã rem malo animo facis? Ego enim beneficio annumero, si quis mea legens scripta dicat mihi quo uideatur moueri. Primum quia & in ijs quæ scio, falli possum. Multa autem prætereunt, multa quibusdam aliter sonant. Pulchrum est, si fieri potest, cauere omnia. Deinde quia non debeo molestè ferre si

cum

cum de apostolicis & ipsis euãgelicis dominicisq; uerbis plerique multas quæstiones serant, etiam in meis scriptis reperiant de quo disputandum putẽt. Plerique enim studio indulgent suo, ut iste qui propterea orbem circuiuit ut quæreret quem reprehenderet, nõ quem sibi imitandum arbitraretur. Hic igitur ut arroderet aliquid de meis scriptis, caussam sibi amplam reperit, quoniam eo loci ubi dixit dominus Iesus: Confiteor tibi domine pater cœli & terræ: diximus ideo dictum, ut nos intelligamus patrem filij esse, & dominum creaturæ. Quanquam in Psalmo euidenter dominum dixerit patrem filius. Viderunt me, & mouerunt capita sua: adiuua me domine deus meus. Etenim secundũ formam serui locutus dominum uocauit quem patrem nouerat, æqualis in dei forma seruũ secundum carnis substantiam se prædicans. Seruitus enim carnis, dominatus autem diuinitatis est. Aduertis igitur primum pro tua admirabili prudentia ea quæ in Euangelio dicũtur, ad euangelij tempus referri, quo dominus Iesus inter homines humana specie cõuersabatur. Nunc ergo secundum hominem iam non nouimus Christum. sit ita uisus & cognitus ueteribus, iam transierunt uetera, & omnia noua facta sunt. Omnia tamẽ ex deo, qui nos sibi per Christum reconciliauit. Eramus enim mortui, & ideo unus pro omnibus seruus factus est. Quid dicam, seruus factus est? Peccatum, opprobrium, maledictum factus est. Dixit enim Apostolus: Quia pro nobis peccatum factus est, quia maledictum factus est dominus Iesus. Dixit quia cum sibi subiecerit omnia, tunc & ipse subiectus erit. Dixit & Petrus: In nomine Iesu Nazareni surge, & ambula. Dixit quia glorificauit puerum suum Iesum, & nemo calumniatur de tempore. In Apocalypsi autem & agnus dictus est à Ioanne, dictus est in Psalmo uermis, & non homo. Hæc omnia factus est, ut nostræ obtunderet mortis aculeum, nostram seruitutẽ tolleret, maledicta, peccata, opprobria. Hæc & alia quæ cõsulenti cuidam, & multo plura à te scripsisti relata, cum scriptura diuina habeat, quemadmodũ quisquam dubitabit dicere quia pie scripta sunt, quoniam ad gloriam Christi spectant non ad imminutionem? Nam cum de dono eius, hoc est manna dictum sit, quia & qui minus collegit, non diminuit: & qui plurimum, nõ ampliauit: unde potuit ipse uel minui uel augeri? Quid enim in eo imminutum est quod nostram seruitutẽ, nostras infirmitates suscepit? Erat humiliatus, erat in serui forma, sed idem in gloria dei patris. Erat uermis in cruce, sed idem dimittebat peccata etiam persecutorum suorum. Erat opprobrium, sed idem maiestas domini, sicut scriptum est: Et uidebitur maiestas domini, & uidebit omnis caro salutare dei. Quid amisit, cui nihil minus est? Non habebat quidem speciem neq; decorem, sed habebat plenitudinem diuinitatis. Infirmus existimabatur, sed non destiterat esse dei uirtus: uidebatur ut homo, sed fulgebat in terris maiestas diuina & patris gloria. Vnde pulchrè Apostolus eiusdem uerbi repetitione usus est, dicens de domino Iesu: Quia cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit formã serui accipiẽs. Quid est in dei forma, nisi in plenitudine diuinitatis, in illa perfectionis diuinæ expressione? Ergo cum esset in plenitudine diuinitatis, exinaniuit se, & accepit plenitudinem naturæ & perfectionis humanæ. sicut deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, ut esset perfectus in utraq; forma. Vnde & Dauid dicit: Speciosus forma præ filijs hominũ. Concluditur Apollinarista, nec quò se uertat habet, suis clauditur retibus. Ipse enim dixerat: Formam serui accepit, non seruus lectus est. Iterũ ergo interrogo, quid est in forma dei? Respondet. In natura dei. Sunt enim, ait Apostolus, qui nõ sunt natura dij. Quæro quid sit formam serui accipiens? Sine dubio perfectionem naturæ & conditionis (ut dixi) humanæ, ut esset in hominum similitudine. Et pulchrè non carnis, sed hominum dixit similitudinem, quia in carne eadem. Sed quia sine peccato erat solus, omnis autem homo in peccato, in specie hominis uidebatur. Vnde & propheta ait: Et homo est, & quis cognoscit eum? Homo secundum carnem, sed ultra hominem secundum diuinam operationem. Deniq; cum leprosum tangeret, homo uidebatur, sed ultra hominẽ cum emundaret. Et cum Lazarum fleret mortuũ, quasi homo flebat: sed supra hominem erat cum mortuum iuberet uinctis pedibus exire. Homo uidebatur cum penderet in cruce, sed supra hominem cum reseratis tumulis mortuos resuscitaret. Nec sibi blandiatur uirus Apollinare, quia ita legitur: Et specie inuentus ut homo. Non enim negatus est homo Iesus, cum alibi ipse Paulus de eo dicat: Mediator dei & hominũ homo Christus Iesus,

Matth. 11
Psal. 108
2. Cor. 5
Ibidem
Act. 3
Apoc. 5
Psalm. 21
Genes. 16
Esa. 40
Ibidem 53
Philip. 2
Psal. 44
Gal. 4
Matth. 8
Ioan. 11
Philip. 2
1. Tim. 2

sed confirmatus est. Id enim est usus & moris scripturæ sic significare. Sic & in Euange-
Ioan. 1 lio legimus: Et uidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre. Sicut ergo quasi unigenitus dicitur, & nō abnuitur unigenitus dei filius, ita ut homo dicitur, & perfectio fuisse in eo hominis nō negatur. Cum esset igitur in forma serui humiliatus usq; ad mor tem, erat tamen in dei gloria. Quid ei igitur obfuit seruitus? Seruus autem factus legi-
Psal. 118 tur, quia legitur factus ex uirgine, & creatus in carne. Omnis enim creatura seruit, dicen te propheta: Quia uniuersa seruiunt tibi. Vnde & Deus pater ait: Inueni Dauid seruum
Ibidem 88 meum, oleo sancto unxi eum. Ipse uocabit me, pater meus es tu, deus salutis meæ: & ego
Ibidem 85 primogenitum ponam eum. Et in alio Psalmo: Custodi animam meam, quoniam sanctus sum, saluum fac seruum tuum. Et infra in eodem Psalmo: Da potestatem puero tuo, & saluum fac filium ancillæ tuæ. Congessi enim patris & filij uoces, ut ei non argumen-
Ibidem 30 ta humana, sed diuina responderent oracula. Alibi, inquit: In manus tuas cōmendo spi-
2 ritum meum. Statuisti in loco spatioso pedes meos, super omnes inimicos meos factus sum opprobrium. Et in eodem Psalmo: Illustra faciem tuam super seruum tuum. Per E-
Esa. 49 saiam quoq; dicit ipse filius dei: Ex utero matris uocauit dominus nomen meum, & posuit os meum ut gladium acutum, & sub tegmento manus suę protexit me. Posuit me sicut sagittam electam, & pharetra sua texit me, & dixit mihi: Seruus meus es Israel. Dicitur enim dei filius, & Israel, sicut alibi, Iacob puer meus, Israel dilectus meus. Solus enim uere deum patrem non solum uidit, sed etiam enarrauit. Et sequitur: In te glorificabor. Et ego dixi, in uacuum laborauí, & in nihilum dedi uires meas, ideo iudicium meū ante dominum, & dolor meus ante deum meū. Et nunc sic dicit dominus: Qui finxit me seruum ex utero sibi ad congregandum Iacob & Israel. Quis cōgregauit dei populum nisi Christus? Quis glorificatus est ante dominum? Quis est dei uirtus? Cui dixit pater: Magnum tibi est uocari te puerum meum? Et cui dicit: Ecce posui te in testamentum gene
ris mei, in lucem gentium, ut sis in salutem usq; ad extremum terræ? De quo etiam per
Ezech. 34 os Ezechiel locutus est dicens: Suscitabo super eos pastorem unum, & reget eos seruus meus Dauid, & erit eorum pastor, & ego dominus ero illis in deum, & Dauid in medio eorum princeps? Dauid utiq; rex iam defunctus erat, & ideo uerus Dauid, uerus humilis, uerus mansuetus, uerus manu fortis dei filius hoc annunciatur nomine: qui etiam in
Zach. 3 Zachariæ prophetæ libro significatur, dicente deo patre: Ecce ego mittam seruū meū, Oriens nomen est ei. Nunquid quia habebat uestimenta sordida, ideo fulgorem diuinitatis suæ sol iustitiæ non habebat? Et quid plura? An infirmius putamus seruitium esse quàm peccatum? quàm maledictum? quàm opprobrium? quàm infirmitates? quas pro nobis suscepit, ut à nobis auerterentur? Factus est enim hæc omnia, ut uniuersa uacuaret. Sed hæc ideo non recipiunt quod seruus, opprobrium, peccatū, maledictum factus sit, quia uerbum & carnem unius asserunt esse substantiæ, & dicunt, ergo qui nos redemit, seruus dictus est, & peccatum debuit dici. Nec aduertunt quòd hæc Christi gloria sit, quia seruitutem suscepit in corpore suo, ut libertatem omnibus redderet: peccata nostra portauit, ut mundi peccatum tolleret. Seruus, peccatum, maledictum factus est, ut tu peccati seruus esse desisteres, te diuinæ sententiæ maledicto absolueret. Ille ergo ma-
Deut. 21 ledictum suscepit tuum. Maledictus enim omnis qui pendet in ligno. Ille maledictum
3 in cruce factus est, ut tu benedictus esses in dei regno. Ille dehonestatus & depreciatus
Esa. 49 est, nec aliquid existimatus. Ille dicebat: Inuacuum laborauí. per quem meruit Paulus di-
Philip. 2 cere: Non inuacuum laborauí, ut boni operis fructum, & euangelicę prædicationis glo riam suis conferret seruulis, per quam uniuersi sarcina laboris absoluerentur. His igitur
Hier. 17 auditis derelictus est in dimidio dierum suorum perdix qui clamauit ut cōgregaret quæ
4 non peperit, & oppressus est uoce domini Iesu. Deniq; adornat fugam. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Irenæum prosequentis illud quod in Hieremia scriptum est: Clamauit perdix, congregauit quæ non peperit: naturam istius auis describendo, & eam diabolo ac membris suis adaptando. Epistola XLVIII

Ibidem A Mbrosius Irenæo. Clamauit perdix, congregauit quæ non peperit. Licet enim mihi de superioris fine epistolæ, sequētis mutuarí exordium. Celeberrima quæstio: & ideo ut possimus eam absoluere, quid de natura auis istius habeat

habeat hiſtoria, conſideremus. Nam & hoc conſiderare non mediocris prudentiæ eſt, ſiquidem & Solomõ cognouit naturas animalium,& locutus eſt de pecoribus,& uolatilibus,& de reptilibus,& de piſcibus. Dicitur itaq; auis iſta plena eſſe doli,fraudis,falla 1
ciæ,quæ decipiendi uenatoris uias calleat,atq; artes nouerit,ut eum à pullis auertat ſuis, omniaq; tentamenta uerſutiæ non prætermittere,quo poſſit uenantem abducere à nido & cubilibus ſuis. Certè ſi inſiſtere aduerterit,tamdiu illudit,quamdiu ſoboli fugiendi ſignum tribuat & poteſtatem. Quam ubi euaſiſſe ſenſerit,tunc ſe &ipſa ſubtrahit,& lubrica arte deceptum inſidiantem relinquit. Fertur etiam promiſcuæ eſſe permixtionis, ut 2
in fœminas cum ſummo certamine mares irruant,& uaga caleſcant libidine. Vnde impurum & malcuolum & frudulentum animal aduerſario & circunſcriptori generis humani, fallaciſſimoq;, & impuritatis authori conferendum putatur. Clamauit ergo perdix, qui à perdendo nomen accepit,Sathanas ille,qui Latinè contrarius dicitur. Clamauit in Eua primum, clamauit in Cain, clamauit in Pharaone, Dathan, Abiron, Chore. Clamauit in Iudæis,quando petierunt ſibi fieri deos cum Moyſes legem acciperet.Clamauit iterum,quando de ſaluatore dixerunt: Crucifigatur,crucifigatur:Sanguis eius ſu- *Matth.27*
per nos,& ſuper filios noſtros.Clamauit quando ſibi regem fieri poſtulauerunt,ut recederent à domino deo rege. Clamauit in omni uano & perfido. His uocibus congregauit ſibi populos quos non creauerat.Deus enim hominem ad imaginem ſuam fecit, & *Gen.1*
diabolus ſibi hominem uocis ſuæ fraude ſociauerat.Congregauit ſibi nationum populos faciens diuitias non cum iudicio. Vnde in prouerbio eſt de diuite auaro: Quia perdix iſte congregat diuitias nõ cum iudicio. At uero meus Ieſus quaſi iudex bonus cum iudicio omnia agit,qui uenit,ſicut ſcriptum eſt dicẽs: Ego loquor iuſtitiam,& iudicium ſalutis. Ea igitur gratia deprædatus eſt perdicem illum diabolum, abſtulit ei male congregatas diuitias multitudinis, reuocauit ab errore animas gentium, mentesq; nationũ deuiantium.Et quia diaboli uoce deceptos ſciebat,& ipſe ut uincula nexusq; ueteris erroris ſoluere, clamauit primum in Abel, cuius clamauit uox ſanguinis. Clamauit in *Gen.4*
Moyſe,cui dixit: Quid clamas ad me? Clamauit in Ieſu Naue,clamauit in Dauid,qui ait: *Exo.14*
Clamaui ad te,ſalua me,clamauit in omnibus prophetis. Vnde & ad Eſaiam dicit: Cla- *Pſal.117*
ma.& ille ait: Quid clamabo? Clamauit in Salomone conuocans cum altiſſima prædi- *Eſa.40*
catione ad ſapientiam: Venite,edite de meis panibus, & bibite uinum quod miſcui uo- *Prouerb.9*
bis.Clamauit etiam in corpore ſuo, ſicut ſcarabæus in ligno. Clamauit ut inſidiatorem *Habacuc 2.*
falleret & circumueniret,dicens: Deus deus meus quare me dereliquiſti? Clamauit ut *iuxta 70*
deſpoliaret,reſpondens latroni: Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. *Matth.27*
Itaq; ubi clamauit Ieſus, cõtinuo perdix ille à congregatis in dimidio dierum ſuorũ de- *Luce 23*
relictus eſt. Vnde & quidam naturæ perdicis etiam iſtud aptandum putarunt, eò quòd aliena diripiat oua,& foueat ſuo corpore, atq; hac ſua fraude partus alienos ſtudeat acquirere.Sed (quod aiunt,cornicis oculum,habent enim & uolatilia ſuas artes) ubi iſtud aduerterit cuius aut ſingula oua direpta, aut cubile fuerit inuaſum ſolicitata ſoboles errore ſimilitudinis,ſpeciei ſimulatione decepta,& ſi infirmior uiribus,induit ſe atque armat uerſutia,& cum labor omnis impenſus nutrimentorum educantem exhauſerit,atq; adoleſcere pulli cœperint, tunc uocem emittit, & quadam pietatis tuba prolem aduocat. Quæ naturali quodam auditu excitata agnoſcit parẽtem,& ſimulantem deſerit. Ita cum uult congregare quę non peperit,amittit quos nutriendos putauit.Non ſuperfluo igitur & Ieſus clamauit,ut quia totius mundi populus uoce perdicis,blanditijs,arte,ſpecie deceptus ab authore proprio deuiauerat, lubricas artes ſecutus, ueri parentis uoce reuocatus fallacem relinqueret,atq; in dimidio dierum eius fraudulentum deſereret,id eſt ante huius finem ſeculi,cui nos eripuit dominus Ieſus,& ad uitam æternam uocauit. *1.Cor.1*
Itaq; nunc mortui mundo,uiuimus deo. Cum igitur perdix iſte penitus à falſis filijs de- *Ibidem 3*
relictus fuerit,tunc erit ſtultus ille quem elegit deus,& ſapientem confudit,ſaluus:quoniam quæ ſtulta ſunt mundi,elegit deus.Ideo ſi quis uidetur ſapiens eſſe in hoc ſeculo,ſtultus fiat,ut ſit ſapiens. Vale fili,& nos dilige ut facis,quoniam nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Syricium, narrantis illum Prisco aduenienti literas dedisse, & se eidem reuertenti alias reddidisse. Epistola XLIX

Mbrosius Syricio. Prisco amico & æquæuo meo dedisti aduenienti literas.
A ego quoque reuertenti reddidi, quas & pro officio, & pro amore debui. Vtrumq; igitur nostrum suo officio remuneratus est, quo & mihi tuas, & meas tibi restituit. Ideo eius officij precium incrementa debet adipisci gratiæ. Vale, & nos frater dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Atticum, scribentis literas suas Priscum sibi, & se illi alias reddidisse. Epistola L

Mbrosius Attico. Prisco meo dedisti literas, Priscus meus mihi reddidit, &
A ego Prisco. Tu Priscum ut soles dilige, & plus etiam quàm soles, quod eo suadeo, quia & ipse Priscum meum facio plurimi. Est enim erga eum priscus hic noster amor, qui à pueritia iam inde nobis cum ætate accreuit simul, sed eum multo pòst uidi tempore, ut uere mihi nõ solùm nomine, sed etiam tanti interuallo temporis Priscus aduenerit. Vale, & amantes tui dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Felicem, significantis tuberum sibi missorum partem amicis direxisse, & illum quòd se tamdiu nequaquam reuiserit arguentis. Epistola LI

Mbrosius Felici. Misisti mihi tubera, & quidem miræ magnitudinis, ut stu
A pori forent ea tam grandia. Nolui in sinu, ut aiũt abscondere, sed alijs quo-
1 que demonstrare malui. Itaque partem direxi amicis, partem mihi reseruaui. Suaue munus, non tamen ita præpotens ut comprimeret querelam meam iure excitatam, quòd nos tamdiu amantes tui nequaquam reuisas. Et caue posthac ne maiora inuehas doloris tubera. Nam huius nominis diuersa ratio. Vt enim grata in munere, ita in corpore atq; in affectu molesta sunt. De te impetra quo minus te abesse doleã. Nam
2 caussa cõmotionis meæ desiderium est tui. Effice si potes, ut minus gratus sis. Rem exposui, caussam probaui. Intorquenda est amentata illa non manipularis sententia. metuisti certe, sed uide quàm mouear, ut delectet iocari, postea tamen ne excusauer is. Et e-
3 nim quamuis tua hęc uectigalis mihi sit excusatio, malè de te iudicas, nec de me melius, si aut tuam absentiam muneribus compensandam, aut me muneribus redimendum putes. Vale, & nos amantes tui dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Romulum, quæstioni illius, cur uidelicet deus dixerit: Ponam cœlum æreum, & terram ferream, satisfacientis. Epistola LII

Mbrosius Romulo. Cum sis in agro, miror qua ratione de me quærendum
Leuit. 26 Deut. 28 A putaueris cur dixerit deus: Ponam cœlum æreum, & terram ferream: Nam
species ipsa agri & præsens fertilitas docere nos potest quanta clementia sit aeris, & cœli indulgentia, quando dignatur deus ubertatem dare: quando autem sterilitas, quemadmodum clausa omnia, spissus aer, ut in rigorem æris solidatus putetur. Vn
Luc. 4 de alibi habes quia in diebus Heliæ clausum est cœlum annis tribus, & mensibus sex. Significatur igitur clausum cœlum æreum esse, usum sui terris negare. Terra quoq; ferrea est: cum prouentus abnuit, & iacta sibi semina tanquam hostili duritia genitali exclu dit aluo, quæ gremio solet blandæ matris fouere. Quando enim ferrum fructificat? Quando æs imbres relaxat? His igitur miserandam famem minatur impijs, ut qui pietatem filiorum communi omnium domino & patri exhibere nesciunt, careant nutrimento paternæ indulgentiæ, sit illis cœlum æreum concreto aere, & solidato in metalli rigorem, sit illis terra ferrea partus suos nesciens, & quod plerumque inopia habet, discor-
1 dias serens. Rapto enim utuntur qui uictu indigent, ut alienis dispendijs famem suam
2 ableuent. Iam si & offensa inhabitantium huiusmodi sit, ut diuina commotione ijs inferantur prælia, uerè terra est ferrea, telorum segetibus inhorrens, & suis nuda fructibus,
Exo. 16 fœcunda ad pœnam, sterilis ad alimoniam. Vbi autem abundantia? Ecce ego pluo uobis panes, dicit dominus. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui

Diui Ambrosii ad Titianum, illi cõgaudentis quòd à Rufino liberatus sit, quem sibi grauiorẽ iudicem in negocio cum nepte sua arbitrabatur. Epist. LIII

Mbrosius Titiano. Venit tibi innocens uictoria, ut sine uoti amaritudine
A potiaris uictoriæ securitate. Rufinus enim ex magistro officiorum factus
est in cõsulatu præfectus prætorio, ac per hoc plus posse cœpit, sed tibi iam
nihil obesse. Est enim aliarum præfectus partium. Congaudeo uel illi ut amico, quia ho
nore auctus inuidia leuatus est: uel tibi ut filio, quia liberatus es ab eo quem tibi grauio
rem iudicem arbitrabare, ut si de negocio definiueris cum tua nepte, pietatis tuæ sit, non 1
formidinis. Ideoq; promptior esto decisioni, cuius & spes potior, & fructus est. Spes, 2
quia pater neptis tuæ, qui de illius sententia sibi plurimum blandiebatur, iam quod de
eo speret non habet. Ille enim alia curat, præterita negligit, uel cum illo quod tunc gere- 3
bat, deposuit officio: iste negocij sui meritum, non sententiæ patronum considerat. Et 4
fructus iucundior est, ut tibi referatur decisionis gratia, qui potueris iam spernere, & nõ
spreueris, pietatem spectans necessitudinis, non stimulum offensionis. Vale, & nos di-
lige ut filius, quia nos te ut parentes diligimus.

Diui Ambrosii ad Syricium, gratum sibi afferentis cum & ab ipso literas accipiat, & ille aliquos de conseruitio suo dirigat, eosq; se diligere contestantis qui non patiuntur se à suo munere diutius abesse, & ad sequendum dominum Iesum suadentis. Epistola LIIII

Mbrosius Syricio. Gratũ est mihi cùm literas accipio tuas. At cum de con- 1
A seruitio nostro aliquos dirigis, ut fratrem nostrũ, & compresbyterũ Syrum
tuis es prosecutus literis, geminat lætitia. Sed utinã fructus fuisset iste diu-
turnior. Nam statim ut uenit, recurrendũ putauit: quod quidem ad desideriũ meũ plurí- 2
mum minuit, ad sui gratiam multũ addidit. Nam ego diligo eos uel presbyteros uel dia-
conos qui cum aliquò processerint, nequaq; se patiũtur à suo diutius abesse munere. Di
cit enim propheta: Non laboraui sequẽs post te. Quis aũt potest laborare sequẽs Iesum,
cum ipse dicat: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego uos reficiam? *Matth. 11*
Sequamur ergò Iesum semper, nec desinamus. Quòd si semper sequamur, nunquã defi
cimus. Dat enim uires sequẽtibus se. Itaq; quo propior uirtuti fueris, eo fortior eris. Ple-
rũq; cũ sequimur, dicit nobis ab aduersarijs: Vbi est uerbũ domini? ueniat. Sed nos non *Hiere. 17*
fatigemur sequendo, nõ auertamur subdolæ interrogationis impedimẽto. Dicebat hoc
prophetæ cum mitteretur in carcerẽ, cum demergeretur in uoraginẽ luti. Vbi est uerbũ 3
domini? ueniat. Sed ille multo magis secutus est, & ideo ad brauiũ peruenit, ideo acce-
pit coronã, quia nõ laborauit qui sequebat Iesum. Nõ est enim labor in Iacob, nec dolor
uidebitur in Israel. Vale, & nos dilige, quia & nos amantẽ nostri ut parentẽ diligimus.

Diui Ambrosii ad Fygadium & Delphinum episcopos, insinuantis Polybium ut utriq; eorũ scriberet poposcisse, ac post datam epistolam utriusq; nomine conscriptam alteram exegisse, & ei se illam dedisse. Epistola LV

Mbrosius Fygadio & Delphino episcopis. Polybius filius noster cum de
A Africanis regressus partibus, in quibus proconsularem iurisdictionẽ egre- 1
giè repræsentauit, aliquãtulos nobiscũ exegisset dies, summa gratia se meis
uisceribus infudit. Deinde cum abire hinc & demeare uellet, poposcit ut utriq; uestrum
scriberem. Promisi futurũ. Itaq; dictaui epistolam, & utriusq; conscriptam nomine dedi.
Postulauit alteram. Dixi ad utrumq; uestrum datam more usuq; nostro, eò quòd sancta
mens uestra non epistolarum numero, sed coniunctione nominũ delectaretur: nec per-
peti posset ut fieret uocabulorum separatio, quorũ affectus conueniret. Ideoq; præscri-
ptum nostro muneri ut uteremur charitatis cõpendio. Quid plura? Exegit alteram, de-
di: ut neq; illi negarem quod posceret, nec mihi immutarem, quod in usum uenerat. Ita 2
& ille habet quod utriq; reddat: quia id solum prætendit, ne cum alteri reddidisset, alteri
uacuus foret. Et ego uobis indiuisæ gratiæ munus sine ullo dependam offensionis peri-
culo, & diuisionis scrupulo: cum præsertim etiam hæc forma scriptionis apostolicæ sit,
ut & unus ad plures, ut Paulus ad Galatas: & duo ad unum possint scribere, sicut scriptũ
est: Paulus uinctus Iesu Christi, & Timotheus frater, Philemoni. Salutem uobis dico, di-
ligite nos, & orate pro nobis, quia ego uos diligo.

Diui

Diui Ambrosii ad Romulum, de eo quòd Aaron populo poscenti sibi deos fieri, aurum detraxerit, & quòd eo auro figuratum sit uituli caput, & quòd Moyses tam dure indignatus sit, ut iuberet quemque insurgere in necem proximi sui, quid ipse sentiat exprimentis.

Epistola LVI

AMbrosius Romulo. Epistolarum genus propterea repertum, ut quidam nobis cum absentibus sermo sit, in dubiũ non uenit. Sed fit hoc usu exemploq; pulchrius, si inter parentem ac filios crebra & iucunda alloquia cudantur, ut
1 uerè inter disiunctos corpore quædam imago referatur præsentiæ. His enim adolescit officijs amor, sicut tuis ad me, aut meis ad te augetur literis. Sed hoc multo locupletius proximis tuæ dilectionis experiri cœpi affatibus, quibus me consulendum putasti quid
Exodi 32 sibi uellet quòd Aaron aurum detraxerit populo poscenti sibi fieri deos, & quòd ex auro figuratum sit uituli caput, uel quòd Moyses tam dure indignatus sit, ut iuberet proximum quemq; insurgere gladijs in necem proximi sui. Magnũ est enim, nullum pati absentibus damnum irrepere non solùm suauitatis, sed etiam collationis & liberalis scientiæ. Quid igitur de eo sentiam quoniam exposcis, conferendi magis quàm exponendi studio loquar. Cum Moyses in monte Syna legem acciperet, populus erat cum Aaron sacerdote. Et quamuis frequenter ad culpam lubricus, tamen quamdiu lex dabatur, sacrilegio errasse non proditur. Verùm ubi diuinum contícuit oraculum, peccatum irrepsit, ut peterent sibi fieri deos. Coactus Aaron petit annulos eorum, & inaures mulierũ,
2 quæ tradita in ignem misit, & conflatum est uituli caput. Neq; excusare tantum Sacerdotem possumus, neq; condemnare audemus. Non imprudens tamen qui annulos ludæis & inaures abstulit. Etenim qui sacrilegium moliebantur, nec fidei signaculum habere poterant, nec ornamenta aurium. Denique & patriarcha Iacob abscondit inaures
3 cum simulachris gentium, quando in Sichimis abscondit, ut nullus audiret superstitio-
Genes. 35 nes Gentilium. Pulchrè autem dixit: Deponite annulos & inaures aureas, quæ sunt mulierum uestrarum. Non quo uirorum inaures relinqueret, sed quod uiros non habere manifestaret. Congruè quoq; inaures auferuntur mulieribus, ne iterum Eua uocem serpentis audiret. Et ideo quia sacrilegium audierant, conflatis earum inauribus confla-
3. Reg. 12 ta est imago sacrilegij. Qui enim male audit, conflare sacrilegiũ solet. Cur autem caput uituli exierit, sequentia docent: quia significabatur futurum quod Hieroboam posterio re tempore hoc genus sacrilegij induceret, ut populus Hebræorum adoraret uitulos aureos, siue quòd omnis perfidia similis immanitatis atq; insipientiæ bestialis sit. Cuius rei indignitate percitus fregit tabulas Moyses, & comminuit uituli caput, atq; in puluerem redegit, ut omnia impietatis aboleret uestigia. Fractæ sunt enim primæ tabulæ, ut reparrentur secundæ, quibus per Euangelij prædicationem perfidia cõminuta euanuit. Sic
4 Moyses typhũ illũ dissipauit Aegyptium, & altitudinẽ extollentem se cõpressit æternæ
Psalm. 28 legis authoritate. Vnde & Dauid ait: Et confringet dominus cedros Libani, & commi nuet eas tanquam uitulum Libani. Itaq; absorbuit populus omnem perfidiam ac superbiam, ne eum absorberet impietas & arrogantia. Melius est enim ut unusquisq; præua-
Isa. 25. iuxta 70 leat carni & uitijs eius, ne dicatur de eo quia deuorauit eum mors præualens, sed dica-
1. Cor. 15 tur magis: Deuorata est mors in uictoria sua. Vbi est mors uictoria tua? Vbi est mors
Psal. 109 aculeus tuus? Et de domino dictum: De torrente in uia bibet. Quia acetum accepit, ut absorberet uniuersorum tentationes. Quod autem occidi fecit à proximis proximos, filios à parentibus, à fratribus fratres, præceptum euidens, quia præferenda est religio necessitudini, pietas propinquitati. Ea est enim uera pietas quę præponit diuina humanis,
Exo. 32 perpetua temporalibus. Vnde & ipse Moyses ad filios Leui dixit: Qui paratus ad dominum, ueniat ad me. Et dixit illis: Hæc dicit dominus deus Israel: imponite unusquisq; gladium suum in femore suo, & pertransite. ut contemplatione atq; amore reuerentię diuinæ perimeretur omnis affectus necessitudinis. Et occisa quidem scribuntur tria millia hominum. Nec numeri inuidia mouemur, quia melius est paucorum supplicio uniuersos exui, quàm in omnes uindicari. Neq; uerò aliquid durum uidetur pro uindicta iniuriæ cœlestis. Deniq; sanctiora cęteris ad hoc munus eliguntur ministeria Leuitarũ, quorum portio deus. Nesciunt enim suis parcere, qui nihil suũ norunt: quoniã sanctis omnia deus est. Est enim ille Leuita uerus ultor & uindex, qui carnem interimit, ut seruet spiritum

ritum, qualis erat ille qui ait: Castigo corpus meum, & seruituti redigo. Quid autem tam 1.Cor.9
proximum, quàm caro animæ? Quid tam proximum, quàm sunt passiones corporis? Eas in se Leuita bonus interimit spiritali gladio, qui est uerbum dei bis acutum & ualidum. Est & gladius spiritus, qui pertransit animam, sicut ad Mariam dictum est: Tuam ipsius animã pertransibit gladius, ut reuelentur multorũ cordium cogitationes. Non'ne Lucæ 2
caro animæ fraterno quodam copulatur consortio? Non'ne etiam menti nostræ affinis & propinquus sermo est? Cùm igitur comprimimus sermonẽ ne multiloquio peccatũ incidamus, ius germanitatis abrumpimus, & fraternæ uinculum propinquitatis dissoluimus, irrationabile quoq; suum anima tanquã cognatũ rationabili uigore dissociat. Sic ergo Moyses docuit populum insurgere in proximos suos, per quos fides reuocaretur, uirtus impediretur, ut desecaretur in nobis quicquid à uirtute deuium foret, confusum erroribus, uitijs innexum. Hac institutione populi meruit ut nõ solũ deliniret indignationem diuinam, atq; offensam auerteret, uerumetiã conciliaret gratiam. Pro captu itaq; nostro quid sentiremus, quoniam consuluisti, expressimus. Ipse si quid melius habes, no bis cõparticipato, ut ex te & ex nobis discamus quid potius eligendum & sequendum 5
sit. Vale, & ut filius nos dilige, quoniam & nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Seuerum episcopum, scribentis compresbyterũ suum Iacobum Campaniæ sibi ad requiescendum littora ubi orationi uacet, & deo seruiat, elegisse, se uero in medio omnium molestiarum freto uersari conquerentis.

Epistola LVII

Mbrosius Seuero episcopo. Ex ultimo Persidis profectus sinu Iacobus fra-
A ter & compresbyter noster, Campaniæ sibi ad requiescendum littora, & ue stras elegit amœnitates. Aduertis quibus in locis quasi ab huius mundi uacuam tempestatibus suppetere sibi posse præsumpserit securitatẽ, ubi post diuturnos labores reliquum uitæ exigat. Remota enim uestri ora littoris non solùm à periculis, sed etiam ab omni strepitu tranquillitatem infundit sensibus, & traducit animos à terribilibus, & sæuis curarũ æstibus ad honestam quietem, ut illud cõmune omnium specialiter uobis uideatur cõgruere & conuenire quod ait Dauid de sancta Ecclesia: Ipse super ma psal.23
ria fundauit eam, & super flumina præparauit eam. Etenim liber animus à Barbarorum incursibus, & præliorũ acerbitatibus, uacat orationibus, inseruit deo, curat ea quæ sunt domini, fouet illa quæ pacis sunt & tranquillitatis. Nos autem obiecti Barbaricis motibus & bellorum procellis in medio uersamur omnium molestiarum freto, & pro his la- 1
boribus & periculis grauiora colligimus futuræ uitæ pericula. Vnde de nobis propheticum illud concinere uidetur: Pro laboribus uidi tabernacula Aethiopum. Etenim in istius mundi tenebris quibus obumbratur ueritas futuræ perfectionis, cùm annum tertium & quinquagesimũ iam perduxerim in hoc corpore situs, in quo tam graues iamdu 2
dum sustinemus gemitus, quomodo nõ in tabernaculis Aethiopum tendimus, & habitamus cum habitantibus Madian? Qui propter tenebrosi operis conscientiam dijudicari etiam ab homine mortali reformidant. Spiritualis enim dijudicat omnia, ipse autem 1.Cor.2
à nemine dijudicatur. Vale frater, & nos dilige, ut facis, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Studium, pia illi persuasione respondentis quid in causa cuiusdam criminosi potius agere debeat.

Epistola LVIII

Mbrosius Studio. Recognosco puræ affectum mentis, & fidei studium, &
A domini nostri Iesu Christi timorẽ: De quo etiam ego uererer responsum referre, constrictus altero quod est cõmissum uobis propter custodiam legũ, altero aũt propter misericordiam & gratiam, nisi de hoc Apostolicam haberes authori- Rom.13
tatẽ, quia non sine causa gladium portat qui iudicat. dei enim uindex est in eos qui male agunt. Quod tamen etsi cognitũ tibi foret, nõ ociosè scisscitandum putasti. Nam nõ sunt extra ecclesiam tamẽ qui in aliquos capitalem sententiam ferendam existimauerũt. Plericq; etiam sponte se abstinẽt, & laudantur quidem, nec ipsi eos possumus nõ prædicare, quia authoritatẽ Apostoli eatenus obseruamus, ut ijs cõmunionem non audeamus negare. Vides igitur quid authoritas tribuat, quid studeat misericordia. Excusationem habebis, si feceris: laudem, si nõ feceris. Sed si nõ potueris facere, nec tamen innocentes at- 1
terere squalore carceris & absoluere, plus quasi Sacerdos probabo. Potest enim fieri ut

causa

causa cognita recipiatur ad sententiam reus, qui postea aut indulgentiam sibi petat, aut certe sine graui seueritate (quod quidam ait) habitet in carcere. Scio tamẽ plerosq; Gen
2 tilium gloriari solitos quòd incruentam de administratione prouinciali securim reuexe
Ioan. 8 rint. Si hoc Gentiles, quid Christiani facere debent? Ad omnia tamẽ accipe responsum
Matth. 5 saluatoris. Nam cùm adulteram reperissent Iudæi, obtulerũt eam Saluatori: captãtes, ut
Ioan. 8 si absolueret eam, uideretur Legẽ soluere, qui dixerat: Non ueni legẽ soluere, sed adim-
3 plere. si damnaret, uideretur aduersum finẽ uenisse propositi sui. Hoc igitur præuidens
Hiere. 22 dominus Iesus, inclinato capite scribebat in terra. Quid scribebat nisi illud propheticũ? Terra, terra, scribe hos uiros abdicatos, quod de Iechonia lectũ est in Hieremia prophe ta. Cùm Iudæi interpellant, in terra scribuntur nomina Iudæorũ, cùm adeunt Christiani, non scribuntur in terra fidelium nomina, sed in cœlo. In terra autẽ scribuntur abdicati à patre proprio, qui patrem tentant, & contumelias irrogant authori salutis. Cùm inter-
Matth. 8 pellant Iudæi, inclinat caput Iesus, & quia non habet ubi reclinet caput suum, iterũ eri-
Ioan. 8 git quasi dicturus sententiam, & ait: Qui sine peccato est, prior lapidet eam. Et iterũ inclinato capite scribebat in terra. Audientes illi, exire cœperunt singuli, incipientes à senioribus: uel quod ipsi plura haberent crimina qui diu uixerãt, uel quia priores uim intellexerũt sententiæ, quasi prudentiores: & cœperũt sua magis peccata deflere, qui alieni criminis uenerãt accusatores. Recedentibus ergo illis remansit solus Iesus, & eleuãs caput ad mulierem, ait: Vbi sunt qui te accusabant? nemo te cõdemnauit? Et illa respon dit: Nemo. Dicit ei Iesus: Nec ego te damnabo. Vade, & ammodo uide ne pecces. Non
4 damnat, quasi redẽptio: corrigit, quasi uita: quasi fons abluit. Et quia quando se inclinat Iesus, ideo inclinat ut iacẽtes eleuet, ideo ait remissio peccatorũ: Nec ego te damnabo. Habes quod sequaris. Potest enim fieri ut ille criminosus possit habere spem correctionis, si sine baptismo est: ut possit accipere remissionẽ: si baptizatus, ut pœnitentiam gerat, & corpus suum pro Christo offerat. Quantæ sunt ad salutẽ uiæ? Et ideo maiores maluerunt indulgẽtiores esse circa iudices, ut dum gladius eorũ timeretur, & reprimeretur scelerum furor, non incitaretur. Quòd si negaretur cõmunio, uideretur criminosorum uindicata pœna. Maluerunt igitur priores nostri ut id in uoluntate magis abstinentis, quàm in necessitate sit legis. Vale, & nos dilige, quia nos quoq; te diligimus.

Diui Ambrosii ad sacerdotes quosdam, & omnem clerum plebis Thessalonicensium, de obitu, uita, uirtutibus, & conuersatione sancti uiri Acholij.

Epistola LIX

AMbrosius Anatolio, Numerio, Seuero, Philippo, Macedonio, Ammiano,
A Theodosio, Eutropio, Claro, Eusebio, & Timotheo domini Sacerdotibus, & omni clero domini plebis Thessalonicensium dilectis salutẽ. Dum semper affixũ tenere animo desidero uirũ sanctũ, atq; omnes actus eius quasi in specula positus exploro, hausi nimia indagine solicitudinis amaritudinẽ nuncij celerioris, & quod adhuc mallem nescire, cognoui in cœlestibus iam requiescere uirũ S. Acholiũ, quem in terris requirebamus. Quæritis quis hoc annunciauerit, cùm uestræ sanctitatis nondum uenissent literæ? Non teneo authorẽ nuncij, & usu quidem uenit ut non libenter teneamus nuncium mœstitudinis, sed tamen clauso tunc tẽporis mari, occupatis terrarũ Barbarica infestatione regionibus, cùm deesset qui aduenire potuerit, nõ defuit qui nuncia ret: ut mihi uideatur ipse sanctus annũciasse se nobis, eo quòd iam perpetuo laboris sui potiretur stipendio, & solutis uinculis corporis inter angelorum ministeria Christo adhæreret, cupiens amantis sui errorẽ absoluere, ne illi longæuitatẽ uitæ huius deprecaremur, cui uitæ æternæ iam præmia deferebantur. Abijt ergo, non obijt, & emigrauit à nobis ueteranus Christi Iesu, cœlo terræ istius solum mutans, & plaudens alis atq; remigijs
Psalm. 54 spiritualibus dicit: Ecce elongaui fugiens. Cupiebat enim apostolico spiritu iam dudũ
Philip. 1 terras relinquere, sed tenebatur uotis uniuersorũ, sicut de Apostolo legimus, quia remorari eum diutius in carne erat Ecclesiæ necessariũ. Viuebat enim non sibi, sed omnibus, & populis erat uitæ æternæ minister, ut prius eius fructum etiam in alijs quàm in se adipisceretur. Est igitur iam superiorum incola, possessor ciuitatis æternæ illius Hierusalem quæ in cœlo est. Videt illic urbis eius mensuram immensam, purũ aurum, lapidem precioſum, lumen sine sole perpetuum, & hæc omnia iamdudum quidem sibi comperta, sed

sed nunc facie ad faciem manifesta uidens, dicit: Sicut audiuimus, ita & uidemus in ci- *Psalm. 47*
uitate domini uirtutum, in ciuitate dei nostri. Ibi ergo positus appellat populum dei, di-
cens: O Israel quàm magna est domus dei, & quàm ingens locus possessionis eius, ma- *Baruch. 3*
gnus & non habens finẽ. Sed quid hoc est? Dum merita uiri cõsidero, & quasi discedentem spiritu sequor, & sanctorũ choris deducentibus intermisceor, non merito ullo, sed affectu penè sum oblitus mei. Itáne ergo raptus est nobis murus fidei, gratiæ, & sanctitatis, quem totiens ingruentibus Gotthorum cateruis nequaquã tamẽ potuerunt Barbari ca penetrare tela, expugnare multarum gentium bellicus furor? Deniq; in cæteris popu
latores locis, illic pacem rogabãt: mirantibusq; quid sibi sine milite ullo obsisteret, à pru
dentioribus intimabatur Helisæi intus imitatorem degere, ætate supparem, non impa- 1
rem spiritu: cauerent ne exemplo Syriaci agminis sibi quoq; cæcitas offunderetur. Et tamen circa discipulos suos diuersa dona Christi sunt. Helisæus quidem in Samariã captiuas acies induxit Syrorum, sanctus autẽ Acholius precibus suis fecit, ut de partibus Ma *4. Reg. 6*
cedoniæ uictores fugaret. Nónne & hoc intelligimus uirtutis superioris fuisse, ut ubi mi
les nullus aderat, illic pellerẽtur sine milite? Nónne & hoc cæcitatis est ut fugerent quos
nullus urgebat? sed urgebat & præliabatur sanctus Acholius, non gladijs, sed oratio-
nibus: non telis, sed meritis. An incognitum nobis est dimicare sanctos etiam cùm ferien- *4. Reg. 6. et 7*
tur? Nónne ociosus erat Heliseus? Ociosus scilicet corpore, sed uibrabat spiritu, & ora-
tionibus præliabatur, quando in castris Syriæ uox equitũ & uox uirtutis magnæ audie-
batur, adeò ut putarent Syri aliorum regum aduersus se uenire exercitus, qui populo Is-
rael adiumento forent, unde perculsi magno fugerunt pauore, ita ut leprosi quatuor qui
mortis egressi fuerant desiderio, castra hostium deprædarentur. Nónne in Macedonia
similia dominus per orationes sancti Acholij fecit miracula, aut prope maiora? Non e-
nim inani metu nec superflua suspicione, sed sæuiente lue, & ardenti pestilentia pertur-
bati Gotthi ac territi sunt. Deniq; tunc fugerunt, ut euaderent: regressi postea pacem ro
garunt, ut uiuerent. Vidimus itaq; in tanti uiri meritis superiora secula, & opera prophe
tarum quæ legebamus, aspeximus. Quasi Helisæus inter arma, inter acies, dum uixit uer
satus est, meritis suis componens prælia. Deniq; ubi securitas cohabitantibus reddita
est, quod ipso fuit durius bello, sanctum exhalauit spiritum, & quasi Helias usque ad
cœlum eleuatus est, non curru quidem igneo, nec equis igneis, nisi forte illa non uidi-
mus, nec in commotione aeris, sed in uoluntate & placiditate dei nostri, & sanctorum
angelorum lætitia, qui ad se tantum uirum transisse gratulabãtur. Certe dubitare illa ne-
quaquam possumus, quandoquidem reliqua congruerunt. Siquidem eodem momen-
to quo ille adhuc eleuabatur, uelut quodam melotidis suæ demisso amictu sanctum A- 2
nysium discipulum suum induit, & sui uestiuit infulis sacerdotij, cuius meritum & gra- 3
tiam non nunc primũ audio, nec in uestris epistolis didici, sed in uestris literis recogno-
ui. Nam quasi præscius successurum sibi, etsi promissis tegebat, tamen indicijs designa-
bat, adiutum se eius cura, labore, officio memorans, ut iam declarare consortem uidere-
tur, qui non quasi nouus ad summum sacerdotium ueniret, sed quasi uetus sacardotij e-
xecutor accederet. Cui pulchrè conuenit dictum illud Euangelicum: Euge bone serue *Matth. 25*
& fidelis, quoniam super pauca fidelis fuisti, super multa te constituam. Hæc mihi de san
cto Acholio uobiscum communia. Illud tamen speciale, quo deuinctus sum beatæ me-
moriæ uiro, quia tribuit mihi ut eum non ignorarem. Nam cùm eo ueniente ad Italiã ægritudine confectus tenerer, ut nõ possem occurrere, ipse ad me uenit, & uisitauit. Quo
studio, quo affectu ipse in me, & ego in eum irruimus? Quo gemitu mala istius seculi,
& ea quę hic acciderent, deplorauimus? ita ut lachrymarum profluuio uestẽ infunderemus, dum salutatione exoptatissima, mutuo desiderio & expetito diu fruimur, adhere-
mus amplexu. Itaq; quod uoti mei erat, illius beneficij fuit, quia potui illũ uidere. Nam
etsi maior portio, & plenior cognitio sit in spiritu uidere quos diligimus, tamen etiã in
figura corporis uidere desideramus. Sic aliquando reges terrę quærebant faciẽ Salomo
nis uidere, & audire eius sapientiã. Discessit igitur à nobis, & nos in hoc reliquit salo: sed
quod illi utile, id multis ipso Barbarico furore est grauius: quia illũ iste depellebat. Hũc 4
nobis quis poterit repræsentare? Sed repræsentat dominus, & seipsum in discipulo re- *Deut. 33. iuxta 70*
præsentat. Repræsentãt iudicia uestra, quibus dictum est: Date Leui manifestos eius, &

uerítatem ſuam. Viro ſancto dediſtis manifeſtum eius, utpote eius inſtitutione fundatũ, dediſtis imitatorem uiri eius qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, non uidi te: & fratres ſuos non ſciuit, & filios non recognouit, & cuſtodiuit uerbum domini, & teſtamentum eius obſeruauit. Narrabunt populi iuſtitiam eius. Talis uiri uita, talis hæreditas eſt, talis conuerſatio, talis ſucceſſio. Ille ſe monaſterijs puer dedidit, & intra Achaiam anguſto clauſus tugurio, gratia tamen multarum terrarum peragrauit diuortia, ad ſummum ſacerdotium a Macedonicis obſecratus populis, electus à ſacerdotibus, ut ubi antè fides per Sacerdotem claudebatur, ibi poſtea per Sacerdotem muralia fundamenta fidei confirmarentur. Non aliter etiam eius diſcipulus imitatione, qui & ipſe dixit patri ſuo & matri ſuæ, non uidi te. Non uidit enim ſtudio, non uidit affectu, & fratres ſuos non ſciuit, quia deum ſcire deſiderauit. Et hic recognouit uerbum domini, & cuſtodiuit teſtamentũ eius & imponit honorem in ara eius ſemper. Benedic domine fidem eius, ſanctitatem, ſedulitatem. Benedictio tua ueniat ſuper caput eius, & ſuper uerticem ipſius. Sit honorificus inter fratres ſuos, ſit in eo tauri ſpecies, ut uentilet corda inimicorum, & ſanctorum mentes demulceat, & iudicium ſacerdotum tuorum in eo ſicut lilium floreat. Valete fratres, & diligite me, quia ego uos diligo.

Diui Ambroſii ad Anyſium ſancti Acholij ſucceſſorem, de ſucceſſione eius congaudentis, uitamq; ſancti Acholij commendantis, & illius adoleſcentiam, iuuentutem, atq; ſenectutem benedicentis. Epiſt. LX

A Mbroſius epiſcopus Anyſio fratri. Iamdudum te teneo, & ſi nunc primum lego, meritisq; compertum habeo quem oculis non uideram. Doleo quidem illud accidiſſe, ſed hoc ſucceſſiſſe gaudeo, quia licet ſuperſtite me non optauerim illud contingere, ſperaui tamen poſt illius ſancti uiri exitum hoc ſolum poſſe me rito ſuccedere. Tenemus ergo te ſanctæ memorię Acholij dudum diſcipulum, nunc ſucceſſorem hæredemq; eius uel honoris uel gratię. Magnum meritum frater, gaudeo tibi, ne uno quidem momento de ſucceſſore tanti dubitatum uiri: & magnum onus frater tanti nominis pondus ſubiſſe, tantæ libręq; tantiq; examinis. Quæritur in te Acholius, & ſicut erat in affectu tuo, ita in officijs deſideratur illius uirtutis, illius diſciplinæ effigies, illius fortitudo animi in tam ſenili corpore. Vidi fateor uirum, nam & hoc meritis illius debeo, quòd illum uiderim. Vidi ita illum eſſe in corpore, ut extra corpus putarem. Vi-
2. Cor. 12 di imaginem illius qui ſe ſiue in corpore ſiue extra corpus neſciens, raptum ad paradiſum uiderat. Ita enim percurrebat omnia excurſu frequẽti, Cõſtantinopolim, Achaiam, Epirum, Italiam, ut iuniores eum non poſſent conſequi. Cedebant fortiores corpore, quia eum ſine impedimento eſſe corporis nouerant: ut eo tantum pro uelamine uterentur, non pro officio: certe ad ſeruitium, non ad ſubſidium. Ita enim affecerat corpus ſuũ,
Galat. 6 ut in eo mundum crucifigeret, & mundo ſemetipſum. Benedictus dominus, & benedicta adoleſcentia eius quã exegit in tabernaculis dei Iacob, poſitus in monaſterijs, in qui-
Matth. 12 bus cùm quæreretur à parentibus uel proximis, dicebat: Qui ſunt fratres mei, aut quæ mater mea? Non noui patrem uel matrem, uel fratres meos, ſed eos qui audiunt uerbum dei, & faciunt. Benedictus etiam proceſſus iuuẽtutis ipſius, in qua ad ſummũ electus eſt ſacerdotium, maturo iam probatus uirtutum ſtipendio. Venit enim tanquam Dauid ad pacem populi reformandam. Venit tanquam illa nauis aurum ſecum intelligibile uehens, & ligna cedrina, & lapides precioſos, ut illas columbę pennas deargẽtatas, quibus
1 medias inter ſortes ſomno pacis & tranquillitatis ſopore dormiuit. Eſt enim ſanctorum
Cant. 5 etiam ſomnus operarius, ſecundum quod ſcriptum eſt: Ego dormio, & cor meũ uigilat.
Geneſ. 28 Et ſecundum quod Iacob ſanctus diuina dormiens uidebat myſteria, quæ uigilans non
2 uiderat, de cœlo ad terras aerem peruium ſanctis, reſpicientem dominum, & pollicentẽ terræ eius poſſeſſionem. Itaq; breui ſomno dormiens impetrauit, quod magno labore poſtea acquiſiuit. Hæreditas eius eſt enim ſomnus ſanctorum, feriatus ab omnibus corporis uoluptatibus, ab omni animi perturbatione, tranquillitatẽ menti inuehens, placiditatẽ animæ, tanquã ſoluta nexu corporis ſe ableuet, & Chriſto adhæreat. Hic eſt ſomnus uita ſanctorũ, quã uiuebat ſanctus Acholius, cuius benedicta etiã ſenectus ipſa eſt. Verè ſenectus illa uenerabilis, quę nõ canis, ſed meritis albeſcit. Ea eſt enim reuerenda canicies, quę eſt canicies animę in canis cogitationibus & operibus effulgens. Quæ eſt enim

enim uerè ętas senectutis, nisi uita immaculata, quę nõ diebus aut mensibus, sed seculis propagatur, cuius fine fine est diuturnitas, sine debilitate longæuitas? Quo enim diuturnior, eo fortior (eo quòd diutius eam uitam uixerit) in uirum perfectum excrescit. Huius igitur successorem te dominus non solum honore, sed etiam moribus probet, & summa fundare dignetur gratia, ut ad te quoq; populi concurrant, de quibus dicas: Qui sunt isti qui sicut nebulæ uolant, & sicut columbæ cum pullis suis? Veniant quoq; sicut naues Tarsis, quæ accipiant frumentum quod Salomon uerus impartiuit uiginti mensuras tritici. Accipiant oleum & sapiẽtiam Salomonis, & sit pax inter te, & populum, & testamentum pacis custodias. Vale frater, & nos dilige, quia nos te diligimus. Esa. 6 1. Par. 9

Diui Ambrosii ad Candidianum, splendorem sermonis, & fulgorem affectus eius commendantis, illiq; benedictionem optantis. Epist. LXI

AMbrosius Candidiano fratri. Summus quidem splendor in sermone est tuo, sed magis in affectu elucet mihi. Nam in epistolis mentis tuæ aspicio fulgorem dilectissime frater ac beatissime. Dominus te benedicat, & det tibi sui gratiam. Nam & ipse in epistolis tuis uota magis quàm mea merita recognosco. Quę enim merita mea tãtis tuis æquent sermonibus? Dilige nos frater, quia nos te diligimus.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS EPISTOLARVM LIB. VIII.

Diui Ambrosii ad Irenæum, quæstionem, Cur dominus deus manna pluerit populo Patrum, & nunc non pluat, dissoluentis. Epist. LXII Exodi. 16

AMbrosius Irenæo. Quæris à me cur dominus deus manna pluerit populo Patrum, & nunc nõ pluat. Si cognoscis, pluit, & quotidie pluit de cœlo manna seruientibus sibi. Et corporeum quidem illud manna hodie plerisq; in locis inuenitur, sed nunc non est tanti res miraculi: quia uenit quod perfectum est. Perfectum autem panis de cœlo, corpus ex Virgine, de quo satis Euangeliũ te docet. Quanto præstantiora hæc superioribus? Illud enim manna, hoc est, panem illum qui manducauerunt, mortui sunt: hunc autem panem qui manducauerit, uiuet in æternum. Sed est spirituale manna, hoc est pluuia spiritualis sapientiæ, quæ ingeniosis & quærentibus de cœlo infunditur, & irrorat mentes piorum, & obdulcat fauces eorum. Qui igitur intellexerit infusionem diuinę sapientię, delectatur, nec alium cibum requirit, nec in solo pane uiuit, sed in omni uerbo dei. Qui curiosior fuerit, quęrit quid sit istud, quod melle dulcius sit, Respondet illi minister dei: Hic est panis quem dedit tibi deus mãducare. Quis sit iste panis, audi. Sermo, inquit, quem ordinauit deus. Hęc ergo ordinatio dei, hęc alimonia alit animam sapientis, & illuminat atq; obdulcat, resplendens ueritatis coruscо, & mulcens tanquam fauo quodam, diuersarum uirtutum suauitate & sermone sapientię. Faui enim mellis sermones sunt boni, sicut scriptum est in Prouerbijs. Cur autem minutum sit, causam accipe: quia & granum sinapis minutum est, quod comparatur regno cœlorum, et fides quę sicut granum est sinapis, potest montes tollere, & iactari in mare. Et fermento simile est regnum cœlorum quod abscondit mulier in farinę mensuris tribus donec fermentetur totum. Et Moyses caput uituli aurei comminuit sicut puluerem, & misit in aquam, & dedit populo bibere. Incrassatum enim erat cor eorum perfidiæ immanitate, ut emollire tur, & fidei sumeret subtilitatẽ. Deniq; illa mulier quę bene emoluerit, assumetur: ea autem quæ male emoluerit, derelinquetur. Emole ergo & tu fidem tuã, ut sis sicut illa anima quæ Christi in se charitatem excitat, quã mirantur ascendentẽ uirtutes cœlorũ quod sine offensione ascendat, & ex hoc mũdo ascendat cum lętitia & iucunditate, sicut uitis propago, & sicut fumus se ad superna subrigat, fragrans odorẽ resurrectionis pię, & suauitatem fidei, sicut habes scriptũ: Quę est hæc quę ascendit à deserto sicut uitis propago fumo incensa, odorificata myrrha & thure ab omnibus puluerибus unguenti? Pulchre subtilitatem eius expressit puluеris comparatione & unguenti cõmemoratione, quia in Exodo subtile legimus & ex multis compositum thymiama illud esse incensum propheticum, Prouer. 16 Luc. 13 1 Luc. 13 Exod. 23 Matth. 24 Cant. 3 2 Exod. 30

Psalm.140 phetícum,quod est sanctorũ oratio,ut dirigatur in conspectu domini, sicut & Dauíd dícit: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Deniq; Græcus κατευθυνθήτω ἡ προσευχή μου ὡς θυμίαμα ἐνώπιόν σου dixit. Et in Apocalypsi Ioannis legimus quia stetit an-

Apoc.8 gelus ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt ei thymiamata multa de orationibus sanctorum omnium.Et ascendit,inquit, fumus thymiamatum orationum sanctorum de manu angeli in conspectu dei.Et umbílicus animę ac uenter subtilis est illius

3 quæ ascendit ad Christum.Ideoq; laudatur uoce sponsi dicentis: Vmbílicus tuus crater

Cantic.7 tornatilis,non deficiens mixto, uenter tuus aceruus tritici munití inter lília. Est enim in omni doctrina tornatus, & potus spiritualis non deficiens plenitudine, & cœlestiũ secretorum cognitione. Venter quoq; animæ mysticus, sicut umbílicus,quo uentre non solum fortem cíbum sumit,quo corda firmantur,sed etiam suauem ac florulentũ quo de

Exod.32 lectantur.Et fortasse hoc docuit Moyses multis orationíbus & pijs illud mitigandum sa-

3.Reg.19 crilegium.In líbro quoq; Regnorum cùm se dominus sancto reuelaret Heliæ,uox auræ tenuis præcessit, & statim se ei dominus reuelauit, ut cognoscamus ea quæ corporea sunt,crassa esse & pinguia:& quæ spiritalia,mollia & subtília,ut non possint cõprehendi

Sapien.7 oculis.Deniq; & spíritus sapientiæ subtilis& mobílis legitur in líbro Sapientiæ:quia est in illa spíritus intelligentiæ,sanctus,unicus,multiplex,subtílis,& mobílis, qui sermones suos molat prius,ne quid offendat uel in sensu, uel in alloquio. Deniq; illi Babyloni cũ

Exod.16 destruetur, dícitur: Et uox molæ non audietur in te amplius. Hoc ígitur manna subtile erat,& ad diem colligebatur,in diem alterum non seruabatur, eo quòd inuenta sapientíæ in tempore sint gratíora,nec tam miranda quæ spatio temporis reperiuntur,quàm illa quæ præsentis funduntur ingénij uiuacitate: siue quia futura reuelantur mysteria,eo quòd seruatum manna usq; ad solis exortum,esui iam esse non posset,id est usq; ad Christi aduentum habere gratiam.Oriente autem iustitię sole,& splendidíoribus Christi corporis & sanguínis sacramentis refulgentibus cessarent inferiora, perfecta illa sumenda populo forent. Vale,& nos dilige quia nos quoq; te dílígimus.

Diui Ambrosii ad Iustum, dísserentis quòd Veteres quos plerìq; secũdum artem scripsisse negant, secundũ gratiam qnæ super omnẽ artem est scripserint, de quorum tamen scriptis ij qui de arte scripserũt,artem inuenerunt. Epist. LXIII

Mbrosius Iusto.Negant plerìq; nostros secundum artem scripsisse. Nec nos

A obnitimur,non enim secundum artem scripserunt,sed secundum gratiã,quę super omnem artem est.Scripserunt enim quæ spíritus ijs loqui dabat.Sed tamen ij qui de arte scripserunt,de eorũ scriptis artem inuenerunt, & condiderunt cõmen

1 ta artis, & magísteria. Deniq; in arte requiruntur præcipue,ut sit αἴτιον, ὕλη, ἀποτέλεσμα.

Gene.22 Cùm ígitur legamus sanctum Isaac patri dícere:Ecce ignis & ligna, ubi hostia? quod horum deest? Nam qui quærit,dubitat:qui respondet quærenti, pronunciat,& dubitationem absoluit.Ecce ignis,id est αἴτιον: & ligna,id est ὕλη, quæ latinè materia dícitur.Tertium quid supereſt nisi ἀποτέλεσμα,quod filius quæsiuit,pater retulit dicenti,ubi hostia? Deus,inquit,prouidebit sacrificium fili.Dísseramus paulisper mysterium. Ostẽdit deus pendentem Arietem cornibus. Aries autem est uerbum plenum tranquillitatis,& moderationis, atq; patientiæ, quo ostenditur bonũ esse sacrificium iustitiæ etiam sapien-

Psalm.4 tíam,& prudenter emerendi ac propitiandi rationẽ cognoscere. Vnde & Propheta ait: Sacrificate sacrificium iustitiæ.Itaque iustitiæ, ita ut sapientiæ sacrificium est.Ecce ergo mens calida & feruens ut ignis quæ operatur, ecce & intelligíbília, id est materia. Vbi est tertium intelligere? Ecce color,ubi est uidere:ecce sensibília, ubi est sentire. Materia enim non ab omnibus uídetur, ideoq; deus dat munus intelligendi, & sentiendi,& uidendi.Verbum ergo dei ἀποτέλεσμα est, id est definitio & consummatio dísputationis, quod infunditur prudentioribus & dubía confirmat. Pulchrè autem etiam ij qui in aduentum Christi non crediderunt, seipsos reuíncunt, ut confiteantur quod negandum putant.Dicunt enim arietem uerbum dei, & non crediderunt passionis mysteriũ, cùm in illo mysterio uerbum dei sit in quo impletum est sacrificium. Ergo primum accendamus in nobis ignem mentis,ut operetur in nobis. Quæramus subijcientes materiã quid sit quod nutriat animã,tanquam in tenebris requiramus eam. Neq; enim uel Patres sciebant quid esset manna.Inuenerunt,inquit,manna dicentes ipsum esse sermonem & uerbum dei,

bum dei, unde omnes disciplinæ fonte iugi ac perpetuo fluunt ac deriuantur. Hæc est esca cœlestis. Significatur autem ex persona dicentis: Ecce ego pluam uobis panes de cœlo. αἴτιον ergo, eo quòd operatur deus, qui irrigat mentes rore sapientiæ, ὕλη, quia uidentes animæ & gustantes delectantur, & requirunt unde sit illud splendidius luce, dulcius melle. Respondetur eis scripturæ serie, Hic est panis quem dedit uobis manducare dominus, & hoc est uerbum dei quod disposuit deus uel ordinauit, quo pascitur anima prudentium & delectatur. Est candidũ & suaue, ueritatis splendore illuminans, & uirtutum suauitate demulcẽs audientium animas. In se enim didicerat propheta quid esset cõsum mandæ rei αἴτιον. Nam cum mitteretur ad populum dei liberandum, ad regem Aegypti ait: Quis sum ego ut uadam, & educã populum à regis potestate? Respondit dominus: Ego ero tecum. Interrogabat Moyses: Quid dicam illis si requirãt, quis est dominus qui misit te? & quod nomẽ est illi? Dixit dominus: Ego sum qui sum. Dices: qui est, misit me. Hoc est uerum nomen dei, esse semper. Vnde & Apostolus de Christo, Dei enim filius Iesus Christus, qui in nobis est, qui per nos prædicatus est, per me & Syluanum & Timotheũ, non fuit in illo, inquit, est & non sed est in illo fuit. Respondit Moyses: Si non crediderint mihi, neq; obedierint uoci meæ, dicentes, quia nõ apparuit tibi deus, quid dicam illis? Dedit illi signa facere, ut crederetur quia à domino missus est. Tertio ait Moyses: Non sum dignus, & gracili uoce sum, & tardiori lingua, quomodo me audiet Pharao? Responsum est ei: Vade, & ego aperiam os tuum, & instruã te quid debeas loqui. Interrogationes ergo illæ in medio & responsiones habẽt sapientiæ semina & theorian. Gratum tamen ἀποτέλεσμα est, quia ait: Ego ero tecum. Et quamuis dederit ei signa facere, tamen dubitanti iterum (ut scias quia signa non credentibus, promissum autem credentibus) respondit ad infirmitatem uel meriti, uel uoti, Ego aperiam os tuum, & instruam te quid debeas loqui. Perfectũ ergo ἀποτέλεσμα seruatũ est. Habes hoc & in euangelio, Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperiet uobis. Pete, ἀπὸ τοῦ αἰτίου, id est, ab authore quære. Habes ὕλην, intelligibilia quibus quæras. pulsa, & aperit tibi deus uerbum. Quæ petit, mens est, quæ operatur sicut ignis intelligibilia, in quibus mentis ardor operatur sicut ignis in lignis, aperit uerbũ tibi deus, quod est ἀποτέλεσμα. Habemus & alibi in Euangelio dicente domino: Cùm autem tradent uos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini. Non enim uos eritis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis. Habes hoc & in Genesi, dicente Isaac: Quid est quod tam cito inuenisti fili? Qui dixit: Quod tradidit dominus deus tuus in manus meas. ἀποτέλεσμα dominus est, qui per dominũ quærit, inuenit. Laban denicp qui per dominum non quęsiuit, quia quærebat idola, nõ inuenit. Pulchre autem quod dicunt, horos, seruauit. Primus est horos, Vade affer mihi de uenatione tua ut manducem. Excitat atq; adolet uelut igni quodam adhortationis suæ mẽtem eius, ut operetur & quærat. Secundus horos. Quid est quod tam cito inuenisti? Hic in interrogatione est. Tertius horos in responsione. Quod tradidit dominus deus tuus in manus meas ἀποτέλεσμα deus est, qui concludit & consummat omnia: de quo dubitandum non est. Est & ille horos de spontaneis, Si nõ seminaueritis, nõ metetis. Nam etsi cultura prouocet semina, tamen natura spontaneo quodam ut surgant in ijs operatur ingenio. Vnde Apostolus: Ego plantaui, inquit, Apollo rigauit, sed deus incrementum dedit. Itaque neq; qui plantat est quicquam, neq; qui rigat, sed qui dat incrementũ deus. Dat tibi deus in spiritu, & in corde tuo seminat dominus. Age ergo ut inspiret, & seminet ut metas, si non seminaueris, non metes, quasi admoneris ut semines, non seminasti, non metes: sententia est. Principio finis conuenit, principium semen est, finis messis. Disce, inquit, ex me, natura adiuuat discentem, deus autem author naturę est. Dei quoq;, ut bene discamus, quia hoc naturæ est, perdiscere. Duri enim corde non discunt. Incrementa per naturam quæ diuini habet gratiam muneris, consummationem & perfectionem deus dat, id est illa præstantissima & diuina trinitatis natura & substantia. Vale, & nos dilige, ut facis, quia nos te diligimus.

Exod. 16

2. Cor. 1

Exod. 4

Matth. 7

Matth. 10

Gene. 27

2

1. Cor. 3

Diui Ambrosii ad Syagrium Veronensis ecclesię episcopum, literis illius respondentis, eumq; uehementer arguentis, de iudicio attentato in causa cuiusdam uirginis per turpes quasdam personas accusatæ, & cur causam istam ad se reuocauerit, & qualem in ea sententiam pronunciauerit exponentis. Epist. LXIIII

Mbrosius Syagrio Veronensis ecclesię episcopo. Prospiciendum esse ne de
A nostro obloquantur iudicio charissimi nostri Veronenses, proprijs texuisti literis. Non arbitror fore, certe non solent. Aut si obloquantur, de quo obloqui soleant, haud dubiè liquet, cum exasperati huc ueniãt, pacifici ad te reuertantur: præsertim cùm hoc iudicium nostrum cum fratribus & consacerdotibus nostris participatũ processerit. Tu autem sine alicuius fratris consilio hoc iudicium tibi solus iudicandũ putaris, in quo tamen ante iudicium præiudicium feceris, ut puellam Zenonis sanctæ memoriæ iudicio probatam, eiusq; sanctificatam benedictione, post tot annos sine authore criminationis, sine accusatore, sine professore delationis, in periculũ reatus deducendam arbitrarere. Cui inuidia esset à uanis, ab hæreticis, ut ipsi uolunt, à turpibus personis conflata per scelus, per auaritiam, per intemperantiam, querentibus proprij libertatem flagitij, ab ijs postremo qui domo eius electi atq; eliminati forent, quòd discolora opera
1 subtexerent, quàm prima fronte sue professionis prætenderant. Huiusmodi accusatores, huiusmodi testes in tuo constituebas iudicio, qui neq; accusare audebant, neq; delationis se nexu obligare, atq; ita inspectioni adiudicandam cõstituebas uirginem; quam nullus argueret, nullus deferret. Vbi hæc cognitionis solennitas? Vbi talis iudicãdi formula? Si leges publicas interrogemus, accusatorem exigunt: si ecclesiæ, duobus, inquit, *Deut. 17* & tribus testibus stat omne uerbum: sed illis testibus qui ante hesternũ & nudiustertius *Matth. 18* non fuerint inimici, ne irati nocere cupiant, ne læsi ulcisci sese uelint. Inoffensus igitur affectus testium queritur, ita tamen ut accusator prius in medium procedat. Ipsi illi pres-
Daniel. 13 byteri Iudeorum manus suas prius supra caput imposuerunt Susannæ, & accusationem professi sunt, & pariter addiderunt testimonij authoritatem, quam imprudenter populus sub errore positus acceperat. Sed diuino indicio per prophetam retexit & redarguit omnipotens deus, ut liqueret omnibus eos uelle inuidiam præseminare aduersum innocentis periculum, qui deficerent accusationis argumento, & firmamento probationis, conijcientes uidelicet quod si præoccupatis uulgi auribus inuidia mentẽ incesseret, præiudicium examinandę ueritatis inferret. Etenim cùm audita præueniunt, aurẽ obstruũt, animum occupant, ne probatio desideretur, ut rumor pro conuicto teneatur crimine. Nos igitur accusatorem exegimus, & authorem totius scenæ Maximum perurgendum arbitrati sumus. Verum ille accusationẽ quam studio informauerat, uerbo detulerat, deseruit professione, & tamen affectu urgebat, arte exequebatur, sed refugiebat nomine, quod diffideret probationi. Deniq; sparsis rumoribus, sed etiam epistolis compositis & destinatis quæsiuit acerbare inuidiam delationis, sed nequaquam opprimi potuit integritas & circunueniri. Nam si habuisset probationes, nunquam inspectionẽ tua sententia flagitauisset. Quid igitur sibi uelit, & quò spectet quod obstetricem adhibendam credideris, non possum aduertere. Itáne ergo liberum erit accusare omnibus, & cùm proba
1 tione destiterint, patebit ut genitalium secretorum petant inspectionem, & addicentur semper sacræ uirgines ad huiusmodi ludibria, quæ & uisu & auditu horrori & pudori sunt? Deniq; non minima etiam in tuis literis tentatæ expressionis uerecundia est. Quæ
2 ergo sine damno pudoris in alienis auribus resonari non queunt, ea possunt in uirgine sine eius tentari uerecundia? Inuenisti tibi uile mancipium, procacem uernulam, cur nõ abutaris pudibundo ministerio, & exponas eius modestiam, cùm præsertim nihil sanctius in uirgine sit quàm uerecundia? Non enim sacra uirgo ut corpore tantummodo integra sit queritur, & nõ ut in omnibus eius inoffensus maneat pudor. Virgo domini suis est nexa fulcris ad sui probationem, nec alienis dotibus eget ut se uirginẽ probet, nec abditorum occultorumq; inspectio, sed obuia omnibus modestia adstipulatur integritati. Non placet deo quam nõ suorum grauitas morum probat, non probatur domino, quæ
3 unius obstetricis indiget testimonio, quod plerunq; quæritur precio. Ea ergo tibi loquples uidetur ad fidem, quę & redimi & falli potest, ut excuset ream, & crimen tegat, aut

nesciat

neſciat,& non poſſit flagitium deprehẽdere? Neq; uero illud iuſtum arbitror, quod tuis comprehendiſti literis, quia niſi inſpecta fuerit, integritas periclitetur, & incerto ſui fluctuet. Ergo omnes quæ inſpectę non ſunt, periculum ſubierũt pudoris? Ergo & quę nupturæ ſunt, prius inſpiciantur, ut nubant probatiores? Ergo & quæ uelandæ ſunt, prius ſubijciendæ ſunt huiuſmodi attrectationi? Non enim uiſitantur, ſed attrectantur: & rectius ſecundum tuam ſententiã inſpicitur non probata, quàm conſecrata. Quid quod etiam ipſi archiatri dicunt non ſatis liquido comprehendi inſpectionis fidem, & ipſis medicinæ uetuſtis doctoribus id ſententiæ fuiſſe? Nos quoq; uſu hoc cognouimus, ſæpe inter obſtetrices obortam uarietatem & quæſtionẽ excitatã: ut plus dubitatũ ſit de ea quę inſpiciendam ſe præbuerit, quàm de ea quæ non fuerit inſpecta. Siquidẽ & proximo id comperimus exẽplo. Nam quædã cõditionis ſeruilis Altini inſpecta & refutata, poſtea Mediolani, non meo quidem iuſſu, ſed Nicenti ex tribuni & notarij domini uel patroni ſui uoluntate uiſitata eſt à peritiſſima et locupleti fœmina huiuſmodi artis: & cùm ſimul iſta ſuppeterent, ut neq; paupertas obſtetricis ſuſpectam faceret fidem, neq; indocilitas imperitiam, tamen adhuc manet quæſtio. Quid profuit igitur eam inſpici, cum damnatio maneat? Nam ut quiſq; uoluerit, aut imperitam medicam aut redemptam aſſeret, ita ſine effectu ullo iniuria inſpectionis eſt. Quid deinde fiet? Quotienſcunq; emerſerit qui non credat, totiens uirgo attrectabitur? Nam ſi unquam ſe uiſitandam abnuerit, ſecundum aſſertionem tuam de crimine cõfitebitur. Et facilius eſt ut refutet quod nunquam fecerit, quàm quod fecerit. Variabuntur igitur obſtetrices, ne ſuſpectæ aliqua repetatur gratiæ. Erit itaq; inter plures (quanquam paucorum etiam in magnis urbibus hic uſus medendi ſit) erit inquam, uel maleuola, uel imperita, quam pudoris clauſtra prætereant, & per imperitiam integro notam affigat pudori. Vides in quod periculum inducas uirginalem profeſſionem, dum obſtetricem adhibẽdam putas? ut iam non ſolum uerecundiæ ſuæ diſpendio, ſed etiam obſtetricis incerto periclitetur. Nunc conſideremus quod obſtetricis officium ſit. Legimus etiam in Veteri teſtamento obſtetrices, ſed non inſpectrices. Deniq; ad parturientes ingrediebantur, non ad uirgines: ut partus ſuſciperent, non ut pudorem examinarent. Vnde & obſtetrices dictæ, eò quod obſiſtant dolori: uel certe pignori, ne laxatis uteri genitalibus clauſtris in terrã defluat. Secundo & tertio loco in ſcripturis inuenimus obſtetrices adhibitas, ſed ubiq; partui, nuſquam inſpectioni. Primo ubi Rachel parturit, deinde ubi Thamar parit, tertio ubi necãdos mares Pharao mandat Hebræorum obſtetricibus: quando reſponderunt illæ, non eo more Hebræas fœminas parere quo pariunt Ægyptię, ſed Hebræas prius parere quàm introeant obſtetrices ad eas. Qui locus ut ſuperiori utilis ad Hebræorum ſalutem, ita reliquo confragoſus ad obſtetricum fidem, quæ didicerunt mentiri pro ſalute, & fallere pro excuſatione. Quid igitur ſuſpecta & dubia captamus, cùm maiora ſint alia examinandæ ueritatis documenta & teſtimonia, in quibus expreſſiora inſignia uel temerati pudoris ſint? Quid enim eſt quod magis publicum ſit, quàm offenſa pudoris, & defloratio uirginitatis? Nil profecto quod magis ſe probet, quàm caſtitatis diſpendiũ. Tumeſcit aluus, & incedentem fœtus ſui onera grauant, ut prętermittamus alia quibus ſe uel tacita prodit conſcientia. Ac forte ſterilitatis obtẽtu abſcondi in aliquibus poſſit flagitium. Hic uero cum editus partus & expoſitus uel necatus (dũ inuidiæ magis quàm probationi cõſulitur) diſſipatus ſit per aures uniuerſorũ, ſtrangulata eſt libertas calumniarũ, ſi peperit: nempe, Veronæ fuit, uiſebatur frequenter à uirginibus & mulieribus. In honore enim ſemper erat. Viſebatur & à Sacerdotibus propter pudicitiæ reuerentiam, & grauitatis ſpeculũ. Quomodo ergo potuit occulere crimẽ quod ſe uel ſpecie ſui proderet? Quomodo texit uterum? quomodo non refugit aſpectum mulierũ? oculos ſalutantium? quomodo parturiens uocem repreſſit? Sed hoc nõ patitur dolor. Deniq; ſcriptura hos maximos dicit dolores qui ſunt parturientis. Sic enim inquit: Dies domini ſubito uenit, & improuiſus adeſt, ut dolor partus, qui intercludit omnia effugia deliteſcendi. Hæc eſt uerior documentorum fides, quam erubeſcunt & mulieres. Deniq; Heliſabeth occultabat ſe menſibus quinque, eo quod ſterilis conceperat in ſenectute. His ſignis & ipſa Mariæ uirginitas apud ignaros myſterij, probri ſuſpectabatur. Vnde & Ioſeph cui deſponſata erat Virgo ſuſpectum habebat uitium, dum adhuc neſciret dominicæ incarnationis ſacramentum.

4 Gene. 35 Exod. 1 6 7 8 Luc. 1 Matth. 1

Quid ergo? negamus inſpiciẽdas uirgines interim, quod nuſquã legerim? non adſtruo, nec uerum arbitror. Sed quia pleraq; ad ſpeciem facimus, non ad ueritatẽ, & erroris gratia compluria frequenter prætendimus (ſunt enim qui neſciãt recte facere niſi metu pœnæ) relinquamus hoc illis, quas non uerecundia reuocat à lapſu, ſed ſolus iniuriæ deterret metus, apud quas nulla cura pudoris, & caſtitatis gratia, ſed pœnæ timor eſt. Relinquamus uernaculis, quibus formido eſt deprehendi magis quàm peccaſſe. Abſit à uirgine ſacra ut obſtetricẽ nouerit. partus putat, & remediũ doloris ducitur, non examen pudoris. Relinquamus etiã illis ſi quæ grauibus appetitæ calumnijs, oppreſſæ teſtimonijs, ſtrangulatæ argumentis, ad id cõfugiant, ut ſe offerãt inſpectioni, quo uel corporis probentur cuſtodia, ſi tamen deprehendi poteſt: In quibus nutat pudoris gratia, & diſciplina integritatis. Malè tamẽ ſe habet cauſa, ubi potior eſt carnis quàm mẽtis prærogatiua. Malo morum ſignaculo, quàm corporis clauſtro uirginitatẽ exprimi. Iam illud præclarum, quod ſcripſiſti, inſinuatum tibi à quibuſdam quod nequaquam tibi cõmunicarent
9 ſi eam ſine uiſitatione ſuſcipiendam crederes. Ergo iudicandi accepiſti formulã. Quales
10 illi, qui uolunt præſcribere Sacerdotibus quid ſequi debeamus? Liberauimus itaq; te à cognitionis grauiſſimæ neceſſitate, ne neceſſe haberes formulã mandatã exequi. Quid nobis futurum eſt, qui eorum ſtudijs non obtemperauimus? ſed tamẽ ſcio illic pleroſq; eſſe qui timeant dominum. Nam & hic uidimus dudum, & illic eſſe cõperimus, qui compoſitam hanc querantur calumniam, quos aiunt eò offenſos fauiſſe Maximo, quòd iſta
11 uirgo non circumeat domos, nec eorum matronas ſalutet atq; ambiat. Quid igitur fiet? quo tanto eam exuemus crimine? Quomodo perſuadebimus, ut cultus aſſumat nouos, ſuos exuat? Graue flagitium, uirginem intra ſecreta domus degere, claudi penetralibus
Luc. 1 ſuis. Sic certe lectio docet Mariam domi repertam cùm ad eam Gabriel archangelus ue-
Daniel. 31 niſſet. Suſanna fugiens turbarum inducitur. Deniq; cum ſe lauaret, paradiſum claudi iu-
12 bebat. Quid autem præſtantius præſertim in uirgine, cuius præcipuũ opus uerecundia, quam ſecretum? quid tutius ſecreto, & ad omnes actus expeditius? Munia enim pudoris induit, non cõcurſationis. Sed alijs uidero, tuæ nunc mihi reſpondendũ epiſtolæ eſt. Te miror frater, qui tantopere defendas Maximũ, non fuiſſe accuſatorẽ, ſed parentis dolore doluiſſe inuidiam ſparſi rumoris, cùm ille ſe inimicum & aduerſarium litigatorem propoſito iam iurgio negare non potuerit aduerſus ſacram uirginẽ iudicia attentauiſſe,
13 muroq; interiecto diſcretas ædes uxoris ſuæ ac uirginis, diuiſam germanitatis inter ſoores ſocietatẽ, aliaq; proh dolor, & quòd uirgo in agro affinitatis ſuę refugiſſet conſortiũ. Quomodo ergo non accuſator, qui affectũ accuſatoris iamdudũ exercuit? qui ſermone
14 ſuo accuſationẽ detulit? aures tuas impleuit clamore? & teſtes auditiõis deduxit? cognitionem poposcit? Quamlibet argumentatus negare nõ potuiſti, quod ad Indiciam ſcripſeris quoniã Maximus ſeu impulſu aliorũ, ſeu dolore proprio, crimen graue detulerit. Sola hæc epiſtola ſatis eſt ad accuſatiõis teſtimoniũ. Neq; enim te ego tuis ad me datis literis urgẽdũ putaui, ſed ijs lectis quas ad uirginẽ dederas, aduerti diuerſum eſſe quod ad me ſcripſeras: & tamen cum epiſtolæ tuæ ſibi non conuenirent, conſulendum te non arguendum putaui. Quid igitur ſibi uult illa argumentatio, quia illud detulerit quod ad me ſcripſeras, delatam uidelicet eam in turpi crimine, ita ut editum & obrutum partum dici aſſerat? Quaſi uero iſtud ad Indiciam nõ ad me ſcripſeris. Illa ubi audiuit literis tuis Maximum ſubduci accuſationi, literas tuas protulit, quibus eum criminis delatorem probauit: ad me datas non legerat, nec quid haberent ſciebat. Ego autem exhorrui à primo calumniam, quia aduertebam non crimen intendi, ſed iniuriam uirginis deſiderari, cuius inſpectio & uiſitatio poſtulabatur, nõ aliquod flagitium deferebatur. Quis enim iſtud à principio fraude compoſitum, nequaquam ſibi cõgruere & conuenire non arbitraretur? Cucurriſſe mulieres uiles ad monaſterium, iactaſſe partum uirginis, & necem pignoris, de monaſterio rumorem per populos ſparſum, eumq; affluxiſſe in aures noui affinis Maximi, ab ipſo interpellatum epiſcopum, dimiſſas eas quæ dixiſſe ferebantur, atq; in fugam coactas, ut apud nos patuit eos qui audiſſe ſe dicerent, ad eccleſiã uocatos prodiſſe, Renatum & Leontium, duos illos iniquitatis uiros, quos appoſuit Iezabel, redarguit Daniel, ſubornauit Iudæorum populus, ut authorem uitæ ſuæ falſo appeterent teſtimonio. Qui tamen cùm ſimul compoſuiſſent flagitiũ, ſimul ingreſſi eſſent uiã, & ne

quid

quid præteream, adiuncti Maximo comitantibus (ut dixit Leontius) ijs qui illum rumorem sparserant, tamen ubi in meo astiterunt iudicio, cum primo de origine causæ quærerem, diuersa & distantia prompsere, non locorum separati, sed mendaciorum diuortio. Cùm igitur sibiipsi non conuenirent, Mercurium & Leam uilissimæ conditionis & detestabilioris nequitiæ personas amandauissent, aufugisset Theudule, non ignara obijciendi sibi facinoris, quod ante lectum Renati sola cubitauisset, ancilla præsto esset alia, quæ stupro eiusdem Renati se diceret coinquinatam: die ipso qui dictus erat cognitioni, subtraxerunt se episcoporum conuentui, licet etiã pridie subito se profecturos idem Renatus clamauerit. Vnde ego iudicio præscripsi diem, & tamen nullo accusante, nullis testimonijs perurgentibus insinuaui sanctę sorori quod peteres coram ipsa inspici & uisitari memoratam uirginem. At illa sanctè inspectionẽ quidem recusauit, sed testimonium non declinauit, dicens nihil se in Indicia comprehendisse nisi quod esset uirginalis pudoris & sanctitatis. Habitasse eam Romæ in domo nostra, nobis absentibus, nulli eam se uirorum familiaritati dedisse, optare cum ea sibi à domino Iesu partem reseruari in regno dei. Paternam quoq; filiam nostram interrogaui, quod ab ea nunquã soleat discedere, cuius charitas, uitæ huius testimonium est. Itaq; etsi quod iniurata diceret, fidei sacramento conferendum foret: sub obtestatione tamẽ professa est alienã criminis quo appetebatur, nec quicquam in ea scire se bonæ uacuum conuersationis. Nutricẽ quoq; liberæ conditionis interrogauimus, cui & status haudquaquam degeneri seruitio obnoxius libertatem uera fatendi daret, & fides atq; ætas ad ueritatem astipularetur, & officium nutricis ad cognitionem secreti. Ea quoq; nihil se indecorũ uidisse, nihil sibi quasi parenti commissum à uirgine, aliqua dignum reprehensione. His moti, Indiciam inofFensi uirginem muneris pronunciauimus, Maximum autem & Renatum & Leontium ita inuoluit sententia, ut Maximo si errorem emendaret, spes reditus reseruaretur, Renatus autem & Leontius excommunicati manerent, nisi forte probata sui pœnitentia, & huius facti diuturna deploratione, dignos se præberent misericordia. Vale frater, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Syagrium, pro castitatis contumelia dolentem querelam facientis, atq; ex scripturis sanctis ostendentis quantum maiores nostri reuerentiæ detulerint castimoniæ, quantumúe ultionis studium aduersum temeratores pudicitiæ fuerit. Epist. LXV

AMbrosius Syagrio. Quæ sint in nostro iudicio decursa, comperta retines, & ideo nunc quasi animæ portionem conuenio meæ, habens apud te pro castitatis cõtumelia familiarem & dolentẽ querelam. Itá ne oportuit inhonoratã atq; inauditam uirginitatis causam adiudicari, ut nõ possit absolui? Hoc est nisi sua iniuria, nisi ab honesto pudore traducatur ad indecorem sui corporis oblationẽ, grãde uide licet relatura sui testimoniũ, ut exponatur ludibrio, & procacitatis notetur. Hanc igitur prærogatiuam detulisti integritati, huiusmodi honorificentiam, qua se lacessi aut inuitari gaudeant quæ hoc munus recipiendum putant, ut amittant libertatem cõmunis assertionis, nec se iure tueantur uel sanctæ legis, uel publico, ut non accusatorem exigat, non accersitorem urgeat, sed impudentiam solam induat, ac sese proijciat ad iniuriam? Non ita maiores nostri despicabilem habebant castimoniam, cui tantum deferebant reuerentiæ, ut bellum aduersum temeratores pudicitiæ suscipiendum putarent. Deniq; tantum fuit ultionis studium, ut omnes tribules de Beniamin tribu extinguerentur, nisi sexcentos qui bello reliqui forẽt, natura editioris loci defendisset. Sic enim lectionis diuinæ serie expressum tenetur, cuius tenorem recensere cõgruit. Leuites uir animo maior quàm Iudic. 19
opibus, habitabat in partibus montis Ephren. Ei quippe tribui sortito obtigerat locus 1
in possessionem terrę datus pro funiculo hæreditatis. Is sibi accepit iugalẽ de Iudę Bethleem. Et ut se habent prima copularum exordia, ardebat iuuencula immodica animi cupiditate: simul quia similibus eius non fungebatur, exardescebat magis, atq; immane exæstuabat. Vnde quia nihil referebatur ex parte adolescentulę, uel leuitate amoris, uel ui doloris, quod haudquaquam mercede pari secum decerneret, cum eadem expostulabat. Hinc frequẽs iurgiũ. Quo mulier offensa, claues remisit, domũ reuertit. At ille amo 2
re uictus, qui quod speraret non habebat aliud, cum quartũ iam mẽsem fluere cerneret,

eò

eò contendit, fretus quod consilio parentum emolliretur animus adolescentulæ. Occurrit pro foribus socer, generũ introduxit, filiam reconciliauit, & ut lætiores dimitteret, tri duo tenuit, quasi repararet nuptias: ac nolẽti abire, quartum quoq; diem conpërendinauit, prætenta humanitatis specie moras innectendo. Pari modo cum etiã quintum diem uellet adiungere superioribus, & iam nouæ deessent causæ morandi, paterno tamen affectu retinendæ filiæ desiderium non deforet, promissam profectionis copiam distulit in meridiem, ut uiam cibo curati adorirentur. Post epulas quoq; uolens dilationem attexere, eo quod iam uesper appropinquaret, generi precibus, ægre licet, tamen acquieuit. Ille iter suum perrexit lætus animi, quod dilectam sibi recuperauisset. Qui uno comitati
3 seruulo cùm iam declinaret dies, festino uiã celerabant gradu. Mulier uehebatur iumento, uiro nullus sensus laboris, qui fructu desiderij simul & uario mulieris ac uernaculi sermone uiam leuaret. Deniq; ubi Hierosolymam appropinquarunt, quæ triginta stadijs aberat, quam Iebusæi tenebant, suggessit puer deflectendum in ciuitatem, quia sub nocte suspecta essent etiam illa quæ tutiora sunt, cauendaq; tenebrarum ambigua, maxime quia locorum incolæ non essent de filijs Israel. Et ideo præuertẽdum, ne quid aduersa studia gerentes insidiarum inferrent, ut obscuro noctis dolum quærentibus ad perpetrandum facinus satis opportuno. Sed domino eius haud quaquam placuit sententia, ut inter alienigenas hospitio succederent, cùm Gaba & Rama non longe abessent ciuitates Beniamin. Itaq; prævalens sententia posthabuit seruuli suggestionem, quasi ex conditione consilium æstimaretur, & non consilio quamuis infima cõditio ableuaretur. Et iam sol in occasu erat: deniq; uix occurrit, cùm iam urgeretur uespere, in ciuitatem succedere. Gabaonitæ incolebant locum, inhospitales, immites, intolerabiles, omnia tamen tolerabiliora, quàm si aliquem hospitio recepissent. Deniq; commodius huic uiro Leuitæ cesserat, si in Gabaa hospitium non reperisset. Verùm ne quid deesset offensionis, primo ingressu diuersorium nõ reperit: & cùm in publico situs alienam misericordiam imploraret, offendit aduenientem ex agro senem, quem uesper ex opere agresti compulit nocti decedere. Et cùm esset ei conspicuus, rogatus quò iret, & unde aduentaret, respondit, de Bethleem Iudę reuertor, contendo ad montem Ephren, & mulier est mecum: sed ecce huc diuerti, & nemo est qui hospitio recipiat, & requiescendi usum ministret. Non quo cibi aut potus sibi, aut pecori pabulorum esset indigentia, sed tecti hospitio prohiberentur: præsto esse illa, nudum tecti hospitium desiderari. Ad ea senior benigne satis & placide, Pax, inquit, tibi, & succede hospes pariter & ciuis. Nã & mihi origo de montis Ephren partibus, & hic hospitalis habitatio, sed tẽpore diuturno incolatus sedes fundauit. Itaq; receptos domicilio, ministerio sui & subsidijs hospitalibus iuxta fouit. Horta
4 batur ad lætitiam senior, & frequentioribus prouocabat poculis, ut uino aboleret curarum obliuio, cùm subito circunsistunt eos Gabaonitæ iuuenes ad omnem proiecti libidinem, nihil pensum ac moderatũ habẽtes, quos forma mulieris illexerat, & in omnem amentiam præcipitabat. Capti enim eius decore, & per senectutem hospitis, atq; infirmitatem subsidij accepta spe potiendi poscunt mulierem, & pulsant ianuam. Itaq; egressus senior rogabat eos ne hospitales mensas turpi flagitio fœdarent, & reuerendũ ius etiam indomitis Barbararum gentium nationibus uiolandum arbitrarentur: contribulem illum sibi, Israelitem uirum legitimi thori subnixum copula non sine indignatione cœlestis arbitri tanta affici cõtumelia. Quod ubi parum procedere aduertit, esse sibi filiam uirginem adiecit, illam se offerre maiore parentis dolore, sed minore gratię hospitalis di
5 spendio, publicum flagitium priuato dedecore intolerabilius habere. At illi exagitati æstu furoris, & inflammati incentiuo libidinis, eò amplius ardebant formam iuuenculę, quo magis negabatur. Et iustitiæ exortes ridebant uerba æquitatis, filiam senis, quia minore inuidia sceleris offerrebatur, despectui habentes. Itaque cùm piæ nihil proficerent preces, & seniles frustra hospes manus tenderet, desperato præsidio rapitur mulier, & per totam noctem iniuriæ impletur. At ubi lux finem intemperantiæ dedit, ianuam hospitalem repetit, non quo uiri conspectum exposceret, quem magis declinandum putaret, contumeliæ pudore miserabilis, sed ut affectum uiro referret, quæ castitatem amiserat, & contumeliæ suæ funus lamentabili specie ante ianuam hospitalem exponeret. Egressus itaq; Leuita cum iacentem inuenisset, arbitratus quod uerecundia uultum ne-

quaquam

quaquam attollere auderet, consolari cœpit, quia non uoluntate, sed inuita tantæ iniuriæ succubuisset, hortari assurgere, & secum repetere domum. Sed ubi nullum responsum referebatur, quasi quiescentem maiore uoce è somno excitare. Verũ ubi mortis supremæ patuit fides, impositas iumento reliquias domum pertulit, & diuisos artus mulieris in partes duodecim misit per singulas tribus Israel. Quo commotus uniuersus populus conuenit in Masphat, atq; ibi querela per Leuitam cognita, omnes in bellũ exarsere statuentes neminem uirorum fas esse in tabernaculũ succedere prius quàm de tanti sceleris authoribus ultio capesseretur: animisq; ruebant in prælium. Sed consilium prudentiorum præuertit sententiam, non temere confligendũ bello cum ciuibus, sed prius uerbis experiendum de flagitio, & decernendum conditionibus pro delictis. Neq; iustum 6
uideri ut paucorum sceleris precium ad omnes peruenirет, & priuata adolescẽtium peccata statum salutis publicæ labefactarent. Itaq; miserunt uiros qui denunciarent Gabaonitis ut tanti reos flagitij offerrent. Sin autem, cognoscerent non minoris esse criminis tantum facinus defendisse, quàm exercuisse. Verùm illis superba referentibus, consilia pacis bello mutata: neq; primo aut secundo conflictu, cùm plurimi à paucis afflictarentur, cedendum Israelitæ aduersis prælijs existimauerunt. Quadringenta enim milia uirorum bellantium, aduersum uigintiquinque milia Beniamin tribus & septingentos Gabaonitas expertos belli iuuenes decertabãt. Et cùm sinistra sorte duo sibi iã cecidissent prælia, animi tamen promptus haudquaquam deposuit Israel uincendi fiduciam, & ulciscendi præsumptam spem. Sed quia causa numeroq; præstantiores, inferiores pugnæ euentu pedem retulerãt, diuinam offensam rati, ieiunio & fletu maximo reconciliationem gratiæ cœlestis affectauere. Itaq; orata domini pace acriores in bellum reuertũtur, utpote quibus oraculũ animos dederat, spem accumulauerat. Et simulato à frõte quod cederetur, ac dispositis per noctem insidijs à tergo urbis, in qua locata erat manus hostium, dum hi cedunt, & illi insectantur, inuadendi urbem uacuam facta copia, & mox admoto statimq; adulto incendio, flammarum fragor atq; æstus furens captæ urbis speciem manifestarunt. Quo & suis fracti animi, & erecti hostium. Nam & Beniamin uiri clausos se & circunuentos rati prius quàm à tergo inuaderentur, dispergere sese, atq; in desertum fugere cœperunt, & contrà Israel gemino agmine urgere eos, ac palantes persequi. Cæsa itaq; uigintiquinque milia, id est omnes fere de uiris Beniamin, præter sexcentos, qui arrepto scrupeæ rupis munimento, partim loci ingenio & subsidio naturæ, partim desperatione uictoribus terrori fuere. Nam secundæ res cautionis admonent, in aduersis ultio pro uictoria habet. Nec fœminarũ numerus tanti discriminis exors fuit, sed omnis tribus Beniamin muliebris sexus cum pueris & puellis omniq; ætate gladio aut igne extinctus, sacramẽtumq; additum, ne quis tribus illius uiro filiam suam in uxorem daret, quo reparandi nominis omnis aboleretur successio. Belli finis simul atq; iræ factus, & furor in pœnitentiam uertit: armisq; positis in unum conuenientes uiri Israel fleuerunt fletum magnum, & celebrarunt ieiuniũ, dolentes unam tribũ periisse ex fratribus, atq; extinctam populi sui ualidam manum: iure quidem pro delicti precio bellatum aduersum propugnatores flagitiorum, sed misere in sua populũ cõuersum uiscera, Iudic. 21
& bello ciuili utrumq; afflictum. Lachrymarum effusio mouit passionem animi, & affectum perculit, sequitiq; ratio successit. Missiq; legati ad sexcẽtos illos Beniamin uiros, qui per quatuor menses edito se præruptarum tuebantur rupium, aut deserti indigentia, quę multitudini obsidentium periculosa foret, deplorauerunt communem illam esse æruminam, quod illi contribules, isti cognatos & socios amisissent, sed tamen non penitus interceptam reparandæ tribus successionẽ: cõsulere se in medium quomodo & sacramẽti fides sibi constet, & tribus una nequaquam à corpore auulsa intercidat. Altari itaq; posito reconciliationis, & pacis oblatũ sacrificium. Et quia Iabis Galaad populus erat pœnę & maledicto obnoxius. Obstrinxerat enim se omnis Israel magno sacramẽto, ut si quis non ascendisset cum eo ad puniẽdum flagitiũ, morte moreretur: duodecim milia bellatorum directa, ut & uiri omnes & mulieres ferro extinguerentur, solas uirilis thori exortes reseruarent adolescẽtulas. Interfectis itaq; omnibus Iabis Galaad, solę uirgines quadringentæ exitio cæterorum superfuerunt. Quas accipiẽs Israel statuit uiros Beniamin belli metum deponere, & in coniugiũ sibi sumere integras æui ac pudoris puellas: quibus

bus & causa esset apud uiros integra, quòd nemo suorum aduersum eos bellum suscepe
rat, & charitatis gratia, quia propter eos supremo supplicio ereptæ forēt. Hoc igitur mo
do quadringentis iuuenibus quæsita copularum consortia sunt. Sed quia ducenti nu
mero supererant, quibus iugales deerant, ijs quoq; sine fraude sacramentorum consul
tum accepimus. Dies festus in Sylo quotānis celebrabat. Ibi exultare solitę uirgines, &
choreas ducere in honorem religionis, aliæ præire matribus, & totum iter agmine uian
tum repleri. Dixit unus ex senioribus: Si ducenti illi tribus Beniamin uiri intra uineas si
ti excubias tenderent, donec se omnis fœminea turba effunderet, & surgentes ex uineis
unusquisq; quam occursus dederat, uxorem sibi uendicaret, fraudi id nequaquam futu
rum: populum etenim fauere reparandæ tribus successioni, propter sacramentū impar
tire non posse filiarum suarum societatem: neq; tamen contra sacramentū uideri si pro
hibendum non putaret, quia sacramento neq; cogendi neq; prohibendi necessitas im
posita uideretur, illos sibi sine metu consulere oportere. Sane si puellarum parentes uin
dictam efflagitarent, partim prece, partim etiam retorquendo in ipsos inuitæ culpam
custodiæ, sese reuocaturos: quia cum scirent Beniamin uiros exortes esse iugalium, cum
filiabus processerint: dignam sane tribum iam nō pœna, sed misericordia: satis dure sæui
tum in eos, & debellatam corporis sui partem: immoderatius exarsisse plebem, ut succes
sionem domesticam extingueret, atq; ex suis necaret: placere deo non perire populo tri
bum, neq; pro una muliere tam acerbe consuli. Probauerunt consilium Israelitæ, execu
ti sunt uiri Beniamin, & dispositi in uineis loco opportuno & tempore, plenas fœminei
agminis uias occupauerunt. Præbuit illis festum nuptiarum religionis solennitas. Auul
sæ de complexu patrum filiæ tanquam in manum ab ipsis parentibus tradebantur, & ue
lut pactam è gremio matris non abduci, sed prodire arbitrareris. Ita tribus Beniamin pe
ne intercepta atq; extincta breui floruit, documentum exhibens, quod magno exitio sit
insolentibus uindicta pudicitiæ, & læsæ castitatis ultio. Nec hoc solo loco, sed pleriſque
Gene. 12 scriptura hoc docet. Nam & in Genesi legimus exercitum quæstionibus regem Ægy-
pti Pharaonem, quod Saram attentauisset, & tamen alienam esse uxorem nesciebat. Est
igitur domino castitatis tuendæ uoluntas, quāto magis est defensandæ integritatis? Vn
de nulla debet uirginibus sacris irrogari iniuria. Quæ enim non nubunt, & qui uxores
Marc. 12 non ducunt, habentur sicut angeli in cœlo. Et ideo cœlesti gratiæ non inferamus corpo
ralem contumeliam, quoniam potens est deus, quem nec præuaricatio prętereat, & mo
ueat accepti sibi muneris & consecratæ uirginitatis acerba & grauis contumelia. Vale
frater, & nos dilige, quia nos te dilígimus.

Diui Ambrosii ad Paternum, eundem quia filio neptem ex filia copulare uo
luit redarguentis, & ut ab ea discedat intentione, commonentis. Epist. LXVI

1 AMbrosius Paterno. Paterni quidē unanimis mei salutationem legi, sed con-
2 sultationem haudquaquā paternam, ut uelis filio neptem copulare ex filia,
sed nec auo te nec patre dignam. Itaq; quid cōsulueris, cōsidera. Omne enim
quod agere uolumus, prius nomē facti eius interrogemus, & tūc utrū laude an uitupera
tione dignū sit, existimabimus. Verbi gratia, misceri mulieri quibusdā uoluptas est, me-
3 dicorum etiā pueri corporibus utile ferūt. Sed considerandū utrū coniugi, an extraneæ,
deinde nuptæ an innuptæ. Si quis despōsata sibi & tradita utatur, coniugiū uocat. Qui
alienæ expugnat pudorē, adulteriū facit, cuius uel solo nomine reprimit plerunq; ten-
tandi audacia. Hostē ferire uictoria est, reum æquitas, innocentē homicidium. Quod si
quis percipiat animo, reuocat manum. Ergo etiam tu quid consulas, quæso tecum retra
ctes. Coniugium uis inter filios nostros componere. Quæro utrum pares copulandi, an
4 impares sint. Sed nisi fallor, compares appellari solent. Boues qui iungit ad aratrum, e-
quos ad currum, pares eligit, & ut ætas conueniat & forma: nec natura discrepet, nec de
coloret diuersitas. Tu copulare paras filium tuum, & neptem ex filia, hoc est ut accipiat
sororis suæ filiam, diuersa licet matre quàm socrus editus. Interroga nominum religio-
5 nem. nempe auunculus iste illius, illa huius neptis uocatur. Nec ipse te reuocat sonus no
minum, cum hic auum resonet, illa hoc nomen ad auunculum quod ad auum referat?
Quanta deinde etiam reliquorum cōfusio uocabulorum. Idem auus & socer uocabere,
ea quoq; tibi neptis & nurus diuerso nomine nuncupabitur. Mutuabūtur etiam fratres

diuersa

diuersa uocabula, ut illa socrus fratri sit, iste gener sorori. Nubat auunculo suo neptis, & immaculatorũ pignorũ charitas illecebroso amore mutetur. Super hoc igitur meã à sancto uiro episcopo uestro expectari sententiã non opinor neq; arbitror. Nam si ita esset, & ipse scribendum putasset. Non scribendo autem, significauit quod nequaquam hinc dubitandũ arbitretur. Quid enim est quod dubitari queat, cùm Lex diuina etiã patrueles fratres prohibeat cõuenire in coniugalem copulã, qui sibi quarto sociantur gradu? 6
Hic autem gradus tertius est, qui etiam ciuili iure à cõsortio coniugij exceptus uidetur. Sed prius sacræ legis scita interrogemus. Prætendis enim in tuis literis quod permissum hoc diuino iure cõnubiũ huiusmodi pignoribus existimetur, eo quòd nõ sit prohibitum. Ego autem & prohibitũ assero: quia cũ leuiora interdicta sint de patruelibus fratrib. multo magis hoc quod arctioris est plenũ necessitudinis, interdictũ arbitror. Qui enim leuiora adstringit, grauiora non soluit, sed alligat. Quod si ideo permissum putas, quia specialiter non est illud prohibitũ, nec illud prohibitum sermone legis reperies, ne pater filiã suam accipiat uxorem. Nunquid ideo licet, quia non est prohibitũ? Minime. Interdictũ est enim naturæ iure, interdictum est lege quæ est in cordibus singulorũ. Interdictum est inuiolabili præscriptione pietatis, titulo necessitudinis. Quanta huiusmodi inuenies nõ esse interdicta lege per Moysen edita, & tamen interdicta sunt quadam uoce naturę? Multaq; sunt quæ licet facere, sed non expedit. Omnia enim licent, sed nõ 1. Cor. 6
expediunt: omnia licent, sed nõ ędificant. Si ergo etiã ab ijs nos reuocat Apostolus quę nõ ædificant, quomodo faciendũ putamus, quod & nõ licet legis oraculo, & nõ ædificat discrepante pietatis ordine? Et tamen illa ipsa uetera quæ fuerãt duriora, temperata sunt per Euangeliũ domini Iesu. Transierunt uetera, ecce facta sunt noua. Quid tam so- 2. Cor. 5
lenne quàm osculum inter auunculũ & neptem, quod iste quasi filię debet, hęc quasi parenti? Hoc igitur inoffensę pietatis osculũ suspectũ facies de talibus cogitando nuptijs, & religiosissimũ sacramentũ charis pignoribus eripies. Sed si diuina te prætereunt saltẽ Imperatorũ præcepta, à quibus amplissimũ accepisti honorem, haudquaquã præterire te debuerũt. Nam Theodosius Imperator etiã patrueles fratres & cõsobrinos uetuit in- 7
ter se cõiugij conuenire nomine, & seueriſſimam pœnã statuit si quis temerare ausus esset fratrũ pia pignora, & tamen illi inuicem sibi æquales sunt: tantũmodo quia propinquitatis necessitudine, & fraternæ societatis ligantur uinculo, pietati eos uoluit debere quod nati sunt. Sed dicis alicui relaxatũ. Verùm, hoc legi nõ præiudicat. Quod enim in cõmune statuitur ei tantũ proficit, cui relaxatum uidetur. Longe diuersa iniuria. Illud tamen licet in Veteri testamẽto legimus, ut aliquis uxorem suã sororem diceret, istud inauditum, ut quisquã neptem suã in uxorẽ accipiat, & cõiugem dicat. Iam illud pulcherrimum quod negasti neptem tuã auunculo suo tuo filio propinquo semine conuenire, quia non agnationis ei legitimo iure, sed cognationis copuletur necessitudine. Quasi uerò & uterini fratres, id est diuerso patre, sed eadem matre geniti possint diuerso sexu inter se cõiugio cõuenire, cùm & ipsi agnationis ius habere non queant, sed cognationis tantum sibi titulo cõnexi sint. Vnde oportet ab ea discedas intentione, quæ etiam si 8
liceret, tamen tuam familiam nõ propagaret. Debet enim tibi filius noster nepotes, debet etiam neptis charissima pronepotes. Vale cum tuis omnibus.

Diui Ambrosij Cynegio, illum de consultatione sua cõmendantis. Epist. LXVII

Mbrosius Cynegio. Quàm ingenuo te cõmendasti pudore, quia de eo
A cõsuleres quod nõ probares, sed morem gereres parenti, ut pietatem non 1
læderes, securus quod nõ aliud à me posset referri, nisi quod sanctas deceret necessitudines. Ego uerò libenter tua in me onera suscepi, & auo neptẽ, ut opinor, refudi. Quam nescio plane qua opinione nurum sibi fieri desiderabat, ut auũ socero mutaret. Plura non opus est, ne hoc quoq; accedat ad uerecundiam. Vale fili, & nos dilige, quia nos quoq; te diligimus.

Diui Ambrosij ad Antonium, amorem eius in se, & sui animum in illum commemorantis. Epistola LXVIII

Mbrosius Antonio. Nunquam es tacitus mihi, nec unquam tuo me transA
missum silentio querar, qui sciam quòd tuo non desim pectori. Nã cùm id pendas quod pluris est, qui potes id negare quod sæpe etiã in multos de-

fluit,nõ tam amoris usui,quàm officij uicissitudine? Ego uero etiã ex meo animo tuã ui
cem estimo,ut nunquã me tibi,& te mihi absentem putem, quoniã semper animis hæ-
remus.Nunquã tuas literas mihi deesse opiner,aut meas tibi, cùm te quotidie corã allo
quar,in te oculos,studia, atq; omnia officia mea dirigam. His tecum delectat congre-
1 di.Nam literæ tuæ (ut aperte cum indiuiduo pectoris mei loquar) uerecundari me fa-
ciunt.Vnde peto ut supersedeas gratiarum relatu.Mihi enim mei in uos officij summa
merces est,si me debito erga uos muneri non defuisse arbitrarer. Vale, & nos dilige,
quia ego quoq; te diligo.

Diui Ambrosij ad Alypium,literas illius sibi esse redditas, & se suis respondisse literis significantis. Epistola LXIX

AMbrosius Alypio.Antiochus uir consularis reddidit mihi eximietatis tuę
A literas,nec supersedi respondendi munere. Nam per meos homines dedi
literas,& ni fallor,alia oborta copia geminauí epistolam. Sed quia nõ tam
1 remetienda amicitiæ munia,quàm cumulanda arbitror, oportuit ipso præsertim regre-
diente qui me tãto literarum tuarum affecit nomine,referri aliquod officium sermonis
mei,ut ego utriq; uestrum & ille tibi absolueretur,qui debebat referre quod acceperat.
Vale,& diligentes te dilige.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS EPISTOLARVM LIBER IX

Diui Ambrosij ad Vigilium, instituentis eum quomodo plebem docere debeat, ac inter cætera, ut coniugia ex alienigenis refugiant, Sampsonisq; exemplo comprobantis quàm pernicioſum sit alienigenæ mulieris copulam asciuisse. Epistola LXX

AMBROSIVS Vigilio. Poposcisti à me institutionis tuæ insignia,
quoniam nouus accitus es ad sacerdotiũ.Et quoniã teipsum ædificasti,
ut oportuit,qui dignus habitus es tanto munere: quomodo & alios æ-
difices,insinuandũ uidetur.Primum omnium cognosce ecclesiam do-
mini tibi cõmissam, ideoq; uitãdum semper ne quid obrepat offensio-
nis,& fiat uelut cõmune corpus eius Gentiliũ admixtione. Vnde scri-
ptura tibi dicit:Ne accipias uxorem de filiabus Chananæorum,sed uade in Mesopota-
miam in domũ Bathuelis,id est domũ sapientiæ & eius tibi acquire copulam. Mesopo-
tamia autem regio est in partibus orientis,quæ duobus maximis per ea locorũ Euphra-
te & Tigri fluminibus circũuenitur,quibus origo est in Armeniæ locis. Influunt autem
diuerso meatu in mare rubrum,& ideo Mesopotamię nomine signatur figura Eccleſię,
quæ maximis fluentorũ prudentiæ irriguis atq; iustitiæ fœcundat mentes fideliũ, qui-
Gene.28 bus sacri baptismatis, cuius typus præcessit in rubro mari, infundit gratiam, culpamq;
abluit.Doce ergo plebem ut non ex alienigenis, sed ex domibus Christianis coniugij
quæratur copula.Nemo fraudet mercenariũ mercede debita, quia & nos mercenarij su
mus Dei nostri,& ab eo mercedem laboris nostri expectamus.Et tu quidem ô quicũq;
es negociator,mercenario tuo mercedem pecuniariã negas,id est,uilem, caducam:tibi
autem negabitur merces promissorũ cœlestium.Non fraudabis ergo,ut Lex dicit,mer-
Deut.24 cenarium mercede sua.Nõ dabis pecuniam tuam ad usuram,quoniam scriptũ est,quòd
Psal.14 is qui pecuniam suam nõ dedit ad usuram,habitabit in tabernaculo Dei. Nã ille est sup-
plantator,qui usurarũ captat emolumenta.Itaq; uir Christianus si habet, det pecuniam
quasi non recepturus,aut certe sortem quam dedit,recepturus. Habet in ea nõ media-
crem usurã gratiæ. Alioquin decipere istud est,nõ subuenire. Quid enim durius, quàm
ut des pecuniam tuã non habenti,& ipse duplum exigas? Qui simplum non habuit un-
Thob.4 de solueret,quemadmodum duplũ soluet? Exemplo nobis sit Thobias,qui nunquã re-
quisiuit pecuniam quã dederat,nisi extremo uitæ suæ tempore, magis ne fraudaret hæ-
redem,quàm ut depositam pecuniam cogeret ac recuperaret. Populi sæpe cõciderunt
fœnore,

fœnore, & ea publici exitij causa extitit. Vnde nobis Sacerdotibus id præcipuè curæ 1
sit, ut ea uitia resecemus, quæ in plurimos uidentur serpere. Hospitem doce uolũtarium
magis quàm ex necessitate esse oportere, ne in hospitio deferendo inhospitalem affe-
ctum animi sui prodat, & in ipsa hospitis susceptione per iniuriã uioletur gratia, sed ma-
gis excolatur officiorũ usu, & aliquo humanitatis ministerio. Nõ enim à te munera exi-
guntur ditia, sed officia uoluntaria, plena pacis, & cõuenientis concordię. Meliora sunt *Prouerb. 15*
enim olera cũ amicitia & gratia, quàm si exquisitis dapibus adornetur cõuiuium, si desit
affectus gratiæ. Legimus peremptos graui populos excidio propter uiolata iura hospi- *Iudic. 20*
tij. Propter libidinem quoq; cõmissa bella atrocia. Sed prope nihil grauius quàm copu
lari alienigenæ, ubi & libidinis & discordiæ incentiua, & sacrilegij flagitia conflantur.
Nam cũ ipsum coniugium uelamine sacerdotali & benedictione sanctificari oporteat,
quomodo potest cõiugium dici, ubi non est fidei concordia? Cum oratio cõmunis esse
debeat, quomodo inter dispares deuotione, potest esse coniugij cõmunis charitas? Sæ-
pe plerique capti amore fœminarum fidem suam prodiderũt, ut patrum populus in Beel- *Num. 25*
phegor. Vnde Phinees arrepto gladio interfecit Hebræum & Madianitem fœminã, &
mitigauit indignationem diuinam, ne totus populus extingueretur. Quid de pluribus
exemplis loquar? Ex multis unũ proferam, ut eius cõmemoratione liqueat quàm perni
ciosum sit alienigenæ mulieris asciuisse copulã. Quis fortior, & ab incunabulis suis mu- *Iudic. 16*
nitior Dei spiritu, quàm Nazaræus Sampson? Et ipse proditus est, & ipse per mulierem
nõ potuit suam tenere gratiam. Cuius generationis & uitæ totius seriem historico dige
stam stylo enarrabimus secundũ sacri libri continentiam, quę in hunc est modum, non
uerborum serie, sed sensu. Multos per annos Hebræorũ populum subditũ Palæstini ac
subiectum habebant, quoniã fidei prærogatiuam amiserat, qua uictoriam patres adepti
fuere. Non penitus tamen interciderat insigne electionis apud authorem suum, & suni
culus hæreditatis. Sed quia rerum secundarũ insolentia sæpe extollebantur, dabat eos
plerunq; in potestatem hostium, ut more ingenij humani remediũ malorum de cœlo si-
bi quærerent. Tunc enim Deo subditi sumus, cùm aduersarijs aliquibus urgemur. Se-
cundæ res mentem extollunt. Quod cum aliàs usu probatum sit tum maxime in ea rerũ
cõuersione qua rursus ad Hebræos à Palæstinis uersa uice res mutatæ. Namq; cùm diu- 2
turna iniuria longæ subiectionis ita essent depressa Hebræorum pectora, ut nullus uiri-
li ingenio ad libertatem animos tollere auderet, ortus est illis Sampson diuino oraculo *Ibidem 13*
prædestinatus, magnus uir, nec in pluribus numerandus, sed in paucis præstantissimus,
& quod sine ulla cõtrouersia sit, uiribus corporis omniũ facile primus, eoq; ingenti ad- *Ibidem 14*
miratione nobis spectandus à principio, nõ illa quæ temperantiæ & sobrietatis iam in-
de à pueritia uini abstemius præclara insignia dedit, nec illa quæ intonso capite Naza-
ræus sacra diu seruauit custodia: sed ab adolescẽtia, quæ in alijs ætas mollior, in hoc egre
gia, atq; supra humanum modũ perfectę uirtutis stupenda facinora effecit, quibus diui-
ni oraculi mox aperuit fidem, quòd non perfunctorie tanta eum anteisset gratia, ut des-
cenderet Angelus per quem ortus eius præter spem parentibus annũciaretur, futuri re-
gimen & prælidium suis. Nam grauibus iam diu Palæstinorũ imperijs afflictabãtur. Pa-
ter illi erat de tribu Dan timens Deum, haud ignobili genitus loco, præstãs cæteris: ma-
ter utero sterilis, sed animi uirtutibus haud infœcũda: quę propriæ hospitio mentis reci
pere meruit uisionem Angeli, mandatũ tenuit, oraculum impleuit. Nec tamen passa si-
ne uiro scire uel diuinitatis secretum, insinuauit marito uisum sibi hominem Dei, prącla
ra specie, futuræ sobolis ferentem oracula: qua pollicitatione sese fidentem cum cõiuge
fidem promissorum cœlestiũ participare. Quod ubi cõperit, piè Deum precatus ora- *Ibidem 13*
uit, ut sibi quoq; uisionis eius gratia tribueretur, dicens: In me domine Angelus ueniat
tuus. Vnde ego arbitror, nõ zelo mulieris quæ esset spectabilis pulchritudinis, aliquid
eum suspectũ habuisse, ut quidam existimauit, sed magis diuinæ zelo gratię prouocatũ,
conspectus sacri uoluisse participari munere. Neq; enim uitijs animi praue affectus tan
tam apud Deũ inuenisset gratiã, ut Angelus in eius domũ reuerteretur, qui monitis ijs
quæ usus oraculi postulauisset, subito flammæ uehementis eleuatus specie, sese recepit.
Id formidolosum uiro, mulier salubrius interpretata, in gaudium uertit, atq; ademit
solicitudinem, eò quod prosperorũ indicium nõ aduersantiũ sit, uisere Deum. Talibus 3

cõmendatus insignibus,ubi primum adoleuit,cõiugio mentem intendit, siue quòd uagam ac familiarem adolescentulis abhorreret animo lubricæ libidinis consuetudinem, siue quia iam causa quærebatur, quemadmodum à ceruicibus plebis suæ auerteret Palæstinorum potentiam,duracp imperia. Pergens itacp in Thanata (urbi hoc nomen est in illis positæ locis, quæ tunc Palestinorum incolis frequentabatur) uirginem aspexit, grata specie,& uultu decoro, & parentes proprios quorũ comitatu fultus gradiebatur, orauit ut eam in cõiugium sibi poscerent. Verum illi ignorantes quod eò intentio uergeret,ut Palæstinis aut negantibus infestior foret,aut acquiescentibus affectus inferendæ in subditos iniuriæ demeretur,cùm ex coniunctione æqualitas,par & gratia cõsortij iure accresceret,aut si quid offensum esset,longius ultionis studia procederent,quasi alienigenam declinandam arbitrabantur. Sed ubi flectere animũ pignoris legitimorum obiectu frustra experti,in arbitriũ eius uolentes concessere. Recepta itacp petitione,Sampson cùm sibi promissam reuiseret,diuertit,& paulisper de aggere deflexit,cõtinuocp occurrit ei leo ferus de sylua,agresti libertate sæuior.Comes nullus, telum in manibus haudquaquam suppeditabat:cedere pudor,& conscia uirtus fiduciã dare tunc irruentem in se brachijs amplexus necat,& lacertorum nodo exanimatum, præter aggerem supra syluestria germina proiecit ac dereliquit. Locus erat lætus pabuli, herboso gramine,uinetis consitus. Itacp apud dilectissimam sibi sponsam exuuias feræ credidit sine momento futuras,cùm talium rerum tempora non terribilibus spolijs, sed mitibus gaudijs & festa fronde fiant uenustiora.Denicp post eadem regrediens uia fauum in utero leonis offendit,atcp abstulit,donum parentibus ac puellæ futurum. Talia enim sponsam munera decent,ac degustato melle fauum prędictis edendum dedit,causam repressit.Sed forte quadã die nuptialis festi celebrabatur conuiuiũ,læta in epulis iuuentus mutuis se ad ludum inuitabat sermonibus, cùm alius alium falsiore dicacitate perstringeret,sicut se huiusmodi usus habet,certamen lætitiæ accendebatur.Ibi tum quæstionẽ huiusmodi proposuit Sampson iuuenibus coepulantibus:De manducante exiuit esca, & de forti processit dulce.Absoluentibus pollicens præmium,quasi mercedem sapientię, trigínta sindones,& totidem stolas,secundũ numerum uirorum comessantiũ, aut mulctam ignorantibus. Qui cùm enodare implexa,& distinguere ambigua nequirent,mulierem eius partim minis exagitando,partim fatigando precibus,eò impulere,ut à uiro posceret quæstionis eius absolutionem,insigne futurum cõiugalis gratiæ in mercedem amoris.Atcp ea seu animi territa,seu muliebri ingenio inflexa,ueluti pio quæstu marita lis odij dolorem prætexere cœpit,quod secretum uiri consors totius uitæ & cõsocia nõ cõperisset,similiscp cæteris habita foret,cui arcanum uiri proprij non crederetur. Odisti me,inquit,& non amasti,quam celasti uscp adhuc.His atcp cęteris talibus inuictus cætera animus,muliebribus emollitus blanditijs , aperuit dilectæ propositam quæstionem, & illa ciuibus.A quibus uix tandem septimo die qui præscriptus absoluendæ parabolę fuerat,ante occasum solis comperta soluta sunt, atcp in hunc modum relata. Quid fortius leone? quid dulcius melle? Et ille respõdit : Nec muliere aliquid perfidiosius.Nam si non domuisse tis uitulam meam,nunquam intelligeretis parabolam meam. Et statim descendit in Ascalonam,& triginta uiros peremit, quorum exuuias auferens, eos qui propositam quæstionem soluerant,promisso munere donauit. Abstinuit autem coniugio puellæ,cuius perfidiam deprehenderat,atcp in patriam domum sese recepit. Turba tacp animi iuuencula,quæ indignationem læsi, ferociam fortissimi fraudi sibi futuram iusta formidine perhorresceret,in alterius uiri concessit nuptias, quem tamen paranymphum sibi Sampson quasi fidum solidum sodalem,cùm duceret eam uxorem,asciuerat, nec sic tamen prætento licet cõiugio offensionis periculum auertit. Nancp ubi res prodita,uolenticp ad cõiugem redire,intercluſa copia,quod pater eam alij uiro nupsisse diceret,sororem sane eius si uellet,ducere liceret : stimulo iniuriæ exulceratus, publicam excogitauit ultionem capessere domesticæ contumeliæ indignatione: correptiscp uulpibus,adulta æstate,cùm iam matura essent in agris frumenta,binas sibi inuicem cauda ad caudam ligauit: atcp in medium earum ardentem inseruit facem, nodocp adstrinxit inexsolubili,& ultor iniuriæ super manipulos messis dimisit frumentariæ quam secuerant incolæ Palæstinorum. At illæ igne exterritæ quacuncp præcipites conuoluebãtur, spargebant

Iudic.14

4

Ibidem

5

Iudic.15

ſpargebant incendium,& exurebant ſpicas eorum. Quo diſpendio cõmoti, quod omnes ſibi locorum fructus interierant, factum principibus ſuis intimauerunt. Et illi miſerunt uiros in Thannatam qui mulierem quæ uariato fidem coniugio mutauerat, ac totam eius domum parentesq; igni inuoluerũt, quòd ea cauſa ſuæ uaſtitatis & iniuriæ foret,nec oportuiſſe lædi uirum pronunciantes qui poſſet malo ſe publico ulciſci. Nec tamen Sampſon populis Palæſtinorum delicti gratiam fecit, atq; eo uindictæ fine cõtentus fuit,ſed concidit eos ſtrage maxima,plurimiq; eorum ferro interiere. Ipſe autẽ conceſſit in Ethan ad torrentem in deſerto.Petra illic erat munitio tribus Iudæ. Paleſtini uerò qui eum non auderent laceſſere,nec munitionis prærupta arduaq; ſuperare, tribum Iudæ denunciato adorſi urgere prælio quod ſubditos ſibi & tributarios, perditũ iri nequaquam iuſtum & æquum atq; ex uſu uideretur publico,pro alieno præſertim facinore:conſulentes in medium,tradi ſibi deſignatorem tanti flagitij poſtulauerunt,atq; ita illis quod ab eo cõmiſſum eſſet, futurum ſine noxa. Qua præſcripta ſibi conditione uiri de tribu Iudæ tria milia ex ſuis congregantes aſcenderunt ad eum, & præfato quod eſſent ſubditiq; Palæſtinorum,quibus ſibi neceſſitas obediendi nõ ex arbitrio,ſed ex periculi formidine maneret,facti ſui inuidiam retorquebant in eos qui in ius cogendi habebant. Tum ille:Et quæ,inquit,iuſtitiæ forma eſt,genus Abrahamidarum, ut circũſcriptæ primo coniugis, deinde abductæ perniciosa mihi uindicta ſit, & ſine periculo domeſticam iniuriam non licuerit ulciſci? Tantùm ne inclinatis animos ad turpe uernularum obſequium,ut executores uos alienæ præbeatis inſolentiæ,atq; in uoſmetipſos uertatis manus? Si pereundum eſt quia dolorem habui liberum,iuuat perire manibus Paleſtinorum.Tentata domus,ſolicitata uxor. Si non licuit mihi uiuere ſine eorum fraude, ſaltem liceat mori ſine meorum ſcelere.Retuli ego acceptam iniuriam,non intuli. Vos æſtimate an digna uiciſſitudo fuerit.Illi de damno fructuum queruntur, ego de coniugis amiſſione.Conferte manipulos meſſis,& ſociam thori.Dolorem meum ipſi probarunt,cuius iniurias uindicauerunt. Videte quo uos miniſterio dignos putant.A uobis eum morte affici uolunt,quem ipſi ultione dignum de ijs qui me leſerant iudicauerunt, & qui uindictæ præbuere miniſterium.Sed ſi adeò ſubdita ſuperbis colla geritis, tradite me hoſtium manibus,uos nolite occidere.Non mortem abnuo, ſed ueſtrũ fugio contagium. Verùm ſi formidine ceditis inſolentibus, alligate uinculis manus: inermes licet,inuenient ſibi arma nodis ſolutæ. Certe conditioni impoſitæ ſatis futurum arbitrati ſunt,ſi uiuentem in poteſtatem daretis.Quibus illi auditis, quamuis tria milia uirorum aſcenderant,ſacramentum dederunt, quod à ſe uitæ eius uis nulla irrogaretur,tantummodo patiens uinculorum eſſet,ut deditionem eius patrarent,quo uacui fierẽt eius cuius arguebantur facinoris. Accepta itaq; fide ſpelæo egreſſus deſeruit petræ munitionem:ac duobus innexus funibus,ubi appropinquare accitos ad ſuſcipiendum Palæſtinorum ualidos uidet, infremuit ſpiritu, & uniuerſa dirupit uincula, atq; arripiens maxillam aſini iacentem percuſſit mille uiros,fugauit alios grandi uirtutis ſpectaculo,cùm inermo & uni cederent armatorum agmina.Et qui cominus auſi fuerant congredi, facili negocio,nullo labore obtruncati:alijs fuga exitium dempſit.Vnde hodieq; Agon loco nomen eſt, quod ibi Sampſon glorioſum certamen uirtute egregia conſummauerit.Sed utinam quàm fortis in hoſtem, tam moderatus in uictoria fuiſſet. Verùm quod facile uſu uenit,inſolens rerum ſecundarum animus, qui debuit euentum pugnæ diuino fauori & præſidio deferre,ſibi arrogauit,dicens: In maxilla aſini deleui mille uiros. Nec aram ſtatuit Deo,nec hoſtiam immolauit, ſed negligens ſacrificij, aſſumptor gloriæ, ut triumphum ſuum perpetuo conſecraret nomine, uocauit locum Maxillæ interfectionem. Et mox ſiti grauiter cœpit inardeſcere, & potus deerat, nec iam ferre ac tolerare poterat. Vnde intelligens quod nihil tam facile eſſet humano operi,quod ſine diuino adiumento non difficile foret, exclamauit atq; obſecrauit ne ſibi Deus omnipotens in offenſam uerteret, quod imprudenter incauto ſermone ſibi aliquid aſſignauiſſet. Quinetiam illam uictoriam Deo deputabat, dicens: Tu dediſti in manu ſerui tui ſalutem magnam hanc, & nunc ſubueni, quia ecce morior ſiti, & in poteſtatem eorum de quibus tantum donaſti triumphum, ſitis neceſſitate adiudicor. Quomodo Dei miſericordia, cùm proieciſſet ille maxillam, aperuit ſciſſuram eius, & fons erupit ex ea, & bibit

Iudic. 15 6

Ibidem

7

bibit Sampſon,& reſumpſit ſpiritum,& uocauit locum, Inuocationem fontis,eo quòd uictoriæ iactantiam inuocationis precibus emendauiſſet:ita diuerſa iudicia mature edi
ta,quod & arrogantia cito offenſam incurreret,& humilitas ſine ulla offenſione ſeſe re-
conciliaret. Verùm ubi decurſa ſerie bellum Palæſtinorum compoſuit,& ſuorum decli
nans ignauiam, & hoſtilem deſpiciens manum, Gazam ſeſe contulit (ea ciuitas erat in
locis Palæſtinorum) & habitabat illic in diuerſorio. Quod cognitum Gazęi haudqua-
quam diſſimulatione præterierunt, ſed feſtinantes circundederunt diuerſorium eius,
Iudic. 16 & obſederunt uniuerſos aditus domus,ne fugam in noctem cõponeret. Itaq; Sampſon
cognito quid pararetur, compoſitas inſidias noctis medio præuertens, columnas do-
mus manibus amplexus, materiem totam & culminis molem ceruice ualida ſuſtentãs,
in uerticem montis altiſſimi tranſportauit, qui imminebat urbi Hebron, quæ populis
Hebræis incolebatur.Sed cùm libero & uago motu tranſgrederetur,non ſolum regio-
nis paternę terminos, ſed etiam morum limites,& maiorum obſeruatione preſcriptos,
eam ſibi futuræ mox cladis peſtem inuenit.Nanq; parum fida expertus alienigenę uxo-
ris prima connubia, qui debuiſſet cauere uel poſtea, rurſus Dalilæ mulieris fornicariæ
copulam non declinauit:& cùm eam diligeret impenſè,tentandi ſe cauſam dolis hoſti-
libus præſtitit.Aſcendentes enim Palæſtini ad eam, polliciti ſunt pecuniam uiritim da-
turos mille & centum denarios, ſi proderet eis in quo ille fiduciam uirtutis ſuæ conſti-
tutam haberet, quo cognito circunueniri & capi poſſet. At illa quæ ſemel ſe pecuniæ
proſtituerat,aſtute ſatis & callide inter epulas ad illecebras amoris quaſi admirans for-
titudinis eius eminentiam, quærere cœpit, quo tandem genere tantum præſtaret reli-
quorum uirtutibus,ſimul & quaſi pauida atq; ſolicita orare, ut dilectæ ſuæ committeret
quí nexus adſtrictum alienæ poteſtati ſubſterneret.Ille autem adhuc ſobrius & fortis a-
5 8 nimi aduerſus delinimenta meretricia dolum dolo retulit,dicens: quia ſi uitibus uiren-
tibus adhuc & non aridis alligaretur, infirmitate corporis adæquaret aliorum ſimilitu-
dinem. Quo Palæſtini per Dalilam ſibi comperto, cum uitea ſoporanti circundediſ-
ſent uincula,quaſi de improuiſo excitum,haud degenerem offendere notæ & ſolitę for
titudinis, cùm ſolutus nexibus uirtus libera multis licet reſiſteret ac repugnaret. Sed
ubi id parum proceſſit,rurſus Dalila quaſi deriſa & conquerens repetere artes ſuas, &
fidem amoris poſcere non prætermittebat.Cui Sampſon ualidus adhuc conſilij,dolum
ridens,ſignificat ligatum ſe ſeptem funibus qui adhuc ſine uſu forent,uenturũ ſe in po-
teſtatem hoſtium,ſed & hoc fruſtra fuit.Tertio quoq; tanquam de myſterio deprõpſit,
9 iam lapſuro propior,ſi diſſoluti eſſent crines ſeptem capitis ſui, & quaſi in cubitum in-
texti,diſcederet ab eo uirtus ſua.Et hoc quoq; luſit inſidiarum fabricatores. Ad poſtre-
mum cùm illuſum ſibi totiens procax mulier deplorauiſſet, indignam ſe habitam do-
lens cui cõmitteretur arcanum dilecti,qui id quod pro remedio quæreret, ad proditio-
10 nem ſuſpectari uideret,lachrymis fidem coegit:ſimul quia debebatur inuictę ad id tem
pus fortitudinis uiro,ut incideret ærumnam,ſaucius animi,ſecretum aperit,prætendere
in ſe uirtutem Dei,& eſſe domino ſanctificatum, ſecũdum eius præceptum comam pa-
ſcere, quæ ſi attonderetur,deſineret Nazaręus eſſe,& proprię uirtutis uſum amitteret.
Palæſtini per mulierem comperta infirmitate uiri,ſceleris mercedem afferunt,ut precio
obnoxia dolũ patraret. At illa meretricijs delinimentis feſſum amoris in ſoporem com
pulit, & tonſore adhibito ſeptem crines capitis eius admota nouacula abſcidit, conti-
nuoq; interdicti præuaricatione uires minutæ. Deniq; ex ſomno experrectus: faciam,
inquit, ſicut ſoleo,& excutiam me ſuper aduerſarios: ſed nec animi ſui alacritatem nec
uirtutem agnouit, nec uigor erat, nec gratia manebat. Itaq; reputans ſecum quàm im-
prouide ſe mulieri aduerſariorum credidiſſet, ut caluatus tentare ulterius aliquid dam-
natus infirmitatis nequiret, cæcatus oculos, uinculis manus præbuit, & compedibus
innexus carcerem intrauit multis ſibi incognitum tempeſtatibus. Et iam proceſſu tem-
poris creſcere ei coma cœperat. Itaq; cùm eſſet celebre conuiuium,Palæſtinorum con-
uentui producitur de carcere Sampſon,ac ſtatuitur in populi conſpectu. Erant tria mi-
lia ferme hominum uirilis ac muliebris ſexus,& grauibus in eum inſultabant conuitijs,
circunagebant ludibrijs, quod durius & ultra ipſam captiuitatis ſpeciem uiro ingenitæ
uirtutis

uirtutis conscio tolerabatur. Nam uiuere & mori, naturæ functio: ludibrio esse, probro ducitur. Cupiens igitur tantam contumeliam uel ultione solari, uel morte in reliquum præuertere, simulato quod propter infirmitatem corporis & nodos compedum sustentare sese nequiret, popposcit à puero qui dirigebat uias eius, ut admoueret eum ad columnas proximas, quibus domus omnis suffulciebatur. Et admotus, utraque manu fulcra totius comprehendit ædificij, atq; intentis ad festa sacrificij Palæstinis, quod Dagoni Deo suo deferebant, per quem sibi aduersarium suum datum in potestatem arbitrabantur, muliebris perfidiæ dolos beneficijs annumerantes cœlestibus, exclamauit ad dominum dicens: Domine adhuc semel memor pueri tui esto, ut pro duobus oculis meis uindictam tribuas de nationibus, ne dent gloriam suis dijs, quod ipsis iuuantibus me in potestate acceperint, nec uitam meam pluris facio. Moriatur anima mea cum Palæstinis, ut agnoscant sibi infirmitatem meam non minus quàm uirtutem exitialem fuisse. Concussit itaq; columnas magna ui, ac dissoluit & comminuit eas, quas secuta rui na superioris culminis, & ipsum inuoluit, & uniuersos qui desuper aspectabant præcipitauit. Ibi magna uis marium fœminarumq; promiscue exanimata, & triumphus quæsitus perempto, supra omnes superiores uictorias haudquaquam degenere & decolore exitu. Nam & si inuiolabilis ad id locorum & deinceps, atque incomparabilis in hac uita expertis belli fuerit uiris, tamen in morte seipsum uicit, & insuperabilem gessit animum, ut contemneret, & quasi pro nihilo haberet uitæ finem omnibus formidolosum. Virtutis igitur fuit quod uictoriarum numero diem clausit, nec captiuum exitum sed triumphalem inuenit. Circunscriptum autem fuisse à muliere, naturæ potius quàm personæ adscribendum: quia humana conditio maior, quàm culpa inferior. Premitur enim & cedit illecebris flagitiorum. Itaq; cùm scriptura ei testificetur quòd plures in morte, quàm in lumine uitæ istius positus occiderit, uidetur ad aduersariorum magis exitium captus, quàm quo ipse deiectior fieret, aut minor esset. Non est enim se expertus inferiorem, cuius sepultura præstantior, quàm potentia fuit. Denicq; non telis, sed cadaueribus hostium pressus humatus est, proprio tectus triumpho, clarum insigne relinquens posteris, eo quòd populum suum quem captiuum inuenerat, uiginti annis in libertate iudicio suo rexit, & sepultus in patrio solo libertatis hæredem dimisit. Hoc ergo exemplo liquet alienigenarum consortia refugienda, ne pro charitate coniugij proditionis insidiæ succedant. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Irenæum, occasione eius quod in Apostolo scriptũ est: Lex enim iram operatur &c. quęstionem cur lata sit Lex, absoluentis. Epistola LXXI

A Mbrosius Irenæo. Decursa lectione Apostoli, non perfunctorie motus es, quia audisti hodie lectum: Lex enim iram operatur. Vbi autem non est lex, nec præuaricatio. Vnde & consulendum arbitratus es cur lata sit Lex si nihil proderat, imò oberat, quæ operaretur iracundiam, & præuaricationem introduceret. Equidem secundum interrogationem tuam certum est non fuisse Legem necessariam quæ per Moysen data est. Nam si naturalem legem, quam Deus creator infudit singulorum pectoribus, homines seruare potuissent, non fuerat opus ea Lege quæ in tabulis scripta lapideis implicauit atque innodauit magis humani generis infirmitatem, quàm elaqueauit atque absoluit. Esse autem legem naturalem in cordibus nostris etiam Apostolus docet, qui scribit: Quia plerunque & gentes naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, & cùm legem non legerint, opus tamen legis scriptum habent in cordibus suis. Ea igitur Lex non scribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur, & humanis ingenijs hauritur. Quam debuimus uel futuri iudicij metu seruare, cuius testis conscientia nostra tacitis cogitationibus apud Deum ipsa se prodit, quibus uel redarguitur improbitas, uel defenditur innocentia. Itaque cùm semper pateat domino, tum maxime in die iudicij manifestabitur, quando occulta cordis in examen uenient quæ putabantur latere. Quorum tamen proditio, occultorum scilicet, nequaquam noceret, si lex naturalis inesset pectoribus humanis. Est enim sancta, sine uersutia, sine fraude, consors iustitiæ, expers iniquitatis. Deniq; interrogemus infantiam, ui-

Roman. 2

Ibidem

I

deamus si quod in ea crimen reperitur, si auaritia, ambitio, dolus, sæuitia, insolentia. Ni-
hil suum nouit, nullos honores sibi arrogat, præferre se alteri ignorat, fraudem nescit,
2 uindicare sese nec uult nec potest. Insolentia quid sit, puro ac simplici nequit animo cō-
prehendere. Solut hanc legem Adam, qui uoluit sibi arrogare quod non acceperat,
ut esset sicut creator & conditor suus, & diuinum honorem affectaret. Itaq; per inobe-
Gene. 3 dientiam offensam traxit, & culpam incidit ex insolentia. Qui si non rupisset imperium,
& obediens fuisset mandatis cœlestibus, prærogatiuam naturæ atq; ingenitæ sibi inno-
centiæ hæredibus proprijs reseruasset. Ergo quia per inobedientiam prærogatiua natu
ralis legis corrupta atq; interlita est, ideo scriptum legis existimatum est necessarium,
ut uel partem haberet, qui uniuersum amiserat. Et cui perierat quod nascendo assum-
pserat, discendo saltem cognosceret & custodiret. Simul quia causa deiectionis eius su-
perbia fuit: superbia autem orta est ex prærogatiua innocentiæ, debuit ea lex ferri quæ
Roma. 7 subditum Deo & subiectum redderet. Nam sine Lege peccatum nesciebatur, & minor
Ioan. 15 erat culpa, ubi erat culpæ ignorantia. Vnde & dominus ait: Si non uenissem, & locutus
fuissem ijs, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de pecca-
to. Lata est ergo Lex. Primum ut excusationem tolleret, ne quis diceret, peccatum ne-
sciui, quia præscriptum non erat quid cauerem, deinde ut omnes subditos faceret Deo
agnitione peccati. Omnes autem subditos fecit, quia non solum Iudæis data est, sed etiā
Gentes uocauit. Proselyti enim ex gentibus sociabantur. Neq; uerò exceptus uideri
potest, qui uocatus defuit. Lex enim quos uocauit, alligauit. Vniuersorum itaque cul-
pa operata est subiectionem, subiectio humilitatem, humilitas obedientiam genera-
uit. Itaq; quia superbia culpam contraxerat, econtrario culpa obedientiam generauit.
Vnde Lex scripta quæ uidebatur superflua, facta est necessaria, ut peccatum peccato
solueret. Sed ne rursus aliquis deterreatur, & dicat incrementū peccati factum esse per
Legem, & Legem non solum non profuisse, sed etiam obfuisse arbitretur, habet quo so
Roma. 3 lari suam possit solicitudinem, quia & si per Legem superabundauit peccatum, super-
abundauit & gratia. Quid sit hoc, intelligamus. Superabūdauit peccatum per Legem,
quia per Legem agnitio peccati, & cœpit mihi obesse scire id, quod per infirmitatem ui
3 tare non possem. Ad cauendum enim prodest prescisscere: sed si cauere non queam, ob-
fuit nosse. Versa ergo Lex in contrarium, tamen ipso peccati incremento facta est mihi
Psal. 118 utilis, quia humiliatus sum. Vnde & dixit Dauid: Bonum mihi quòd humiliatus sum.
Humiliando autem me, solui uinculum erroris superioris, quo Adam & Eua nexue-
rant omnem propriæ seriem successionis. Vnde & dominus quasi obediens uenit,
ut inobedientiæ & præuaricationis humanæ laqueus solueretur. Itaque sicut per in-
obedientiam peccatum intrauit, ita per obedientiam peccatum solutum est. Vnde &
Roma. 5 Apostolus ait: Quia sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt
plurimi, ita & per obedientiam unius hominis iusti constituentur multi. Habes igi-
tur unum, quia Lex & superflua fuit, & facta est non superflua. Superflua in eo, quia
non fuisset necessaria, si illam legem naturalem seruare potuissemus. Sed quia non
seruauimus, ista lex per Moysen necessaria facta est, ut doceret me obedientiam, & la-
queum illum solueret præuaricationis Adæ, qui laqueus totam adstrinxit hæredita-
tem. Creuit quidem culpa per Legem, sed & culpæ author superbia, soluta est: idq; mi-
hi profuit. Superbia enim culpam inuenit, culpa autem gratiam fecit. Accipe aliud.
Non fuit necessaria Lex per Moysen. Denique subintrauit: quod utique non ordina-
rium, sed uelut furtiuum significare uidetur introitum, eo quòd in locum naturalis le-
gis intrauerit. Itaque si illa suum seruasset locum, hæc Lex scripta nequaquam esset
ingressa. Sed quia illam legem excluserat præuaricatio, ac propemodum aboleuerat
in pectoribus humanis regnabat superbia, inobedientiaq; sese diffuderat: ideo suc-
cessit ista, ut nos scripto conueniret, & omne os obstrueret, ut totum mundum faceret
Ibidem 3 Deo subditum. Subditus autem mundus eo per Legem factus est, quia ex præscripto
Legis omnes conuincuntur, & ex operibus Legis nemo iustificatur, id est quia per Le-
gem peccatum cognoscitur, sed culpa non relaxatur: uidebatur Lex nocuisse, quæ om-
Coloss. 2 nes fecerat pecatores: sed ueniens dominus Iesus peccatum omnibus, quod nemo po-
Roma. 5 terat euitare, donauit, & chirographum nostrum sui sanguinis effusione deleuit. Hoc
est quod

est quod ait: Superabundauit peccatum per Legem: superabundauit autem gratia per Iesum: quia postquam totus mundus subditus factus est, totius mundi peccatum abstulit: sicut testificatus est Ioannes dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Et ideo nemo glorietur in operibus, quia nemo factis suis iustificatur, sed qui iustus est, donatum habet, quia per lauacrum iustificatus est. Fides ergo est quæ liberat per sanguinem Christi, quia beatus ille cui peccatum remittitur, & uenia donatur. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus. *Ioan. 1*

Diui Ambrosij ad Irenæum, causam reddentis cur pleraque in Lege præcepta sint quæ per Euangelium uacuata uidentur, ut est circuncisio corporalis, & obseruatio sabbati, aliaq; plura huiusmodi. Cur etiam Lex pædagogus dicatur.

Epistola LXXII

A Mbrosius Irenæo. Audisti fili hodie lectum in Apostolo: quia Lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur. Quo uno absolutas arbitror quæstiones quæ plerosq; mouere consuerunt. Sunt enim qui dicũt: Cum Legem Deus Moysi dederit, quid causæ est ut pleraq; in Lege sint quæ per Euangelium iam uacuata uideantur? Et quomodo unus utriusq; cõditor testamenti, cũ quod licebat in Lege, per Euangeliũ cœperit nõ licere, ut est circuncisio corporalis, quæ licet etiã tunc signo data sit, ut circuncisionis spiritualis ueritas teneretur, tamen qua ratione uel in ipso signo fuit? Cur ista diuersitas existimatur, ut tunc circũcidi pietas crederetur, nunc impietas iudicetur? Deinde sabbati diem feriatũ esse debere obseruabatur ex lege, ita ut si quis onus aliquod lignorũ portasset, mortis fieret reus: nũc autem diẽ ipsum & oneribus subeundis & negocijs obeũdis sine pœna aduertimus deputari. Et pleraq; præcepta sunt Legis, quæ præsenti tempore cessare uideantur. Quid ergo causæ sit consideremus. Non enim ociosè dixit Apostolus quia Lex pædagogus noster fuit in Christo. Pædagogus cuius est, maturioris, an adolescentis, aut pueri, hoc est ætatis infirmæ? Pędagogus ergo, sicut etiam interpretatio Latina habet, ductor est pueri. qui utiq; imperfectæ ætati, non potest perfecta adhibere præcepta, quæ sustinere nõ queat. Deniq; per Prophetam Deus Legis ait: Dabo uobis præcepta non bona, hoc est non perfecta. Quod enim bonum, utiq; perfectũ. Idem autem Deus Euangelio perfectiora seruauit. Siquidem ait: Non ueni Legem soluere, sed implere. Quę igitur istius causa distantiæ, nisi humana uarietas? Sciebat duræ ceruicis populum Iudæorum, lapsu humilem perfidia promptiorem, qui aure audiret & non audiret, oculis uideret & nõ uideret, lubrico quodam infantiæ leuem, & immemorem præceptorum, & ideo Legem tanquam pędagogum mobili plebis ingenio & menti adhibuit infirmæ, ipsaq; Legis præcepta moderatus, aliud legi uoluit, aliud intelligi: ut insipiens saltem quod legeret custodiret, & à præscripto literæ non recederet, sapiens intelligeret diuinæ mentis sententiam, quam litera non personaret: imprudens seruaret legis imperium, prudens mysterium. Ideo lex seueritatem gladij habet tanquam pædagogus baculum, ut imperfectę plebis infirmitatem pœnæ saltem denunciatione deterreat, euangelium autem indulgentiam habet, quo peccata donantur. Iure ergo ait Paulus: quia litera occidit, spiritus autem uiuificat. Litera igitur occidit exiguam corporis portionem: spiritus intelligens, circuncisionem totius animæ corporisq; custodit, ut superfluis amputatis (quid enim tam superfluum, quàm auaritiæ uitia, libidinisq; peccata, quæ natura non habuit, culpa quæsiuit?) castimonia teneatur, frugalitas diligatur. Signum igitur, circuncisio corporalis, ueritas autem, circuncisio spiritualis est. Illa membrum amputat, ista peccatum. Nihil imperfectum in homine natura generauit, nec tanquam superfluum iubebatur auferri: sed ut aduerterent qui partem sui corporis amputabant, multo magis amputanda peccata, recidendos eos qui delicta suadent, etiam si quadam unitate corporis connecterentur, sicut habes scriptum: Si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proijce abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam. Ergo sicut pueris, ita Iudæis mandata præcepta sunt, nõ plena sed ex parte, & uelut unam membri sui partem mundã seruare præcepti sunt, qui totũ corpus suum mundũ seruare nõ poterant. Sabbati quoq; ferias uno die in hebdomada celebrare iussi sunt, ut nulli oneri subderentur, qui à mundanis operibus absoluti utinã sic abs-

Galat.

Ibidem 1

Ezech. 20

Matth. 5

1. Corint. 3 2

Matth. 5

sent,

sent,ut in illud perpetuum futurorum sabbatum seculorum nulla secum grauium uehe-
rent onera delictorũ.Sed quia lubricum populum Deus nouerat,partem infirmioribus
diei unius obseruatione præscripsit,plenitudinẽ fortioribus reseruauit: synagoga diem
obseruat,ecclesia immortalitatem.In Lege igitur portio,in Euangelio perfectio est. Po
pulus ludæorũ ligna portare prohibetur, hoc est illa quæ consumuntur incendio. Vm-
bram tenent qui solem refugit. Tibi sol iustitiæ, umbram impedimento esse non passus,
Ioan. 8 apertum gratiæ suæ lumen infundens ait: Vade,& amodo uide ne pecces. Tibi æterni il
1.Cor.3 lius solis imitator ait: Si quis autem superædificauerit super fundamentum, aurum, ar-
gentum,lapides pretiosos,ligna,fœnum,stipulam: uniuscuiusq; opus manifestum erit.
Dies enim domini manifestabit,quoniã in igne reuelabitur.Et uniuscuiusq; opus quale
sit,ignis probabit.Et ideo illud superædificemus supra Christũ. Christus enim nostrum
est fundamentum quod nõ exuratur,sed melioretur. Aurum melioratur, igni meliora-
tur argentum.Audisti aurum & argentum,putas hoc materiale, congregare desideras,
sed ludis operam.Hoc aurum & argentum onus habet,fructum non habet.Onus quæ-
rentis est,sumptus hæredis.Hoc aurum sicut lignum exuritur, non perpetuatur:hoc ar-
gentum in die illo detrimentum uitæ tuæ,nõ lucrum affert.Aliud aurum, aliud argentũ
a te quæritur,hoc est sensus bonus,uerbum optimum,de quibus dicit Deus,quia dat ua
Psal. 11 sa aurea & argentea.Hæc sunt munera Dei,eloquia domini,eloquia casta,argentũ igne
3 examinatum,probatũ terræ,purgatum septuplo.Gratia sensus tui, nitor casti sermonis
exigitur:splendor fidei,nõ tinnitus argenti.Hoc manet, illud perit: hoc mercedem ha-
bet,& migrat nobiscum,illud detrimentum habet, quod hic relinquitur.Si quis diuitũ
putat quod illud argentum repositum & reconditum ei suffragari possit ad uitam, onus
inane portat,quod iudicij ignis absumat.Hic relinquite ligna uestra diuites, ut onus ue
strum futuro incendio incrementum non addat. Si erogaueris,minuetur onus:& quod
remanserit,onus nõ erit.Noli auare recondere, ne fias nudo quidem nomine Christia-
nus,opere ludęus,cùm aduerteris onera tua tibi esse supplicio.Dictum est enim tibi nõ
1.Cor.3 per umbram,sed in sole.Cuius opus manserit,mercedem accipiet:si cuius arserit, detri-
mentum patietur. Et ideo tanquam perfectus eruditus in Lege, confirmatus in Euan-
Esa.23 gelio, utriusque fidem suscipere testamenti. Beatus enim qui seminat super omnem
aquam,ubi bos & asinus calcat, sicut hodie lectum est:hoc est qui seminat super popu-
los, qui sequuntur testamenti utriusq; doctrinam. Bos est ille aratorius, Legis iugum
Deut.25 portans,de quo Lex dicit.Boui trituranti os non alligabis:qui habet scripturarum cor-
1.Cor.9 nua diuinarum. Pullum autem asinæ dominus in Euangelio in figura populi gentis as-
Lucæ 16 cendit.Puto autem (quoniam dies est uerbum Dei) quod etiam illud intelligere de-
beamus,quia bos habet cornua plena terroris, taurus ferociam habet, asinus mansue-
tudinem: quod bene ad præsentia deriuatur,quia beatus qui & seueritatem & mansue
tudinem tenet:ut altero disciplina seruetur, altero innocentia non opprimatur. Nimia
enim seueritas extorquet plerunq; terrore mendacium. Deus diligi maluit quàm time-
ri.Dominus ergo charitatem exigit, seruus timorem, cùm perpetuus in homine terror
esse non possit, quia scriptum,sicut hodie lectum est:Ecce in timore uestro ipsi timebũt
quos timebatis. Vale fili,& nos dilige,quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Clementianum, uim Apostolicæ disputationis in superio-
ri epistola notatæ aperientis, simulq; ostendentis ludæum non esse secundum
adoptionem hæredem. Epistola LXXIII

AMbrosius Clementiano.Et si sciam quòd nihil difficilius sit quàm de Apo
A stoli lectione differere,cum ipse Origenes longe minor sit in Nouo quam
in Veteri testamento:tamen quoniam superiore epistola usus tibi sum cur
pædagogus lex diceretur,nõ absurde explicuisse: hodierno quoq; sermone uim ipsam
Apostolicæ disputationis meditabor aperire.Superiora enim lectionis eius hoc habẽt.
Eo quod ex operibus Legis nemo iustificetur, sed ex fide: quoniam qui ex operibus
Galat.3 Legis sunt, sub maledicto sunt: Christus autem redemit nos de maledicto Legis, fa-
ctus pro nobis maledictum. Non ex Lege igitur hæreditas data est, sed ex repromis-
sione.Etenim Abrahæ dictæ sunt repromissiones & semini eius quod est Christus.Lex
itaque præuaricationum gratia posita est, donec ueniret semen cui repromissum est,

& ideo

& ideo concluſa ſunt omnia ſub peccato, ut repromiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. Poſtquam autem uenit fides, iam non ſub lege, hoc eſt ſub pædagogo ſumus, quia ſumus filij Dei, & omnes ſumus in Chriſto Ieſu. Si autem omnes ſumus in Chriſto Ieſu, ergo Abrahæ ſemen ſumus, ſecundum promiſſionem hæredes. Hæc eſt Apoſtolicæ concluſio ſententiæ. Sed occurrit adhuc ei quod poterat etiam Iudęus dicere, & ego hæres ſum, quoniam ſub lege ſum. Lex autem, Vetus dicitur teſtamentum. Vbi autem teſtamentum, ibi hæreditas. Et licet ad Hebręos ipſe dixerit, quia teſtamentum non ualet, niſi mors intercedat teſtatoris, id eſt, quoniam teſtamentum non ualet quandiu uiuit teſtator, ſed eius morte firmatur: tamen quia in Hieremia dominus locutus eſt de Iudæis, & ait: Facta eſt hæreditas mea mihi ſicut leo, hæredes eos negare noluit. Sed ſunt hæredes ſine re, ſunt & cum re. Et dicuntur hæredes teſtatore uiuente, qui ſcripti ſunt, ſed ſine re. Sunt etiam hæredes paruuli, qui nihil differunt à ſeruulo, quoniã ſub curatoribus ſunt & actoribus. Ita, inquit, & nos eramus Iudæi ſub elementis mundi huius ſeruientes. Poſtquam uerò uenit plenitudo temporis, & Chriſtus aduenit, iam nõ ſumus ſerui, ſed liberi, ſi credamus in Chriſtũ. Ergo dedit illis ſpem hæreditatis, poſſeſſionem negauit. Habent nomẽ hæredis, uſum nõ habent: quia ſicut paruuli hæredes nomen nudum hęreditatis non authoritatem uſurpant, iubendi ius & utendi non habent, quia plenitudinem ſuæ ætatis expectant, ut à curatoribus liberentur. Sicut ergo paruuli, ita & Iudæi ſub pædagogo ſunt. Lex pędagogus eſt. Pędagogus ad magiſtrum ducit: magiſter noſter ſolus eſt Chriſtus. Nolite dicere uobis dominum & magiſtrũ, quia dominus & magiſter ueſter unus eſt Chriſtus. Pædagogus timetur, magiſter uiam ſalutis oſtendit. Timor ergo ad libertatem perducit, libertas ad fidem, fides ad charitatem: charitas acquirit adoptionem, adoptio hæreditatẽ. Ergo ubi fides, ibi libertas: ſeruus enim ſub metu, liber ex fide. Ille ſub litera, iſte ſub gratia: ille in ſeruitute, iſte in ſpiritu. Vbi autem ſpiritus domini, ibi libertas. Si igitur ubi fides, ibi libertas: ubi libertas, ibi gratia: ubi gratia, ibi hæreditas. Iudæus autem litera nõ ſpiritu in ſeruitute eſt, qui non habet fidem, nõ habet ſpiritus libertatem. Vbi autem nulla libertas, nulla gratia: ubi nulla gratia, nulla adoptio: ubi nulla adoptio, nulla ſucceſſio. Tanquam clauſis ergo tabulis cernit hæreditatem, nõ poſſidet, authoritatem nõ habet lectionis. Nam quomodo dicit, Pater noſter, qui uerum Dei filiũ negat, per quem adoptiuus acquiritur? Quomodo teſtamentũ nũcupat, qui mortem teſtatoris negat? Quomodo libertatem uſurpat qui negat ſanguinem quo redemptus eſt? Hic enim eſt noſtræ precium libertatis, ſicut Petrus dicit: Sanguine precioſo redempti eſtis, non agni utiq; , ſed eius qui manſuetudine & humilitate tanquam agnus aduenit, & totum mundum una ſui corporis hoſtia liberauit, ſicut ipſe ait: Sicut agnus ductus ſum ad immolandum. Vnde & Ioannes ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Ergo Iudæus hæres in litera, non ſpiritu, tanquam paruulus eſt ſub curatoribus & actoribus. Chriſtianus autem qui plenitudinem temporis agnouit, qua Chriſtus aduenit factus ex muliere, factus ſub lege: ut omnes qui ſub lege erant redimeret, Chriſtianus, inquam, per unitatem fidei & agnitionem filij Dei in uirum perfectum, in menſuram ætatis exurgit plenitudinis Chriſti. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Hebr. 9
Hier. 12
Galat. 4
Matth. 23
1. Cor. 9
1
1. Pet. 1
Ioan. 1
Galat. 4
Epheſ. 4

Diui Ambroſij ad Horontianum, ex eo quod ab Apoſtolo cõmemoratum eſt, Abraham credidit Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam &c. colligentis quòd ij magis Abrahæ filij qui ex fide hæredes ſunt, ipſam quoq; fidem plurimum commendantis.

Epiſtola LXXIIII

Genes. 15

A Mbroſius Horontiano. Si Abrahã credidit Deo, & reputatũ eſt ei ad iuſtitiam: quod autem reputatur ad iuſtitiã, ex incredulitate ad fidem eſt: utiq; ex fide iuſtificamur, nõ ex operibus Legis. Abrahæ autem ipſi duo filij Ismael & Iſaac, unus de ancilla, alter de libera. Et reſponſum huiuſmodi, ut expelleret ancillam, & filium ancillæ: non enim hæredem fore ancillæ filium. Et ideo non ancillæ nos filios eſſe, ſed liberæ, qua libertate nos Chriſtus liberauit. Vnde colligitur quòd ij magis Abrahæ filij, qui ex fide. Præſtant enim fidei quàm generationis hæredes. Lex pædagogus eſt, fides libera. Abijciamus ergo opera ſeruitutis, teneamus gratiam libertatis. Deſeramus umbram, ſolem ſecuti, ritus Iudaicos deferamus. Circunciſio membri

Galat. 4
Ibidem 3

Galat. 5 membri unius nihil prodeſt. Deniq; ait Apoſtolus: Ecce ego Paulus dico uobis quoniam ſi circuncidamini, Chriſtus uobis nil proderit. Non quia non poſſit, ſed quia indignos beneficijs ſuis iudicet, qui uias eius deſerant. Et quidem antè Sephora circũcidit
Exod. 4 filium ſuum, & periculum depulit quod imminebat. Sed tunc profuit Chriſtus cum adhuc perfecta differret. Cum paruulus eſſet populus credentium, uenit nõ paruulus, ſed perfectus in omnibus dominus Ieſus. Circunciſus eſt primo ſecũdum legem, ne legem
1. Corint. 13 ſolueret: poſtea per crucem, ut legẽ impleret. Ceſſauit ergo quod ex parte eſt, quia uenit quod perfectum eſt. Crux enim in Chriſto non unum membrum, ſed totius circuncidit ſuperfluas corporis uoluptates. Fortaſſe adhuc quæritur qua ratione circuncidi ex parte uoluerit, qui uenerat perfectam circunciſionem demonſtraturus. De quo
nõ puto eſſe diutius deliberandum. Nam ſi peccatum factus eſt, ut noſtra peccata mundaret: ſi maledictum pro nobis factus eſt, ut legis maledicta uacuaret: ea ratione & circunciſus pro nobis eſt, ut circunciſionem legis auferret, daturus ſalutem crucis. Spiritu
Galat. 5 igitur ex fide ſpem iuſtitiæ expectandam nobis aſſerit Apoſtolus, & in libertatem uocatos, libertatem noſtram in occaſionem carnis non debere conferre. Siquidem neq; circunciſio aliquid ualet, neq; præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur. Et ideo
Deut. 6 ſcriptum eſt: Diliges dominum Deum tuum. Qui autem diligit, utiq; credit: & credẽdo unuſquiſq; diligere incipit. Deniq; Abraham credidit, & ſic diligere cœpit: & credidit nõ ex parte, ſed per omnia. Aliter enim habere plenam nõ poterat charitatem, quia ſcri-
1. Corint. 13 ptum eſt: Charitas credit omnia. Si nõ credit omnia, non uidetur charitas eſſe perfecta.
Ibidem Ergo perfecta charitas omnem fidem habet. Non tamen facilè dixerim, quod cõtinuo omnis fides perfectam charitatem habeat, quia Apoſtolus dixit: Si habeam omnem fidem ita ut montes transferã, charitatem autem nõ habeam, nihil mihi prodeſt. Etenim
1 cùm tria ſint maxime in uiro Chriſtiano, ſpes, fides, charitas: maior his eſt charitas. Sed arbitror propoſiti gratia hoc dixiſſe Apoſtolũ. Neq; enim uidetur mihi qui habeat omnem fidem, ita ut mõtes transferat, charitatem nõ habere: quomodo & illud, Si habeat
1. Ioan. 4 aliquis omnia myſteria, & omnẽ ſciẽtiã, quomodo nõ habeat charitatẽ, cùm dicat Ioannes, quia omnis qui credit quia Ieſus Chriſtus eſt, de Deo natus eſt. Et ſuprà ipſe dixe-
Ibidem 3 rit: Quoniã qui de Deo natus eſt, nõ peccat? Vnde colligitur: Si is qui credit quia Ieſus Chriſtus eſt, de Deo natus eſt, & qui de Deo natus eſt, non peccat: utiq; is qui credit, quia Ieſus Chriſtus eſt, nõ peccat: ſi quis aũt peccat nõ credit. Qui autem nõ credit, non
1. Pet. 4 diligit. Qui autẽ nõ diligit, peccato obnoxius eſt. Ergo non diligit qui peccat. Charitas enim multitudinem operit peccatorum. Quod ſi charitas peccandi excludit affectum, quãdoquidem etiam timorem excludit foras, plena eſt utiq; perfectę fidei charitas. De-
Lucæ 17 niq; Apoſtoli qui futuri erãt amici, dixerũt: Adauge nobis fidem, petentes à bono medi-
Matth. 14 co ut infirmãtem in ſe fidem ſanaret. Infirmabatur adhuc fides in ijs, cùm audiret etiã Petrus: Minimæ fidei, quare dubitaſti? Ergo fides uelut præuia charitatis occupat animã. & præparat ſemitas uenturę dilectioni. Sic omnis fides eſt, ubi perfectio charitatis. Ideo puto dici quia charitas credit omnia, hoc eſt facit fidẽ omnia credere, & habere huiuſmodi animã omnem fidem. Ac per hoc ubi perfecta charitas, ibi omnis fides: ſicut ubi
1. Corint. 13 perfecta charitas, ibi ſpes omnis. Deniq; ſicut omnia credit, ita ſcriptum eſt, quia ſperat
1. Ioan. 4 omnia. Ideo maior, quia ſpem fidemq; cõplectitur. Hãc charitatem habens nihil timet,
1. Cor. 13 quia charitas timorem excludit foras, & ideo ablegato & exuto timore omnia ſuffert, omnia ſuſtinet. Qui ergo per charitatem omnia ſuſtinet, non poteſt timere martyrium.
Galat. 6 Et ideo quaſi uictor alibi in fine ait: Mihi enim mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambroſij ad Bellicium, exponentis quid ſibi uelit illud quod dominus Ieſus uidens à generatione cæcum, expuit, & fecit lutum, & ſuperunxit oculos cæci, &c. Epiſtola LXXV

Ambroſius Bellicio. Audiſti frater lectionem Euangelij, in qua decurſum
Ioan. 9 A eſt quòd præteriens dominus Ieſus uidit à generatione cæcum. Ergo nec nos quidem præterire debemus quem prætereũdum dominus non putauit, præſertim cùm à generatione cæcus fuerit, quod nõ ocioſe eſt poſitum. Eſt enim cęcitas quæ plerunq; ui ægritudinis aciem obducit oculorũ, eademq; temporis ſpatio mitigatur:

tigatur: est cæcitas quæ humorum infusione generatur: ea quoq; uitio plerunq; sublato, medicinæ arte depellitur: ut cognoscas, quia quod iste sanatur qui à generatione sua cæcus est, non artis esse sed potestatis. Donauit enim dominus sanitatem, non medicinam exercuit. Eos enim sanauit dominus Iesus quos nemo curaret. Quàm stolidi autem Iudæi qui interrogant: Hic peccauit, an parentes eius? debilitates corporum referentes ad merita delictorum. Et ideo dominus ait: Neq; hic peccauit, neq; parentes eius: sed ut manifestarentur opera dei in illo. Quod enim naturæ defuit, creatori competit reformare, qui author naturæ est. Vnde addidit: Cùm in hoc mundo sum, lux sum huius mũdi. Hoc est omnes possunt uidere qui cæci sunt, si me lumen requirant. Accedite & uos, & illuminamini, ut uidere possitis. Deinde quid sibi uult quod is qui uitam refundebat imperio, salutem præcepto dabat, dicens mortuo: Exi foras, & egressus est Lazarus de sepulchro, dicens paralytico: Surge, tolle grabatum tuum: & surrexit paralyticus, & cœpit grabatum ipse portare, in quo solutus membris omnibus portabatur? Quid inquam, sibi uult, quod expuit & fecit lutum, & superunxit oculos cæci, & dixit ei: Vade & laua in Syloa, quod interpretatur missus: & abijt, & lauit, & uidere cœpit? Quæ ista ratio est? Magna ni fallor. Plus enim uidet quem Iesus tangit. Simul & diuinitatem & sanctificationem eius aduerte. Quasi lux tetigit, & lumen infudit. Quasi sacerdos per figuram baptismatis mysteria gratiæ spiritualis impleuit. Expuit, ut aduerteres quia interiora Christi lumẽ sunt. Et uerè uidet qui Christi mundatur internis. Lauat saliua eius, lauat sermo eius, sicut habes: Iam uos mũdi estis propter sermonem quem locutus sum uobis. Quod autem lutum fecit, & superunxit oculos cæci, quid aliud significat, nisi ut intelligeres quia ipse hominem luto illito reddidit sanitati, qui de luto hominem figurauit, & quod hæc caro luti nostri per baptismatis sacramenta æternæ uitæ lumen accipiat? Accede & tu ad Syloam, hoc est ad eũ qui missus est à patre, sicut habes: Mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit. Diluat te Christus, ut uideas. Veni ad baptismũ, tempus ipsum adest, ueni festinus, ut & tu dicas: Abij & laui, & uidere cœpi. Vt & tu dicas: Cæcus eram, & uidere cœpi. Vt & tu dicas, sicut iste refuso lumine ait: Nox præcessit, dies apropinquauit. Nox erat cæcitas. Nox erat cùm Iudas accepit buccellam à Iesu, & introiuit in eũ Sathanas. Iudæ nox erat, in quo diabolus erat: Ioanni dies erat, qui in Christi pectore recumbebat, Petro quoq; dies erat, cùm lumen Christi uideret in mõte. Nox erat alijs, sed Petro dies erat. At uerò ipsi Petro nox erat quando Christum negabat. Denique gallus cantauit, & flere cœpit, ut emendaret errorem. Iam enim dies appropinquabat. Interrogabant Iudæi cæcum, Quomodo uidisti? Grandis amentia. Interrogabant quod uidebant, interrogabant causam, cùm factum uiderent. Et maledixerunt ei dicentes: Tu sis discipulus eius. Maledictio eorum benedictio est, quia benedictio eorum maledictio est. Tu sis, inquiunt, discipulus eius. Tunc prosunt quando nocere se credunt. Valè fili, & nos dilige, ut facis, quia nos te diligimus.

Ioann. 9 Psalm. 33 Ioann. 11 Marc. 2 Ioan. 9 Ioan. 7 Rom. 13 Ioann. 13

Diui Ambrosii ad Studium, quæstionem ab eo propositam quam in quadam epistola superius ad eundem scripta absoluit, latius ac plenius pertractantis & absoluentis. Epist. LXXVI

A Mbrosius Studio. Etsi superiore epistola hanc quam proposuisti quæstiuncu lam absoluerim, tamen aliquid plenius requirenti tibi ut filio afferre atq; exculpere non supersederim. Ac semper quidem decantata quæstio, & celebris absolutio fuit mulieris eius quæ in libro Euangelij quod secundum Ioannem scribitur, adulterij rea oblata Christo est. Id enim Iudæorum cõmentata est tergiuersatio, ut si contra legem absolueretur, contra legem prolata domini Iesu sententia teneretur. Si autem damnata esset ex lege, uacare Christi uideretur gratia. Sed uehementior facta est, postea quàm episcopi reos criminũ grauissimorũ in publicis iudicijs accusare, alij & urgere usque ad gladium supremamq; mortem, alij accusationes huiusmodi & cruentos sacerdotum triumphos probare cœperunt. Quid enim aliud isti dicunt quàm dicebant Iudæi, reos criminum legibus esse publicis puniendos, & ideo accusari eos etiam à sacerdotibus in publicis iudicijs oportuisse, quos asserunt secundũ leges oportuisse puniri? Eadẽ causa est, sed numerus minor, hoc est, non dispar iudicij quæstio, sed pene dispar inuidia. Vnam Christus puniri ex lege non passus est, isti minorem numerum asserunt esse 1

punitum. At quo loci hoc iudicat Christus? Nam plerunq; secundum qualitates locorũ in quibus docebat famulos suos, disputationes suas formare dignatus est, ut in porticu
Ioann. 10 Salomonis, hoc est sapientis deambulans loquebatur: Ego & pater unum sumus: ut in templo dei dicebat: Mea doctrina nõ est mea, sed eius qui me misit. Hoc quoq; iudiciũ in templo positus exercet, sicut scriptum est in posterioribus. Sic enim habes: Hæc uerba locutus est Iesus in gazophylacio docens in templo, & nemo apprehẽdit eum. Quid est gazophylacium? Collatio fidelium, sumptus pauperum, requies egenorum, iuxta
2 quod sedens Christus, ut habes secundum Lucam, duo æra mulieris uiduæ diuitum mu
Luc. 12 neribus censuit præferenda, diuino uidelicet testimonio præferens optimæ præmijs largitatis sedulæ liberalitatis affectum. Qui tale habebat iudicium, uideamus quid ipse iuxta gazophylacium positus conferebat. Non enim ociose uiduam prætulit duo æra mittentem. Preciosa ista paupertas est, fidei opulenta mysterio. Ista sunt duo æra quæ Samaritanus ille Euangelicus ad eius curanda uulnera qui incidit in latrones, stabulario dereliquit. Ergo & ista specie uidua in typo ecclesia hoc gazophylacio sacro conferendũ putauit, quo pauperum sanarentur uulnera, peregrinorũ ieiunia sedarentur. Vnde & nunc
Psalm. 11 quid Christus conferat, spiritualiter te oportet expendere. Diuidebat enim populis argentum igne examinatum eloquiorum cœlestium, & imaginis regiæ pecuniam populorum annumerabat affectibus. Nemo plus misit, quàm qui totum donauit. Satiabat esurientes, replebat inopes, illuminabat cæcos, redimebat captiuos, paralyticos erigebat, mortuos resuscitabat, & quod est amplius, cõferebat absolutiones reorum, peccata donabat. Hę sunt duo æra quę misit Ecclesia posteaquã accepit à Christo. Quid enim sunt duo æra nisi preciũ Noui & Veteris testamenti? Precium scripturæ, fides nostra est. Nã quod legitur, pro intelligentis æstimatur arbitrio. Remissio igitur peccatorum, utriusq; precium testamenti est, quæ per agnum in typo annunciata est, in ueritate completa per Christum. Ideo habes neq; septem dierum purgationem sine trium dierum esse purgatione. Septem dierum purgatio secundum legem, quæ in specie præsentis sabbati, spirituale sabbatum annunciauit: trium dierum purgatio secundum gratiam, quæ Euangelij testificatione signatur, quia tertio die dominus resurrexit. Vbi pœna præscribitur, debet esse pœnitentia peccatorum: ubi remissio donatur, gratia est. Præcedit pœnitentia, sequitur gratia. Neq; pœnitentia ergo sine gratia, neq; gratia sine pœnitentia. Debet enim pœnitentia prius damnare peccatum, ut gratia possit abolere. Ideo typum legis accipiens Ioannes baptizauit in pœnitentia, Christus ad gratiam. Septimus ergo dies le-
Eccles. 11 gis mysterium signat, Octauus resurrectionis: sicut habes in Ecclesiaste: Da partem il-
Oseæ. 3 lis septem, & illis octo. Nam & in propheta Osee legisti dictum ad eum: Conduc tibi fornicariã quindecim denarijs: eò quòd gemino ære Veteris & Noui testamenti, hoc est integro fidei precio, mulier illa uago quodam & meretricio gentium conuenarum comitatu fulta conducitur. Et conduxit, inquit, eam gomor hordei, & semigomor. Per hordeum significat, quia imperfectos uocaret ad fidem, ut perfectos redderet, per gomor, intelligitur plena mensura, per semigomor semiplena mensura. Plena mensura in Euangelio est, semiplena in Lege, cuius plenitudo Nouum est testamẽtum. Siquidẽ ipse do-
Matth. 5 minus ait: Non ueni legem soluere, sed implere. Nec ociose quindecim anabathmorum
3 Psalmos Dauidicos legimus, & quindecim gradibus ascendisse solem, cùm Ezechias iu-
4 stus rex uitæ huius acciperet commeatum. Significabatur enim esse uenturus sol iustitiæ, quia gradus quindecim Veteris & Noui testamẽti illuminaturus esset præsentiæ suę lumine, quibus nostra fides ad uitam ascendit æternam. Vnde & hoc quod hodie in A-
Galat. 1 postolo lectum est, mysticum reor, eo quòd quindecim diebus apud Petrum manserit. Videtur enim mihi quòd apostolis sanctis scripturæ diuinæ interpretationem sermone secum uario conferentibus pleni luminis refulserit claritudo, ignorantiæ umbra decesserit. Sed iam ueniamus ad mulieris huius adulteræ absolutionem. Oblata erat à scribis
Ioann. 8 & pharisæis domino Iesu adulterij rea, & hac oblata fraude, ut si eam absolueret, legẽ soluere uideretur: sin uerò damnaret, propositum sui mutaret aduentus, quia peccata omnium remissurus aduenit. Deniq; supra ait: Ego non iudico quenquam. Offerentes ergo eam, dixerunt: Hanc mulierem inuenimus publicè mœchantem. Scriptũ est autem in le-
Leuit. 20 ge Moysi omnem mœcham lapidari. Tu uerò quid dicis de ea? Quę cùm dicerent: Iesus

inclinato

inclinato capite digito scribebat in terra. Et cùm expectarent ut audirent eum, erigens caput dixit: Qui sine peccato est, prior lapidet eam. Quid tam diuinum quàm ista sententia, ut is peccata puniat qui exors ipse peccati sit? Quomodo enim feras alieni ultorem, & proprij criminis defensorem? Nonne se magis ipse condemnat, qui in alio damnat quod ipse committit? Hoc autem dixit: Et scribebat in terra. Quid? Vtiq; dicens: Festucam quæ in oculo est fratris tui uides, trabem autem quæ in oculo tuo est, non uides. Libido enim uelut festuca est, cito accenditur, propere consumitur. Sacrilegium perfidiæ, quo Iudæi negabant propriæ salutis authorem, sceleris magnitudinem personabat. Scribebat autem in terra digito quo Legem scripserat. Peccatores in terra scribuntur, iusti in cœlo, sicut habes dictum ad discipulos: Gaudete quia nomina uestra scripta sunt in cœlis. Secundo autem scripsit, ut gemino testamento Iudæos scias esse damnatos. Audientes autem hoc uerbum exierunt foras unus post unum, incipientes à senioribus, & sedebant cogitantes de se. Et remãsit solus Iesus, & mulier in medio stans. Bene ait quod exierunt foras qui nolebant esse cum Christo. Foris litera est, intus mysteria. Sequebantur enim diuinarum lectionum quædam uelut arborum folia, non fructum, qui uiuebãt in umbra legis, & solem iustitiæ uidere non poterant. Deniq; discedentibus illis remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. Donaturus peccatum, solus remanet Iesus, sicut ipse ait: Ecce uenit hora, & iam uenit, ut dispergamini unusquisq; in sua, & me solum relinquatis. Non enim legatus neq; nuncius, sed ipse dominus saluum fecit populum suũ. Solus remanet, quia non potest hoc cuiquam hominum cum Christo esse commune ut peccata condonet. Solius hoc munus est Christi, qui tulit peccatum mundi. Meruit & mulier absoluí, quæ recedentibus Iudæis remansit sola cum Christo. Eleuans autem caput Iesus dixit mulieri: Vbi sunt qui te accusabant? Nemo te lapidauit? Et illa respondit: Nemo domine. Et ait ad illam Iesus: Nec ego te damnabo, uade & amodo uide ne pecces. Vide lector diuina mysteria, & clementiã Christi. Cùm accusatur mulier, caput Christus inclinat, eleuat autem ubi defecit accusator. Ita nullum damnari uult, absoluí omnes. Breuiter autẽ omnes hæreticorum interimit quæstiones dicendo: Nemo te lapidauit: qui dicunt Christum diem nescire iudicij, uel qui ait: Sedere autem ad dexterã meam uel ad sinistram nõ est meum dare uobis: ecce & hic ait: Nemo te lapidauit? Quomodo utiq; interrogat quod uidebat? Sed interrogat nobis, ut nosceremus non esse lapidatã. Est etiam humani affectus hæc consuetudo, ut interrogemus sæpissime quod uidemus. Et ideo mulier respondit: Nemo domine. Hoc est dicere: Quis potest lapidare quam ipse non damnas? Quis potest alium sub tali sententiæ conditione punire? Cui respondit dominus: Nec ego te damnabo. Aduerte quomodo propriam sententiam temperauit, ut Iudæi de absolutione mulieris calumniari nihil possent, sed in se magis calumniam retorquerent si queri uellent. Dimittitur enim mulier, non absoluitur, quia deerat accusator, nõ quia innocens approbatur. Quid ergo querentur qui priores à persecutione criminis, & ab executione supplicij destiterunt? Addidit autem deuiæ: Vade, & amodo uide ne pecces. Emendauit ream, non crimen absoluit. Etenim seueriore sententia culpa damnatur si unusquisq; crimen suũ oderit, & in se incipiat condemnare delictũ. Etenim cum reus occiditur, persona magis quàm culpa punitur. Vbi uero culpa deponitur, absolutio personæ est, pœna peccati. Quid est ergo: Vade, & amodo uide ne pecces? Hoc est, Ex quo te Christus redemit, corrigat gratia quam pœna non emendaret, sed plectere. Vale fili, & nos dilige ut filius, quia nos te ut parentes diligimus.

Matth. 7

Luc. 10

Ioann. 16

Matth. 20

Diui Ambrosii ad Constantium, causam reddentis cur circuncisio Veteris testamenti authoritate quasi utilis imperetur, & Noui testamenti magisterio quasi inutilis repudietur, aduersantiumq; obiectiones arguta responsione dissoluentis. Epist. LXXVII

A Mbrosius Constantio. Nõ mediocris pleroscq; mouet quæstio, qua causa circuncisio & Veteris testamenti authoritate quasi utilis imperetur & Noui testamenti magisterio quasi inutilis repudietur, cum præsertim Abraham primus oraculum circuncisionis celebrandę acceperit, qui diem domini Iesu uidit & gauisus est. Quod utiq; in euidenti est, quia non corporalibus, sed spiritualibus legis diuinæ intenderit: & ideo ueram dominici corporis passionẽ in agni cõspexerit immolatione.

Quid ergo dicemus ſecutum patrem noſtrum Abraham ut id primus inſtitueret quo d
eius non ſequeretur hæreditas? Aut qua ratione circuncidun tur infantu rum corpora
& in ipſo ortu ſubij ciuntur periculis, & hoc imperari oraculo, ut diſcrimẽ ſalutis fiat de
myſterio religionis? Quid hoc ſignificat? Latet enim cauſſa ueri, & oportuit aut aperto
aliquid myſterio ſignificari, aut non periculoſo myſteriorum indicio mandari. Cur uero
ſignum teſtamenti diuini in ea datur parte membrorum quę uiſu inhoneſtior exiſtima-
tur? Aut qua gratia ipſe operator corporis noſtri in ipſo noſtrę generationis exordio cir
cuncidi opus uoluit ſuum & uulnerari, & cruentari & abſcindi partem quam uelut ne-
ceſſariam (quia omnia diſpoſuit ordinatè) cum cęteris membris faciendã putauit? Aut
enim prẽter naturam eſt hęc portio corporis noſtri, & non oportuit habere omnes ho-
mines quod eſſet prẽter naturam: aut ſecundum naturã eſt, & nõ decuit amputari quod
ſecundum naturæ perfectionem creatum foret, cum præſertim alieni à portione domi-
ni dei noſtri id præcipuè irridere ſoliti ſint. Deinde cũ propoſitum ſit deo, ut frequenter
ipſe teſtificatus eſt, plures ad ſacræ obſeruantiam prouocare religionis, quãto magis in
uitarentur ſi non aliqui circunciſionis ipſius aut periculo aut opprobrio reuocarentur?
Ergo ut ad prima redeamus, & propoſitum perſequamur ordinem, de ipſa circunciſio-
nis qualitate dicendum uidetur. Cuius gemina debet eſſe defenſio, quia duplex eſt accu
ſatio. Vna quæ irrogatur à Gentilibus, altera quæ ab ijs qui de populo dei ſunt exiſtima
1 tur. Vehementior autem Gentiliũ, qui uiros circunciſione ſignatos etiam opprobrio &
illuſione dignos arbitrantur. Sed etiam ipſorum ſapientiſſimi quiq; ita circunciſionem
approbant, ut electos ſuos erga cognoſcenda & celebranda myſteria circuncidendos
putent. Deniq; Aegyptij, qui & geometriæ & colligendis ſyderum curſibus operam in
tendunt ſuam, impium iudicant ſacerdotẽ qui nequaquam habeat circũciſionis inſigne.
Nam neq; magici carminis ſapientiam, nec geometriam nec aſtronomiam iudicant uiã
ſuam obtinere ſine circunciſionis ſignaculo. Et ideo ut impetrandi uim operationi ad-
hibeant ſuæ, purgationem quandam uatũ ſuorũ circunciſionis arcano celebrandã exiſti
2 mant. Reperimus autem in hiſtoria ueterum non ſolos Aegyptios, ſed etiam Aethiopũ
& Arabum & Phœnicum aliquos circũciſione erga ſuos uſos. Et hanc putant ſe adhuc
probandæ uiam ſeruare rationis, eò quòd ſui corporis primitijs & ſanguinis initiati, inſi
dias dæmonum quas illi generi noſtro moliuntur, exiguæ patris arbitrentur conſecra-
tionibus deſtruendas: ut qui totius hominis ſaluti nituntur nocere, infirmari operatio-
nem ſuam putent circunciſionis ſacræ uel lege uel ſpecie. Arbitror enim quod in præte-
ritum ipſe dæmonum princeps ceſſare ſuas artes erga noxiæ operationis effectum exi-
ſtimauerit, ſi ei nocere conaretur quem ſignaculo circunciſionis ſacræ initiatum aduer-
teret, aut ei qui uideretur in hoc ſaltẽ munere legi diuinæ obtemperare. Iam qui ſingulo
rum membrorum officia diligenter expendit, non ocioſam cauſſam in hac mẽbri huius
portiuncula exiſtimare poterit, qua ratione nõ ſolum circuncidatur puer, uerùm etiam
octauo circuncidatur die: quando incipit mater pignoris nati in ſanguine eſſe puro, quę
ante octauũ diẽm fertur in ſanguine immundo ſedere. Hęc aduerſum eos dicta ſint qui
nulla nobis unitate fidei ſociantur, & ideo tanquã aduerſum diſſidẽtes difficilior diſpu-
tandi locus. Reſponſum autẽ ſibi huiuſmodi habeant qui credunt in dominum Ieſum,
1. Pet. 1 quòd nudare noluimus, cũ aduerſum opiniones Gentiliũ diſputaremus. Nam ſi redem-
pti ſumus non corruptibilibus argento & auro, ſed precioſo ſanguine domini noſtri Ie-
ſu Chriſti (quo utiq; uendente, niſi eo qui noſtrũ iam peccatricis ſucceſſionis ære quæſi
tum ſeruitium poſſidebat:) ſine dubio ipſe flagitabat precium, ut ſeruitio exueret quos
tenebat obſtrictos. Preciũ autem noſtrę liberationis erat ſanguis domini Ieſu, quod ne-
ceſſario ſoluendum erat ei cui peccatis noſtris uenditi eramus. Donec igitur hoc preciũ
pro omnibus ſolueretur hominibus, quod dominici ſanguinis effuſione pro omnium
fuit ſoluendum abſolutione, opus fuit ſingulorum ſanguine, qui lege & conſuetudinis
ritu, ſacræ præcepta ſequereẽ religionis. Sed quia preciũ pro omnibus ſolutũ eſt, poſtea
quã paſſus eſt Chriſtus dominus, iam nõ opus eſt ut uiritim ſanguis ſingulorũ circũciſio
ne fundatur, cũ in ſanguine Chriſti circunciſio uniuerſorũ celebrata ſit, & in illius cruce
omnes ſimul crucifixi ſimus cum eo, & comſepulti in eius ſepulchro, cõplantati ſimilitu
Rom. 6 dini mortis eius, ut ultra non ſeruiamus peccato. Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à

peccato.

peccato. Quod si quis, ut Marcion & Manichæus, reprehendendū dei putat esse iudiciū quia uel oraculum de circunciſione celebranda edendum putauit esse, uel Legem quia ſanguinis effuſio mandatur, neceſſe eſt ut is etiam dominum Ieſum reprehendendum arbitretur, qui non exiguum, ſed multum ſanguinē pro huius mundi effudit redemptione & hodieq; nos fundere iubet ſanguinem noſtrum pro tanto religionis certamine dicēs: Qui uult me ſequi, tollat crucem ſuā, & ſequatur me. Si autem nequaquam iuſta eſt ac- Matth. 16
cuſatio cum aliquis totum ſe pro pietate offerat, & multi ſanguinis ſe mundet effuſione, quomodo legem poſſumus reprehendere exigui ſtillam exigentem ſanguinis, cum prę dicemus dominum Ieſum multi effuſionem ſanguinis, & totius corporis mortem imperantem? Nec ipſum circunciſionis ſignaculum & ſpecies feriabatur, quo populus dei uelut quodam ſigillo ſignatus corporis, diſcernebatur à cæteris nationibus. Nūc autē Chriſti donatus nomine ſignum corporis nequaquam requirit, qui prærogatiuā diuinæ meruit nuncupationis. Quid autē abſurdum ſi propter pietatem aliquid doloris uel laboris inferri uidebatur, quo plus deuotio per hæc certamina probaretur? Pulchrum etiam ut ab ipſis uitæ incunabulis inſigne religionis adoleſceret, & puderet unumquemq; ætatis prouectioris uel labori uel dolori cedere, quorum utrumq; tenera infantia uiciſſet. Sed iam leui circunciſionis dolore non opus eſt Chriſtiano populo, qui mortem domini circunferens, per momenta ſingula fronti proprię mortis cōtemptum inſcribit, utpote qui ſciat ſine cruce domini ſalutem ſe habere non poſſe. Quis enim acu utatur ad pręliandū, cum telis inſtructus ſit ualidioribus? Iam illud quiuis facile refellendū aduertit, quia propoſitum eſt pleroſq; potuiſſe ad ſacræ religionis prouocari obſequium, niſi eſſent doloris timore uel laboris contuitu reuocati. Et potuit hoc terrere maiorem, quod infantuli plerique ſuſtinebant ſine periculo? Eſto tamen aliquos infantulos Iudæorum cum dolorē circunciſi corporis plagęq; feruentis ſuſtinere non potuerint, defunctos fuiſſe: ſed hoc nec cæteros deterrebat prouectiori ætate robuſtos, & laudabiliorem faciebat eum qui præceptis obediſſet cœleſtibus. Quod ſi hoc in exiguo dolore arbitrantur confeſſionis fuiſſe obſtaculum, quid de martyrio dicunt? Nam ſi reprehendūt circunciſionis dolorē, reprehendant & martyrum mortem, per quos cumulata non minuta religio eſt. In tantum autem abeſt nocuiſſe fidei circunciſionis dolorē, ut probabiliorem fidem faciat dolor. Maior enim fidei gratia, ſi quis pro religione contemnat dolorem. Et hic magis habet præmium quàm ille qui ideo dolorem uoluit circunciſione ſubire, ut gloriaretur in lege, & laudem ex hominibus magis quàm ex deo quęreret. Oportuit igitur circunciſionem ex parte fieri ante eius aduentum, qui totum circuncideret hominē. Ex parte enim debuit aſſueſcere humana conditio quemadmodum in id quod perfectum eſt crederetur. Si autem oportuit circuncidi, in qua magis parte membrorum oportuit circunciſionem fieri quàm in ea quę quibuſdam uideretur inhoneſtior? ut iis quæ putarentur ignobiliora eſſe membra corporis noſtri, honeſtatem abundantiorem circundarent: & quæ inhoneſta ſunt noſtra, honeſtatem abundantiorem haberent? Vbi enim magis uir ſanguinis ſui admoneri debuit, quàm in ea parte quæ miniſteriū errori exhibet? Nunc tempus eſt ut & illis reſpondeamus qui dicunt: Si ea pars corporis noſtri ſecundum naturā eſt, nequaquam eam amputari oportuiſſe: ſi non eſt ſecundū naturā, non debuiſſe ſimul naſci. Qui quoniam tam arguti ſunt, & ipſi mihi reſpondeant, utrum ſecundū naturam ſucceſſio humana ſit quæ generationibus adoleſcit, an cōtra naturam? Si enim ſecundū naturā, nunquam igitur intermittēda eſt. Et quomodo integritas uirorū, uirginitas puellarum, abſtinentia uiduarum, continentia coniugū prędicatur? Nullum ergo ſtudium quęrendę ſucceſſionis feriari debuit. Sed ipſe author naturæ non utiq; generationi obſecutus eſt, qui de ſe cum eſſet in corpore conſtitutus, prębuit magiſterium, & hortatus Matth. 19
eſt diſcipulos ad integritatem dicens: Sunt ſpadones qui ſe caſtrauerunt propter regnū cœlorum, qui poteſt capere, capiat. Cum ſit autem homo compoſitus ex corpore & anima. (Satis eſt enim interim hoc dicere, & ſilere de ſpiritu) non eſt in utroq; idem ſecundum naturam: ſed quod eſt ſecundum corporis naturam, id contra naturam eſt animæ. Et quod ſecundum naturam eſt animę, id contra naturam eſt corporis: ut ſi dicam, quod ſecundum naturam eſt uiſibili, id contra naturam eſt ei quod non uidetur. Et quod ſecundum naturam eſt ei quod non uidetur, id contra naturam eſt uiſibili. Nihil ergo in-

congruum in hominibus dei si fiant aliqua contra naturã corporis, quæ sint secundum animę naturã. Qui autem dicunt quoniã plures credidissent si circuncisio non fuisset, ij sibi responsum hoc habeant, quoniã plures crederent si martyria non essent: sed præstãtior est fortitudo paucorũ quã remissio plurimorum. Sicut autem plurima baptismatũ genera præmissa sunt, quia secuturũ erat uerum illud unũ in spiritu & aqua sacramentũ baptismatis, quo totus redimitur homo: ita plurimorũ circuncisio præmittẽda fuit, quia secutura erat circuncisi dominicæ passionis, quã pertulit Iesus quasi agnus dei ut tolle-
Ioann. 1 ret peccatum mundi. Hæc ideo scripsimus, ut ostenderemus quia & debuit præmitti circuncisio quæ foris est, ut & ea iam post aduentum domini iure uideatur excluſa. Nunc autem circuncisio est necessaria quæ in occulto est, sicut Iudæus præstãtior, qui in occulto in spiritu non litera: quoniam cum sint in uno homine duo homines, de quibus dictũ
2. Corin. 4 est: Et si is qui foris est homo noster, corrũpitur secũdum desideria erroris, sed qui intus
Rom. 7 est, renouatur de die in diem, Et alibi: Condelector enim legi dei secundum interiorem hominem. Interior est homo noster qui est ad imaginem & similitudinem dei factus, exterior qui figuratus è limo. Sic deniq; & in Genesi duas tibi creaturas hominis ostendit, secundo creatum hominem significans. Sicut ergo duo homines, ita & gemina conuersatio est: una interioris hominis, altera exterioris. Et quidem pleriq; actus interioris hominis perueniũt ad exteriorem hominem, quemadmodum castimonia interioris hominis transit etiam ad castitatem corporis. Qui enim adulterium cordis ignorat, idem utique nescit corporis adulterium. Non tamen etiam illud est consequens, ut qui non adul-
Matt. 5 terauit corpore, non adulterauerit etiam corde, secundũ illud: Quoniam qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam adulterauit eam in corde suo. Nam etsi adhuc non sit adulter corpore, tamẽ iam affectu adulter est. Ergo est interioris hominis circuncisio. Nam qui circunciditur, totius carnis illecebras tanquam præputium exuit, ut sit in spiritu, non in carne, & spiritu mortificet corporis sui actus. Et hæc est quæ in occulto est circũcisio, sicut Abrahã antè in præputio erat, postea factus est in circũcisione. Sic interior homo noster quando est in carne, tanquã in præputio est: quando autem iam non est in carne, sed in spiritu, incipit esse in circuncisione, non in præputio. Sicut autẽ qui circunciditur, non totam carnem exuit, sed solum præputium, ubi corruptela frequentior: ita
Esaiæ. 40 qui in occulto circunciditur, carnem illam exuit de qua scriptum est: Omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius ut flos fœni, aruit fœnum, & flos eius decidit: uerbũ domini manet in æternũ. Et remanet caro, quę uidebit salutare dei, sicut scriptum est: Et uidebit omnis
Luc. 3 caro salutare dei. Quæ sit ista caro, munda aures, ut intelligas. Talis ergo debet esse in occulto circuncisio, ut nullam habeat comparationem cum ea quæ foris est circuncisione.
Gene. 49 Et ideo qui in occulto Iudæus est, ipse præstat, qui est à Iuda, cuius manus supra ceruicẽ inimicorum eius, qui recubans requieuit ut leo, & ut catulus leonis, quem laudant fratres eius. Ab hoc Iuda non deficit princeps, quia sermo eius principes facit, qui non subiiciantur illecebris secularibus, & captiuentur uoluptatibus istius mundi. Et quia ipse Iudas in hanc generationẽ uenit, ideo plurimi qui postea generati sunt, præferuntur ut uirtutum principatu gaudeant. Habeamus itaq; circuncisionem in occulto, & occulto Iu-
1. Cor. 2 dæum, qui est spiritualis. Spiritualis autem, utpote princeps, dijudicat omnia, ipse autem à nemine dijudicatur. Debuit ergo legis mandato præscripta circuncisio quæ ex parte erat, cessare, posteaquã uenit qui circũcisionẽ faceret totius hominis, & impleret circun-
Matth. 5 cisionem legis. Quis autem est iste nisi qui dixit: Non ueni legem soluere, sed implere? Quanquã si diligenter intendas, & illa sit ratio qua iam cessare debuerit præputij circun-
Rom. 11 cisio, quia plenitudo gentiũ uenit. Non enim Gentibus circũcisio mãdata est, sed semini
Gene. 17 Abrahã. Sic enim habes in primo oraculo: Et dixit deus ad Abrahã: Tu autẽ testamentũ meum obseruabis, tu & semen tuũ post te in progenies eorũ. Et hoc est testamentũ meũ quod obseruabis inter me & uos, & semen tuum post te in progenies eorum: Circuncidetur uestrum omne masculũ & circuncidetis carnem præputij uestri, & erit in signũ testamenti inter me & uos. Infans octo dierum circuncidetur uobis, omne masculũ in progenies uestras. Vernaculus domus tuæ & pecunia emptus ab omni filio alterius qui nõ est ex semine tuo, circuncisione circũcidetur, & erit testamentum meum in carne uestra in testamentum æternum. Et incircuncisus masculus qui non circunciderit carnem præputij sui

putij ſui octaua die, exterminabitur anima illa de generatione illa, quia teſtamentũ meũ trangreſſus eſt. Hebræus quidem negatur habere de octaua die, ſicut Aquila ſignificat. Sed non in Aquila omnis authoritas, qui quaſi ludæus in litera præteriit nec poſuit octauum diem. Interim & octauum diem & in ſigno datã circũciſionem audiſti. Signum autem rei maioris indicium eſt, indicium ueritatis futuræ, & datũ teſtamentum Abrahę & ſemini eius, cui dictum eſt: In Iſaac erit ſemen tuum. Ergo circũcidi licuit ludæum uel domi eius natum, uel pecunia eius emptũ. Non poſſumus deriuare hoc ad alienigenam aut proſelytũ, niſi fuerit in domo Abrahæ nati, aut pecunia eius empti, uel ſeminis eius. Deniq; nihil dixit de proſelytis, de quibus quãdo uoluit dicere, nominauit eos, ſicut habes: Et locutus eſt dominus ad Moyſen dicẽs: Loquere ad Aaron, & ad filios eius, & ad omnes filios Iſrael, & dices ad eos: Homo homo à filijs Iſrael, & à proſelytis qui ſunt appoſiti uobis, quicunq; fecerit holocauſtum. Vbi ergo comprehendit eos, ibi lex eos tenet. Vbi oraculo non ſignificantur, quomodo aſtringi uidentur? Sic habes deniq; : Dic filijs Aaron, quando de ſacerdotibus dicit. Habes quando & de Leuitis dicit. Ergo omnifariam claret etiam ſecundum literam legis, quanquam Lex ſpiritualis ſit, & ſecũdum ipſam tamen literam ad circunciſionem teneri non potuiſſe nationum populos, ſed ipſam circunciſionem in ſigno fuiſſe donec plenitudo Gentiũ intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret, circunciſus corde, non exigua membri unius parte. Ergo ſatis & excuſata à nobis, & excluſa eſt ludæorum manens hodieq; circunciſio. Quod autem reprehenſioni eam dicunt fuiſſe uel eſſe Gentilibus, primum non habent reprehendere ipſi uel irridere quod alij conſortes faciunt ſui. Eſto tamen fuerit quod irriderẽt. Quid hoc nos mouere debet, cum ipſa crux domini ludęis ſcandalum, Gręcis ſtultitia, nobis autem uirtus dei ſit atq; ſapientia? Et ipſe dominus dixerit: Qui me confuſus fuerit coram hominibus confundar & ego eum coram patre meo qui eſt in cœlis. Docẽs nos ijs quæ ridentur ab hominibus, non commouendos, ſi qua pro religionis obſequio deferuntur.

Hebr. 11

Rom. 7

Roma. 11

1. Cor. 1

Luc. 9

FINIS.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS EPISTOLARVM LIBER X

Diui Ambroſii ad Theophilum, conquerentis de ſtatu cauſſæ diſcordiarum inter Euagrium & Flauianum, & quid eum in hac re agere uelit exponentis. Epiſt. LXXVIII

AMbroſius Theophilo. Nõ habet quod urgeat Euagrius, et habet quod metuat Flauianus, ideoq; refugit examen. Dent fratres ueniam dolori iuſto, quia propter ipſos uniuerſus orbis concutitur, & illi tamen noſtro nõ compatiuntur dolori. Perſtringi ſaltem ſe æquanimiter ferant ab ijs quos uident ſua per tantorum curricula temporum uexari intentione. Inter hos etenim duos nihil quod ad Chriſti pacem pertineat, eli 1
gentes, grauis toto orbe ſtabat diſcordia. Cui bonæ pacis naufragio ſancta ſynodus Capuenſis tandem obtulerat portum tranquillitatis, ut omnibus per totum Orientem daretur communio catholicam confitentibus fidem, & duobus iſtis tuæ ſanctitatis examen impartiretur, fratribus & conſacerdotibus noſtris Ægyptijs pariter confidentibus quia hoc uerum iudicium futurum arbitrati ſumus, quod neutri parti ſociata cõmunione aliquo fauore propenderet. Cum ex his igitur æquiſſimæ ſynodi conſtitutis ſperaremus 2
iam remedium datum finemq; oblatum diſcordiæ, ſcribit ſanctitas tua iterum fratrem noſtrum Flauianum ad precum auxilia, & imperialium reſcriptorum ſuffragia remeauiſſe. Fruſtra ergo tantorum Sacerdotum fuſus labor, iterum ad huius ſeculi iudicia reuertendum, iterum ad reſcripta, iterum uexabuntur ſacerdotes ſenes, transfretabunt maria, iterum inualidi corpore patriam peregrino mutabunt ſolo, iterum ſacroſancta altaria deſerentur, ut in longinqua proficiſcamur, iterũ pauperũ turbæ epiſcoporũ, quibus antè oneroſa paupertas non erat, externæ opis egentes compellentur inopiam gemere, aut certe uictũ inopũ itineris uſurpare. Interea ſolus exlex Flauianus (ut illi uide- 3

tur)non uenit,quando omnes conuenimus. Fœnerator & debitor inuicẽ ſibi occurrũt, iſti ſibi non poſſunt occurrere,ſolus exors Flauianus (ut ipſe uult) ſacerdotalis conſortij,qui nec imperialibus decretis nec Sacerdotum conuentui præſentiam faciat ſui. Nec tamen etiam hoc moti dolore,fratri Euagrio donamus ſpeciem bonæ cauſſæ, qui eò defenſabilior ſibi uidetur,quod eum refugit Flauianus, aut quòd habere ſe alterum arbitratur æqualem,utercꝫ alienæ magis ordinationis uitijs quàm ſuis fretus. Quos tamen nos in meliorem uocamus uiam,ut malimus eos ſuis potius bonis quàm alieno uitio defen-
4 di. Qua de re quoniã propriis texuiſti literis poſſe typũ reperiri aliquẽ quo poſſit auferri fratrum diſcordia, cum ſancta ſynodus cognitionis ius unanimitati tuæ cęteriſcꝫ ex Ægypto conſacerdotibus noſtris commiſerit, iterum oportet fratrem noſtrũ Flauianũ conuenias,ut ſi in eo perſeuerauerit quo ueniendum non putet, ſaluis concilij Niceni, ſed etiam ſynodi Capuenſis ſtatutis,illibata pace uniuerſorum ita cõſulas,ut non uideamur deſtruere,quod ædificatum eſt. Si enim quæ ædificaui deſtruo,præuaricatorem me ipſe conſtituo:ac ſi quæ deſtruxi, iterum ædificem. Seruetur ergo impartitæ pacis gratia inter uniuerſos,& nihilominus declinatio partis alterius fruſtrãdi effectum habere non poſſit. Sane referendum arbitramur ad ſactum fratrem noſtrum Romanæ ſacerdotem eccleſiæ,quoniam præſumimus ea te iudicaturum quę etiam illi diſplicere nequeant. Ita enim utile erit conſultũ ſententiæ,ita pacis & quietis ſecuritas, ſi id ueſtro ſtatuatur conſilio quod communioni noſtræ diſſenſionem non afferat, ut nos quoꝫ accepta noſtrorum ſerie ſtatutorum, cum id geſtum eſſe cognouerimus quod eccleſia Romana haud dubie comprobauerit,læti fructum huiuſmodi examinis adipiſcamur.

Diui Ambroſii ad Theophilum & Anyſium, excuſantis ſe de iudicio ferendo inter Bonoſum epiſcopum & accuſatores eius, illiſcꝫ cauſſam committentis. Eoſdem præterea collaudantis, meritò abhorruiſſe blaſphemiam quorundam qui inuiolatam uirginem Mariam plures peperiſſe filios mentiuntur.

Epiſt. LXXIX

Mbroſius Theophilo & Anyſio. Accepi literas ueſtras quibus uel pro ueri-
A tate,uel pro modeſtia noſtram ſententiam ſciſcitari uoluiſtis. Sed cum huiuſmodi fuerit concilij Capuenſis iudicium,ut finitimi Bonoſo atqꝫ eius accuſatoribus iudices tribuerẽtur,& præcipue Macedones qui cum epiſcopo Theſſalonicen-
1 ſi de eius factis uel cognoſcerent, aduertimus quod nobis iudicandi forma competere non poſſet. Nam ſi integra eſſet hodie ſynodus, recte de ijs quæ comprehendit ueſtrorum ſcriptorum ſeries, decerneremus. Veſtrum eſt igitur qui hoc recepiſtis iudiciũ,ſententiam ferre de omnibus,nec refugiendi, uel elabendi, uel accuſatoribus uel accuſato copiam dare. Vicem enim ſynodi recepiſtis,quos ad examinandum ſynodus elegit. Denicꝫ cum Bonoſus epiſcopus poſt iudicium ueſtrum miſiſſet ad fratrem noſtrum Ambroſium qui eius ſententiam cõſuleret,interdictam ſibi eccleſiam irrumpere atqꝫ ingredi,reſponſum eſt ei quod nihil temerandum foret, ſed omnia modeſte patienter ordine
2 gerenda, neqꝫ contra ſententiam ueſtram tentandum aliquid, ut quod uideretur uobis iuſtitiæ conuenire, ſtatueretis, quibus hanc ſynodus dederat authoritatem. Ideo primum eſt ut ij iudicent quibus iudicãdi facultas eſt data. Vos enim totius (ut ſcripſimus) ſynodi uice decernitis,nos quaſi ex ſynodi authoritate iudicare non cõuenit. Sane non poſſumus negare de Mariæ filijs iure reprehẽſum, meritoqꝫ ueſtram ſanctitatem abhorruiſſe,quod ex eodem utero uirginali ex quo ſecũdum carnem Chriſtus natus eſt, alius partus effuſus ſit. Neqꝫ enim elegiſſet dominus Ieſus,naſci per uirginem, ſi eam iudicaſſet tam incontinentem fore,ut illud genitale dominici corporis,illam aulam regis æterni concubitus humani ſemine coinquinaret. Qui enim hoc aſtruit,nihil aliud niſi perfidiam Iudęorum aſtruit,qui dicunt eum non potuiſſe naſci ex uirgine. Nam ſi hanc accipiant à ſacerdotibus authoritatẽ,& uideatur Maria partus fudiſſe plurimos,maiore ſtudio ueritatem fidei expugnare contendẽt. Et ubi eſt illud quod ſcriptum eſt,dicente do-
Ioan. 19 mino ad matrem de Ioanne Euangeliſta:Mulier ecce filius tuus, & rurſus ad Ioãnem de Maria:Ecce mater tua? Quid ſibi iſtud uult quod cum in cruce dominus poſitus peccatum mundi tolleret, pronunciauit etiam de integritate materna? Aut quid aliud dicitur niſi ut claudat ſua ora perfidia,obmuteſcat, ne matrem domini aliquo audeat temerare conuitio?

conuitio? Testis est ergo idem arbiter, idem materni pudoris assertor quod desponsata fuerit uiro tantummodo Ioseph, nulla tamen coniugalis coitus consuetudine thori iura cognouerit. Neq; enim eam suscepturam ex Ioseph filios, à uiri cõsortio separare uoluisset. Sed si hoc parum est, addidit testimonium Euangelista dicens, quod susceperit eam discipulus in sua. Nunquid ergo diuortium fecit? nunquid à uiro abduxit atq; abstulit? Ergo qui hoc legit in Euangelio, quomodo quasi naufragus titubat & fluctuat? Hoc ergo testamentum filij est de matris integritate, hæc Mariæ locuples integri pudoris hæreditas, hic totius finis consummationis. Denicq; hoc dixit, & emisit spiritum, consummans omne mysteriũ bono fine pietatis. Legimus etiã & omnia percurrimus uel de eo quod fratri nostro, & coepiscopo Basso in consortium regendæ ecclesiæ datus est Senecio, uel de cæteris, unde uestræ normam expectamus sententiæ.

Syricij papæ ad Mediolanensem ecclesiam, narrantis quid actum sit contra hæreticos qui sub uelamento pij nominis serpentino sermone catholicam ueritatem corrumpere, ac fideles Christianos sauciare molíti sunt, admonentisq;, ut ab illis se custodiat. Epist. LXXX

Yricius Mediolanensi ecclesiæ. Optarem semper fratres charissimi dilectionis & pacis uestræ syncerítatis gaudia nunciari, ita ut uicissim discurrentibus literis sospitatis indicio iuuaremur uestro, quia non patitur nos quietos ab incursione sua uacare hostis antiquus, ab initio mendax, inimicus ueritatis, æmulus hominis, quem ut deciperet, se antè decepit. Pudicitiæ aduersarius, luxuriæ magister, erudelitatibus pascitur, abstinentia puniẽdus odit ieiunia, ministris suis prædicãtibus dum dicit esse superflua, spem non habens de futuris, Apostoli sententia repercussus dicentis: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. O infelix audacia, ô desperatæ mentis astutia. Tam incognitus sermo hæreticorum intra ecclesias cancri more serpebat, ut occupãs pectus, totum hominẽ præcipitaret in mortẽ. Et nisi dominus Sabaoth laqueum quem parauerat dirupisset, scena tanti mali & hypocrisis publicata multorum simpliciũ corda traxerat in ruinam: quia facile ad deteriorẽ partem mens humana traducitur, malens per spatiosa uolare, quàm artæ uiæ iter per laborem trãsire. Qua de re necessarium satis fuit mihi quæ hic gesta sunt, ad uestram conscientiam cognoscenda mandare, ne ignorantia Sacerdotis quíspiam pessimorum ecclesiam irrumpentium sub religioso nomine contagio uiolaret: sicut scriptũ est domino dicente: Multi uenient ad uos in uestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorũ cognoscetis eos. Ii uideliceet qui subtiliter Christianos sese iactant, ut sub uelamento pij nominis gradientes domum orationis ingressi, sermonẽ serpentinę disputationis effundant, ut sagittent in obscuro rectos corde, atq; ueritatem catholicam uertendo ad suæ doctrinæ rabiem diabolico more traducant, atq; ouium simplicitatẽ defraudent. Et quidẽ multarum hæresium malignitatem ab Apostolis nunc usq; didicimus, & experti abrogauimus: sed nũquam tales canes Ecclesiæ mysteriũ latratibus fatigauerunt, quales nunc subito hostes fidei erumpentes doctrina perfidiæ polluta, cuius sint discipuli, uerborum fructibus prodiderunt. Nam cum alij hæretici singula sibi genera quęstionũ male intelligendo proposuerint conuellere atq; concerpere de diuinis institutionibus: isti non habentes uestem nuptialem, sauciantes catholicos, Noui & Veteris testamẽti (ut dixi) continentiam peruertentes, illecebroso atq; ficto sermone aliquot Christianos cœperũt iam uastare, atq; suæ dementiæ sociare, intra se continentes nequitiæ suæ uirus. Verũ illecti blasphemias suas conscriptione temeraria publice prodiderunt, & desperatæ mentis furore concíti passim in fauorem gentilium publice à fidelibus Christianis uiris genere optimis, religione pręclaris, ad meam humilitatẽ subito scriptura honorifica uidẽtur esse delati, ut sacerdo tali indicio detecta diuinæ legi contraria spirituali sententia deleãtur. Nos sane nuptias non aspernanter accipimus quibus uelamine interfuimus, sed uirginũ nuptias deo deuotas maiore honorificentia ueneramur. Facto igitur presbyterio cõstitit doctrinæ nostręid est, Christianæ legi esse contraria. Vnde Apostoli secuti pręceptum, quia aliter quàm quod accepimus annunciabant, omnium nostrum tam presbyterorum & diaconorum quàm totius etiam cleri una fuscitata fuit sententia, ut Iouinianus, Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Prontinus, Martianus, Ianuarius & Ingeniosus, qui incẽtores nouæ

hæresis

Matth. 7

1

Psalm. 10

Matth. 22

1

2

3

4

hæresis & blasphemiæ inuenti sunt, diuina sententia & nostro iudicio in perpetuũ damnati extra ecclesiam remanerent. Quod custodituram sanctitatem uestram non ambigens, hæc scripta direxi per fratres & presbyteros meos Crescẽtem, Leopardum, & Alexandrum, qui religiosi officium fidei possint spiritu adimplere feruentes.

Diui Ambrosii, Bassiani, & cæterorum, ad Syricium Papam, pastoralem illius solicitudinem circa ouile Christi custodiẽdum, & lupos arcendos commendantium, uirginitatemq; contra istorum dementiam coniugio præferentium, Immaculatam præterea Christi genitricem Mariam, ratione, testimonijs, figuris & exemplis astruentiũ in partu uirginẽ permãsisse. Epist. LXXXI

Omino dilectissimo fratri Syricio Papæ Ambrosius Episcopus, Bassianus
D Episcopus, & cæteri. Recognouimus literis sanctitatis tuæ boni pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi ianuam serues, & pia solicitudine Christi ouile custodias, dignus quem oues domini audiant & sequantur: & ideo quia nosti ouiculas Christi, lupos facile deprehendes, & occurres quasi prouidus pastor, ne isti morsibus perfidiæ suæ feralique ululatu dominicum ouile dispergant. Laudamus hoc domine frater, nobis dilectissime, & toto concelebramus affectu. Nec miramur si luporum rabie grex domini perhorruit, in quibus Christi uocem non recognouit. Agrestis enim ululatus est nullam uirginitatis gratiam, nullum castitatis ordinem seruare, promiscue omnia uelle confundere, diuersorum gradus abrogare meritorum, & paupertatem quandam cœlestium remunerationum inducere, quasi Christo una sit palma quam tribuit ac non plurimi abundent tituli præmiorum. Simulant se ista donare coniugio Sed quæ potest laus esse coniugij, si nulla uirginitatis est gloria? Neque uero nos
Genes. 2 negamus sanctificatum à Christo esse coniugium diuina uoce dicente: Erunt ambo in carne una & in uno spiritu. Sed prius est quod nati sumus, quàm quod effecti: multoq; præstantius diuini operis mysterium, quàm humanæ fragilitatis remedium. Iure laudatur bona uxor, sed melius pia uirgo præfertur, dicente Apostolo:
1. Corin. 7 Qui iungit uirginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Hæc enim cogitat quæ dei sunt, illa quæ mundi. Illa coniugalibus uinculis colligata est, hæc libera uinculorum: illa sub lege, ista sub gratia. Bonum coniugium, per quod est inuenta posteritas successionis humanæ: sed melior uirginitas, per quam regni cœlestis hæreditas acquisita, & cœlestium meritorum reperta successio. Per mulierem cura successit, per uirginem salus euenit. Denique speciale sibi donum uirginitatis Christus elegit, & integritatis munus exhibuit atque ipse repræsentauit quod elegit in matre. Quanta dementia funestorum latratuum, ut ijdem dicerent Christum ex uirgine non potuisse generari, qui asserunt ex muliere, & ex his humanorum pignorum partubus uirgines permanere. Alijs ergo præstat Christus, quod sibi (ut dicunt) præstare non potuit? Ille uero qui carnem sic suscepit, & sic homo factus est, ut hominem redimeret, atque à morte reuocaret, inu-
Esaiæ. 49 sitato tamen quasi deus itinere uenit in terras, ut quemadmodum dixerat: Ecce facio
Apoc. 21 omnia noua: partu etiam immaculatæ uirginis nasceretur, & sicut scriptum est, ut crederetur nobiscum deus. Sed de uia peruersitatis prodũtur dicere: Virgo concepit, sed non uirgo generauit. Quæ potuit ergo uirgo concipere, potuit uirgo generare: cum semper conceptus præcedat, partus sequatur. Sed si doctrinis non creditur Sacerdotum, cre-
Luc. 1 datur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium: Quia non est impossibile deo omne uerbum. Credatur symbolo Apostolorum quod ecclesia Romana intemeratum semper custodit & seruat. Audiuit Maria uocem angeli, & quæ antè dixerat, Quomodo fiet istud? non de fide generationis interrogãs, respondit postea: Ecce ancilla domini, contingat mihi secundum uerbum tuum. Hæc est uirgo quæ in utero
Esa. 7 concepit, uirgo quæ peperit filium. Sic enim scriptum est: Ecce uirgo in utero accipiet & pariet filium. Nõ enim concepturam tantummodo uirginem, sed & pariturum uirgi-
Ezech. 44 nem dixit. Quę autem est illa porta sanctuarij, illa exterior ad orientẽ, quę manet clausa, & nemo, inquit, pertransibit per eam, nisi solus deus Israel? Nónne est hæc porta Maria, per quam in hunc mundum redemptor intrauit? Hæc porta iustitiæ, sicut ipse dixit: Sine nos implere omnem iustitiam. Hæc porta est beata Maria: de qua scriptum est, quia dominus pertransibit per eam, & erit clausa post partum, quia uirgo concepit & genuit.

Quid

Quid autem incredibile si contra usum originis naturalis peperit Maria & uirgo permanet, quando contra usum naturæ mare uidit & fugit, atq; in fontē suū Iordanis fluenta remearunt? Non ergo excedit fidem quod uirgo peperit, quando legimus quòd petra uomuit aquas, & in montis speciem maris unda solidata est. Non ergo excedit fidem quod homo exiuit de uirgine, quando petra pro fonte flumen scaturiuit, ferrum super aquas natauit, ambulauit homo super aquas. Ergo si hominē unda portauit, non potuit hominē Virgo generare: atq; hominē de quo legimus: Et mittet illis dominus hominē qui saluos faciet eos, & notus erit dominus Ægyptijs? In Veteri itaq; testamēto uirgo Hebræorum per mare duxit exercitum: in Nouo testamento Virgo generis aula cœlestis electa est ad salutem. Quid autē etiā uiduitatis attexamus præconia? cum in Euangelio post Virginis celeberrimum partum Anna uidua subrogetur, quæ uixerat cum uiro suo annis septem à uirginitate sua, & hæc uidua annorum octogintaquatuor, quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens die ac nocte? Et merito habilis uiduitas. Deniq; si Adam sic exegisset ieiunium, non fuisset nudus effectus. Niniuen amor ieiunij liberauit. Et ipse dominus ait: Nō eijcietur, nisi per orationē & ieiuniū. Sed quid plura apud magistrum atq; doctorem? cum iam dignū præmiū retulerunt illi perfidiæ suæ, qui ideoq; huc uenerunt, ne superesset locus in quo nō dominarent, qui uere se Manichæos probauerūt, non credētes quia ex Virgine utiq; uenisset. Quænam hæc est suppar nouorum ludæorum amentia? Si uenisse nō creditur, nec carnem creditur suscepisse, ergo in phantasmate uisus est, in phantasmate crucifixus est. Sed nobis in ueritate crucifixus est, in ueritate redemptor noster. Manichęus est qui abnegat ueritatē, qui carnem Christi negat, & ideo non est illis remissio peccatorū. Sed est impietas Manichęorum, quam & clementissimus execratus est imperator, & omnes qui illos uiderunt, quasi quędam contagia refugerunt, sicut testes sunt fratres & compresbyteri mei Crescens, Leopardus, Alexander, sancto feruentes spiritu, qui eos omnium execratione damnatos, Mediolanensi ex urbe quasi profugos repulerunt. Ita Iouinianum, Auxentium, Geminatorem, Felicem, Protinum, Genialem, Martianum, Ianuariū, & Ingeniosum, quos sanctitas tua damnauit, scias apud nos quoq; secundum iudicium tuum esse damnatos. Incolumem te & florentissimum deus noster tueatur omnipotens, domine dilectissime frater. Item subscriptio. Ego Euentius episcopus saluto sanctitatem tuam in domino, & huic epistolæ subscripsi. Maximus episcopus, Felix episcopus, Bassianus episcopus, Theodolus episcopus, ex iussu domini episcopi Geminiani, ipso præsente Aper presbyter subscripsi. Eustasius episcopus, Constantius episcopus, Eustasius episcopus, & omnes ordines subscripserunt.

Diui Ambrosii ad Vercellensem ecclesiam conquerentis quod ipsa sola adhuc sacerdotem non habeat, illosq; admonentis ut parentum exempla sequantur, ad postulandum sacerdotem. Eorumq; præterea errorem qui nullum dicūt esse abstinentiæ meritum, uel uirginitatis fructum, rationibus, scripturis & exemplis confutantis, uoluptatem quoq; condemnantis, & ieiunium, abstinentiam, temperantiam ac uirginitatem excellenter commendantis. Vercellenses deinceps ad constantiam & alias uirtutes exhortantis. Quodq; maxime in episcopi petitione abesse debeat malignitas. Ac tandem qualis in episcopum eligendus qualésue & ipsi esse debeant, exponentis. Epist. LXXXII

AMbrosius seruus Christi uocatus episcopus, Vercellensi ecclesiæ, & ijs qui inuocant nomen domini nostri Iesu Christi. Gratia uobis à deo patre & unigenito filio eius adimpleatur in spiritu sancto. Conficior dolore, quia ecclesia domini quæ est in uobis, sacerdotem adhuc non habet, ac sola nunc ex omnibus Liguriæ atque Æmiliæ Venetiarumq; uel cæteris finitimis Italię partibus huiusmodi eget officio quod ex ea aliæ sibi ecclesiæ petere solebant, & (quod uerecundius est) mihi inscribitur uestra intentio, quæ affert impedimētum. Nam cum sint in uobis dissensiones, quomodo possumus aliquid aut nos decernere, aut uos eligere, aut quisquā acquiescere, ut inter dissidētes suscipiat hoc munus, quod inter cōuenientes uix sustineatur? Hæc est illa confessoris institutio, hæc iustorum soboles patrum, qui sanctum Eusebiū quem hunquam antè cognouerant, posthabitis ciuibus simul ut uiderunt, & probauerunt: tantumq;

Psalm.113
Num.20
4.Reg.6
Ioan.21
Esa.19
Luc.2
Ionæ.3
Matth.17
1
1
1

tantumq; interfuit ut probaretur, quantum ut uideretur? Merito uir tantus euasit, quem omnis elegit ecclesia, merito creditum quod diuino esset electus iudicio, quem omnes postulauissent. Conuenit igitur ut sequamini exemplum parentũ, præsertim cum à sancto confessore Eusebio institutos, tanto meliores patribus esse oporteat, quãto uos melior doctor instituit atq; erudiuit, modestiæq; uestræ & concordiæ insigne edere, ut con
Matth. 18 gruatis assensu ad postulandum Sacerdotem. Etenim si iuxta dominicam sententiam, quod duobus conuenerit super terram, de omni re quamcũq; petierint, fiet, inquit, à patre meo, qui in cœlis est: Vbi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum: quanto magis ubi plena est in nomine domini cogregatio, ubi uniuersorum postulatio congruit, dubitare uos nequaquam oportet ibi dominum Iesum & uoluntatis authorem, & petitionis arbitrum fore, & ordinationis præsulem, uel largitorem gratiæ. Facite ergo uos dignos uideri quorũ in medio Christus sit. Vbi enim pax,
Ioann. 1 ibi Christus: quia pax Christus. Vbi iustitia, ibi Christus: quia Christus iustitia. Sit in medio uestrum, ut uideatis eum, ne dicatur & uobis: Medius autem uestrum stat, quem uos non uidetis. Non illum uiderunt Iudæi, in quem non crediderunt: nos illum deuotione
Psalm. 18 conspicimus, fide cernimus. Stet igitur in medio uestrum, ut aperiantur uobis cœli qui
Acto. 7 enarrant gloriam dei, ut uoluntatem eius faciatis, & operemini opus eius. Qui uidet Iesum, cœli ei aperiuntur, sicut aperti sunt Stephano dicenti: Ecce uideo cœlos apertos, & Iesum stantem ad dexteram dei. Stabat Iesus quasi aduocatus: stabat quasi solicitus, ut Stephanum athletam suum certantem iuuaret: stabat quasi paratus ut coronaret suum martyrem. Stet igitur & uobis, ut eum non timeatis sedẽtem. Sedens enim iudicat, sicut
Daniel. 7 Daniel dicit: Throni positi sunt, & libri aperti: & antiquus dierum sedit. In octogesimo
Psalm. 81 autem primo Psalmo scriptum est: Deus stetit in congregatione deorum, in medio autem deos dijudicat. Sedens igitur iudicat, stans iudicat, & iudicat imperfectis, inter deos autem dijudicat. Stet uobis ut defensor, ut bonus pastor, ne uos lupi incursent graues. Quò non ociose nostra admonitio deflectit? Audio enim uenisse ad uos Sarmationem & Barbatianum uaniloquos homines, qui dicunt nullũ esse abstinentiæ meritum, nullum frugalitatis, nullam uirginitatis gratiã, pari omnes æstimari precio, delyrare eos qui ieiunijs castigent carnem suam, ut menti subditam faciant. Quod nunquam fecisset, nunquam scripsisset ad instituendum alios Paulus Apostolus, si delyramẽtum putasset,
1. Cor. 9 Gloriatur itaq; dicens: Sed castigo corpus meum, & seruituti redigo, ne alijs prædicans ipse reprobus inueniar. Ergo qui non castigant corpus suum, & uolunt prædicare alijs, ipsi reprobi habentur. An quicquam tam reprobum, quàm quod ad luxuriam, ad corruptelam, ad lasciuiam prouocat, quàm incitamentum libidinis, inlecebra uoluptatis, incontinentiæ fomes, incendiũ cupiditatis? Quæ istos Epicureos noua schola misit? Non philosophorum, ut ipsi aiunt, sed imperitorum, qui uoluptatem prædicent, delicias suadeant, castimoniam nulli usui esse dicant. Fuerunt nobiscum, sed non fuerunt ex nobis.
1. Ioan. 2 Neq; enim pudet dicere quod dicit Euãgelista Ioannes. Sed hic positi ieiunabant, intra monasterium continebantur: nullus erat luxuriæ locus, interdicta ludibrioſę disputationi licentia. Hoc delicati non potuerũt ferre. Abierunt: deinde uolentes redire non sunt recepti. Pleraq; enim audieram, quæ deberent caueri. Monueram, nihil profeceram. Efferuescentes itaq; disseminare alia cœperunt, quibus incentores essent uitiorum omniũ. Miserabiles, perdiderunt utiq; quod ieiunauerunt, perdiderunt quod se aliquo continuerunt tempore. Nunc itaq; diabolico studio inuident aliorum operibus bonis, quorũ ipsi fructu exciderunt. Quę uirgo audiat nullum præmium esse integritatis, & non ingemiscat, (Absit enim ut facile credat) certe ut non studia deponat, & intentionẽ suæ mentis inflectat? Quæ uidua quum conceperit nullum esse fructum uiduitatis, malit seruare fidem coniugij, & in tristibus degere, quàm se credere lætioribus? Quæ coniugij districta uinculo, si audiat quod nullus honos castitatis sit, non possit incuriosa tentari corporis aut mentis facilitate? Et ideo Ecclesia quotidie in lectionibus sacris, in Sacerdotum
1. Corin. 5 tractatibus laudem pudicitiæ, gloriam integritatis personat. Frustra ergo dicit Apostolus: Scripsi uobis in epistola, ne commisceamini fornicarijs. Et ne forte dicant: Non de omnibus mundi nos dicimus fornicarijs, sed dicimus quòd qui fuerit in Christo baptizatus, haberi iam non debeat fornicarius, sed qualiscunq; uita eius accepta sit deo: ideo addi-

addidit Apostolus: Non utiq; fornicarijs huius mũdi. Et infra: Si qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum quidem sumere. Quid enim mihi de ijs qui foris sunt iudicare? Et ad Ephesios: Fornicatio & omnis immunditia & auaritia nec nominetur in uobis, sicut decet sanctos. Et infrà: Hoc enim scitote quòd omnis impudicus, aut immundus aut auarus, quod est idololatria, non habet hæreditatem in regno Christi & dei. De baptizatis utiq; dictum liquet. Ipsi enim accipiunt hæreditatem, qui baptizantur in morte Christi, & consepeliuntur cum Christo, ut cum ipso resurgant. Ideo hæredes dei, cohæredes Christi sunt. Hæredes dei, quia transcribitur in eos dei gratia: cohęredes Christi, quia renouantur in uitam ipsius. Hæredes quoq; Christi, quia datur illis per mortem ipsius tanquam testatoris hæreditas. Isti igitur magis sibi debent attendere qui habent quod possint amittere, quàm qui non habent. Isti maiore egere custodia, isti cauere uitiorum illecebras, erroris incitamenta debent, quæ maximè cibo potuq; oriuntur. Denique sedit populus manducare & bibere, & surrexit ludere. Ipse quoq; Epicurus, quem isti sibi magis sequendum quàm Apostolos putant, assertor uoluptatis, etsi neget inuectricẽ mali esse uoluptatem, non negat tamen ex ea fieri quædam ex quibus generentur mala. Denique nec luxuriosorum uitam reprehensibilem uideri, quæ repletur delectationibus, nisi uel doloris uel mortis quatiatur metu. Atq; hic quàm alienus à uero sit, etiam hinc deprehenditur, quod uoluptatem in homine deo authore creatam asserit principaliter: sicut Philuminaris eius sectator in Epitomis suis disputat, & huius allegat Stoicos esse authores sententiæ. Sed hoc diuina scriptura redarguit, quæ serpentis insidijs atq; illecebris infusam Adæ atq; Euæ uoluptatẽ docet. Siquidem ipse serpens uoluptas sit, & ideo uariæ ac lubricæ & uelut ueneno quodam corruptelarũ infectæ passiones uoluptatis sint. Appetentia igitur uoluptatis constat deceptum Adam excidisse mandato dei, & fructu gratiæ. Quomodo igitur uoluptas ad paradisum reuocare nos potest, quæ sola nos paradiso exuit? Vnde & dominus Iesus uolens nos aduersus diaboli tentamenta fortiores reddere, certaturus ieiunauit, ut sciremus quia aliter illecebras mali non possumus uincere. Denique ipse diabolus primum tentamentorum suorum spiculum de uoluptate intorsit dicens: Si filius dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Vnde ait dominus: Non in pane solo uiuit homo, sed in omni uerbo dei. & noluit facere, cum posset, ut magis lectionis studio quàm uoluptati intendere nos salutari præcepto doceret. Et quia isti ieiunandum negant, qua causa Christus ieiunauerit astruant, nisi ut nobis exemplo esset eius ieiunium? Denique in posterioribus docuit non facilè malũ posse nisi nostro uinci ieiunio, dicens: Hoc genus non ejcitur nisi in oratione & ieiunio. Quid etiam sibi uult scriptura quæ docet ieiunasse Petrum, & ieiunanti atq; oranti de baptizandis Gentibus reuelatum mysterium, nisi ut ostenderet etiam ipsos sanctos cum ieiunant, tunc fieri præstantiores? Denique Moyses cum ieiunaret, Legẽ accepit. Et ideo Petrus cum ieiunaret, edoctus est Noui testamenti gratiam. Daniel quoq; ieiunij merito ora clausit leonum, futurorumq; temporũ uidit negocia. Aut quæ nobis salus esse potest nisi ieiunio eluerimus peccata nostra: cum scriptura dicat: Ieiunium & eleemosyna à peccato liberat? Qui sunt ergo hi præceptores noui qui meritũ excludant ieiunij? Non'ne Gentilium uox ista est dicentium: Manducemus & bibamus? Quos bene irridet Apostolus dicens: Si secundum hominem pugnaui Ephesi ad bestias, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Mãducemus & bibamus: cras enim moriemur. Hoc est: Quid mihi profuit usq; ad mortem cõtentio, nisi ut hominem redimerem meum? Qui frustra redimitur si nulla est spes resurrectionis. Ac per hoc spe omni resurrectionis amissa manducemus & bibamus: ne amittamus fructum præsentium, qui futurorum nullum tenemus. Illorum ergo est cibis & potibus indulgere, qui nihil post mortem suam sperent. Denique Epicurei dicunt, assertores uoluptatis, quia mors nihil ad nos. Quod enim dissoluitur, insensibile est: quod autem insensibile, nihil ad nos. Quo demonstrant, corpore se tantum non mente uiuere: nec animæ fungi, sed carnis solius munere, qui secessione animæ corporisq; dissolui munus suæ uitæ omne existiment, perire merita uirtutum, atq; animæ omnem uigorem, totos se deficere cum corporis sensu, nihil reliquiarum superesse animæ, cum ipsum corpus non statim resoluatur. Prius ergo dissoluitur anima quàm corpus: cum secundum

Ephes. 5

Rom. 8

Ibidem

Exo. 32

Genes. 3

Matth. 4

Ibidem 17

Act. 10

Exo. 34

Daniel. 14

Tobiæ 4. & 12

1. Cor. 15

ſuam opinionem uel carnem & oſſa conſiderare debeant, quæ poſt mortẽ ſuperſunt, ſecundum ueram autem aſſertionem negare non debeant reſurrectionis gratiam. Merito ergo hos redarguens Apoſtolus monet nos ne talibus labamur opinionibus, dicens:

Ibidem Nolite ſeduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala. Sobrij eſtote iuſtè, & nolite peccare. Ignorantiam enim dei quidam habent. Bonum ergo ſobrietas, quia peccatum ebrietas eſt. Quid quod ille ipſe Epicurus defenſor uoluptatis, cuius ideo frequentẽ facimus mentionẽ, ut hos aut Gentilium diſcipulos, & Epicuream probemus ſectã ſequi, aut illum ipſum quẽ ipſi philoſophi à ſuo excludunt conſortio tanquam patronũ luxuriæ, tolerabiliorẽ his eſſe doceamus? Clamat ergo ille (ut Demarchus aſſerit) quia non potationes, neq; comeſſationes, nec filiorũ ſoboles, nec fœminarũ copulæ, nec piſcium copia, aliorumq; huiuſmodi, quę ſplendido uſui parantur cõuiuij, ſuauem uitam faciant, ſed ſobria diſputatio. Deniq; addidit quòd hi copijs cõuiuij moderatè utantur, qui non immoderatè eas quærunt. Succo ſolo & pane uel aqua qui libenter utitur, deſpuit deliciarum epulas, quia multæ ex his generantur moleſtiæ. Etiam alibi dicunt: Non immoderatæ epulæ, nõ potationes, uoluptatis ſuauitatẽ generant, ſed cõtinens uita. Cum igitur illos abdicauerit philoſophia, hos nõ excludit Eccleſia? Siquidem & illi, quod malã cauſſam habent, ſe aſſertionibus ſuis impugnant frequẽter. Nam etſi principalis eorum ſententia ſit quòd nullam ſuauitatẽ uoluptatis putent niſi quæ cibo potuq; percipiatur: tamẽ intelligentes in tam reprehenſibili definitione uerſari ſe ſine ſummo dedecore nõ poſſe, ac deſeri ab omnibus, fuco quodam probabilium diſputationum ea colorare uoluerunt, adeò ut diceret quidam ex ijs: Dum ſtudemus delectationi per epulas & cantus, amiſimus eam quæ per uerbi, quo ſolo ſalui eſſe poſſumus, infunditur perceptionẽ. Non'ne iſti diſpares, diſcolores in hac multiformi diſputatione nobis uidentur? quos adeò ſcriptura condemnat, ut non præterierit eos quos Apoſtolus redarguebat, dicen-

Act.17 te Luca in Actibus apoſtolorũ, qui eum librum hiſtorico ſtylo ſcripſit: Quidam aũt Epicurei & Stoici philoſophi diſputabant cum eo, & quidã dicebant: Quid ſibi uult hic ſeminiuerbius? Alij aũt: Nouorum dæmoniorũ uidetur pronunciator eſſe. Ex hoc tamen numero nõ immunis gratiæ abijt Apoſtolus. Siquidem etiam Dionyſius Ariopagites cum Damari uxore ſua alijſq; multis credidit. Itaq; illi doctiſſimorũ & eloquentium cœtus ſimplici diſputatione uictos ſe eſſe credentiũ exemplo manifeſtarũt. Quid igitur ſibi iſti uolunt qui tentãt eos peruertere quos acquiſiuit Apoſtolus, quos redemit Chriſtus ſanguine ſuo? Quid eſt quod aſſerunt baptizatos intendere nõ debere uirtutũ diſciplinis, nihil illis obeſſe comeſſationes, nihil uoluptatũ affluentiam, inſipientes eſſe eos qui ijs careant: uirgines oportere nubere, filios facere, ſimiliter & uiduas iterare quod ſemel male uirili admixtione expertæ ſint, etiam ſi ſe continere poſſint, errare eas quæ nolint iterare copulam? Quid ergo? Placet ut hominem exuentes, induamus pecudem: & expoliantes Chriſtum, ueſtiamur aut ſuperueſtiamur amictus diaboli? Sed quũ ipſi docto res Gentium ne honeſtatẽ quidem cum uoluptate copulandã putauerint, eo quòd pecudem uiderẽtur cum homine includere: nos & beluinos uſus humano infundemus pectori, & rationabili menti inſcribemus irrationabiles ritus ferarũ? Quanq; multa genera ſint animantiũ, quæ amiſſo pari, concubitui indulgere neſciant, & tanq; ſolitariæ uitæ æuũ exigant: plurima quoq; herbis ueſcantur ſimplicibus, nec alio niſi fonte puro ſitim reſtinguere nouerint: canesq; uideas frequenter interdicto cibo temperare ſolitos, ut ieiuna fame ora ſuſpendant ſi imperetur abſtinentia. Ab hoc igitur reuocantur homines, quod didicerunt per hominem etiam mutæ nõ prẽuaricari beſtiæ? Quid autẽ pulchrius abſtinentia, quæ facit etiam iuuentutis annos ſeneſcere, ut fiat morũ ſenectus? Nanque ut redundantia ciborum ac temulentia etiam maturior ætas caleſcit, ita mitigatur iuuentutis ferocitas epularum parſimonia, irriguoq; fontis. Et ſi exterior ignis aquæ infuſione extinguitur: non mirum ſi etiam interior æſtus corporis fluuiali potu refrigeratur. Cibo enim flamma alitur, ac deficit. Siquidem fœnum, ſtipulam, lignum, oleum, aliaq; huiuſmodi alimenta ignis ſunt, quibus paſcitur: ea ſi detrahas, uel nõ ſuggeras, etiam ignis ſopitur. Similiter ergo uapor corporis cibo alitur aut minuitur: cibo excitatur, cibo ſoluitur. Luxuria igitur mater libidinis eſt. Quid quòd naturæ conueniens temperantia eſt, atq; illi diuinæ legi quæ in ipſo rerũ ortu omnes fontes potui, fructus arborũ eſui dedit?

Vinum

Vinum post diluuium iustus ad tentationē sui reperit. Vtamur ergo temperantiæ naturali cibo, utinamq; possimus. Sed quia non omnes fortes, ideo Apostolus ait: Vino modico utere prōpter frequentes tuas infirmitates. Non ergo propter uoluptatem bibendum est, sed propter infirmitatem. Pro remedio igitur parcius, nō pro delicijs redundantius. Denicq; Helias quē dominus ad uirtutis erudiebat perfectionē, ad caput suum collyridam & uas aquæ reperit, & ideo in uirtute escæ illius quadraginta diebus ieiunauit. Patres nostri quum mare transirent pedibus, aquam non uinū bibebant. Daniel & Hebręi pueri patrio cibo, & aquæ potu: ille furorē leonum repressit, isti ardentem ignem innoxio uidere tactu circa membra sua pasci. Et quid de uiris loquar? Iudith luxurioso Holophernis haudquaq; inflexa conuiuio, solo titulo sobrietatis desperatum lacertis uirilibus reportauit triumphum, patriam obsidione exuit, ducem militiæ suis manibus occidit. Exemplum euidens, quod & illum terribilem populis bellatorem uirum luxuria emolliuit, & hanc fœminam temperantia cibi fortiorē uiris fecit. Non hic in sexu suo uicta est natura, sed in cibo suo uicit. Hester regem superbum suis inclinauit ieiunijs. Anna octoginta quatuor annos in uiduitate sua ieiunijs & obsecrationibus in templo die ac nocte seruiens, Christum agnouit, quem Ioannes abstinentiæ magister & quidam nouus terrarū angelus annunciauit. O stultum Helisæum qui syluestribus glumis & amaris pascebat prophetas, Immemorē scripturarū Esdrā qui memoria scripturas reddidit, Insipientem Paulum, qui gloriatur ieiunijs, si nihil prosunt ieiunia. Sed quomodo non prosunt, quibus uitia purgātur? Quæ si deferas cū humilitate, cū misericordia, ut Esaias spiritu diuino locutus est, ossa tua pinguescēt, & eris sicut hortus ebrius. Pinguescit igitur anima tua, uirtutesq; eius spirituali adipe ieiunij, & fructus tui multiplicant̄ ubertate mentis tuæ, ut sit in te sobria ebrietas, sicut illud est poculū de quo ait propheta: Et poculum tuum inebrians q̄ præclarū est. Sed non illa solum laudabilis quæ parca est ciborum temperantia, sed etiam illa quæ cōcupiscentię. Denicq; scriptū est: Post concupiscentias tuas ne eas, & à uoluptate tua uetare. Si dederis animæ tuæ concupiscentiā, gaudio eris inimicis tuis. Et infrà: Vinū & mulieres apostatare faciunt etiā sapientes. Vnde Paulus etiam in ipsis cōiugijs temperantiā docet. Est enim uelut quidam adulter incōtinens in matrimonio, qui legem apostolicā præuaricatur. Quid aūt loquar quanta sit uirginitatis gloria, quæ meruit à Christo eligi ut esset etiam corporale dei templum, in qua corporaliter (ut legimus) habitauit plenitudo diuinitatis? Virgo genuit mundi salutē, uirgo peperit uitam uniuersorū. Sola ergo nō debet esse uirginitas, quæ omnibus in Christo profuit? Virgo portauit quē mundus iste capere aut sustinere nō potest. Qui cum ex Mariæ nasceretur utero, genitale tamē septum pudoris, & intemerata uirginitatis conseruauit signacula. Itaq; in uirgine Christus reperit quod suū esse uellet. quod sibi omniū dominus assumeret. Per uirū aūt & mulierē caro eiecta de paradiso, per uirginē iuncta est deo. Quid de altera Moysi sorore Maria loquar? quæ fœminei dux agminis pede transmisit pelagi freta? Quo munere autē uenerabilis Thecla etiam leonibus fuit, ut ad pedes prædæ suæ stratę impastæ bestię sacro deferrēt ieiunio, nec procaci oculo uirginē nec ungue uiolarent aspero? quoniā & ipso aspectu uirginitatis uiolatur sanctitas. Denicq; qua reuerētia uirginitatis locutus est sanctus Apostolus: De uirginibus præceptum domini nō habeo, consilium autē do tanq; misericordiam consecutus à domino? Præceptum nō habet, consilium habet. Non enim præcipitur quod supra legem est, sed magis dato suadetur consilio. Nec authoritas præsumitur, sed demonstratur gratia: nec à quocunq; demonstrat̄, sed ab eo qui misericordiam dei meruit. Horum ergo meliora q̄ apostolorum consilia? Apostolus dicit: Consilium do, isti dissuadendum putant, ne qua studeat uirginitati. Cuius quantā laudem breui uersiculo propheta expresserit, uel potius Christus in propheta, debemus cognoscere. Hortus, inquit, clausus soror mea sponsa, hortus clausus, fons signatus. Christus hoc dicit ad Ecclesiam, quā uult esse uirginē sine macula, sine ruga. Bonus hortus uirginitas, quę plurimos boni ferat fructus odoris. Hortus clausus, quia undiq; uallata est muro castitatis. Fons signatus, eò quòd uirginitatis sit fons & origo pudicitiæ, quæ inuiolata custodiat integritatis signacula, in quo fonte imago dei luceat: quia cum munditia corporis cōgruit etiā puritas simplicitatis. Nec potest dubitare quisquā quòd Ecclesia uirgo sit, quā etiam in Corinthijs despondit Apostolus

1. Tim. 5
2
3. Reg. 19
Dan. 1
Iudith 12
Luce 2
Matth. 3
4. Reg. 4
3
1. Esd. 8
2. Cor. 11
Esa. 58
Psal. 22
Eccle. 18
Eccli 19
Coloss. 2
Exo. 15
1. Cor. 7
Ibidem
Cant. 4

Paulus,uirginem castam assignare Christo.In superiore igitur epistola dat consilium,& existimat bonum esse munus uirginitatis, ut nullis instantis seculi turbetur necessitatibus,nulla illuuie coinquinetur,nullis exagitetur procellis:in posteriore sponsor est Christo,quo uirginitatem Ecclesiæ in illius plebis consignare possit integritate. Respondemihi nunc Paule qua ratione propter instantem necessitatem des consilium: quoniam 1.Cor.7 qui sine uxore est:solicitus,inquit,est quæ domini sunt,quomodo placeat deo. Et addidit: Et mulier innupta & uirgo cogitat quæ sunt domini,ut sit sancta corpore & spiritu. Habet igitur murum suum aduersus mundi huius turbines, & ideo septo diuinæ munita protectionis nullis seculi flabris inquietatur.Bonum ergo consilium, quia in consilio utilitas est,in præcepto laqueus. Consilium inuitat uoluntarios,præceptum astringit inuitos.Siqua ergo secuta fuerit consilium,& eam non pœnituerit,acquisiuit utilitatem:si quam uero pœnituerit,non habet quod accusetIbidem Apostolũ. Ipsa enim de infirmitate sua iudicare debuit, & ideo sibi uoluntatis suæ rea est, cuius grauiore quàm ferre posset laqueo se ac nodo ligauit.Itaq; tanquam bonus medicus qui & fortioribus stabilitatẽ uirtutis conseruare cupiat,& infirmis salubritatẽ dare, alijs dat consilium, alijs demonstrat remedium. Qui infirmus est,olera manducet,accipiat uxorem: qui ualidor est, fortiorẽ Rom.14 uirtutis cibum expetat.Meritoq; adiunxit: Nam qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ uoluntatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare uirginem suam, bene facit. Igitur & qui matrimonio iungit uirginem suam, bene facit:& qui non iungit,melius facit. Mulier uincta est legi quãto tempore uir eius uiuit. Quod si dormierit uir eius,libera est:cui uult nubat,tantum in domino.Beatior autem erit si sic permanserit, secundum meum consilium.Puto enim quod & ego spiritum dei habeo.Hoc est consiliũ dei habere,explorare diligenter omnia, & quæ meliora sunt suadere,& quæ tutiora demonstrare. Prouidus ductor multas ostendit uias, ut qua uult unusquisq; quam sibi accõmodam arbitratur incedat,dummodo occurrat quo possit in castris prætendere.Bona uirginitatis uia,sed sublimis & ardua ualidiores requirit.Bona etiam uiduitatis,non tam difficilis ut superior,sed confragosa & aspera cautiores exigit. Bona etiam matrimonij, plana & directa longiore circuitu ad castra sanctorum peruenit. ea plurimos recipit. Sunt ergo uirginitatis præmia, sunt merita uiduitatis,est etiam coniugali pudicitiæ locus.Gradus singularum sunt & incremẽta uirtutum. State igitur in corde uestro, ne quis uos subruat, ne quis possit subuertere. Docuit nos Apostolus Exo.3 quid sit stare, hoc est quod Moysi dictum est: Locus enim in quo stas, terra sancta est. Nemo enim stat nisi qui fide stat,nisi qui fixus stat sui cordis sententia.Alibi quoq; legi- Deut.5 mus: Tu aũt hic sta mecum. Vtrumq; ad Moysen à domino dictum est: Vbi tu stas, terra sancta est: & hic sta mecum.hoc est,mecũ stas,si stes in Ecclesia. Ipse enim locus est sanctus,ipsa terra fœcunda sanctitatis,& opima uirtutum messibus.Sta ergo in Ecclesia,sta ubi tibi apparui,ibi ego tecum sum. Vbi est Ecclesia,ibi firmissima statio tuæ mentis est: ibi fundamentũ animi tui, ubi tibi de rubo apparui. Tu rubus,ego ignis. Ignis in rubo, ego in carne.Propterea ignis,ut tibi luceam,ut tuas spinas & tua peccata consumam, & meam tibi demonstrem gratiam. Stantes ergo in corde uestro lupos fugate ab Ecclesia quærentes prædam tollere.Non sit in uobis desidia, non sit prauum os,lingua amarior. Psal.25 Nolite in concilio uanitatis sedere.Scriptũ est enim: Non sedi in concilio uanitatis.No lite audire detrahentes proximis,ne dum auditis alios,prouocemini ut & ipsi derogetis Ibidem 49 proximis,& dicatur unicuiq; uestrũ:Sedens aduersus fratrem tuũ detrahebas.Sedentes detrahunt,stantes autem dominũ benedicunt,quibus dicitur: Ecce nunc benedicite do Ibid.133 minum omnes serui domini,qui statis in domo domini. Qui sedet (ut de corporeo usu loquar) quasi ocio resoluitur corporis,atq; intentionẽ mentis relaxat. Stat autem speculator prouidus,explorator impiger,peruigil custos,qui prætẽdit in castris.Bellator quoque strenuus ante expectatũ prælium stat in agmine,qui uult aduersarij consilia præue- 1.Cor.10 nire. Qui stat,uideat ne cadat.Qui stat,obtrectare nescit. Ociosorũ etenim fabulæ sunt, Psal.25 quibus obtrectatio seritur,malignitas proditur. Vnde ait propheta:Odio habui cõgregationem malignorũ,& cum impijs non sedebo.Et in trigesimosexto Psalmo,quẽ præceptis referit moralibus,in principio statim posuit:Noli æmulari inter malignãtes,neq; æmulatus fueris facientes iniquitatẽ. Malignitas plus nocet q̃ malitia, quia malignitas

nec

nec puram ſimplicitatẽ habet, nec apertam malitiam, ſed abſconditam maleuolentiam. Difficilius autem cauentur occulta, quàm quæ ſunt cognita. Vnde & Saluator noſter à ſpiritibus malignis cauendum admonet, quod nos blandarũ ſpecie uoluptatũ capiant, cæterarumq; rerum ſimulatione, cum ad ambitionẽ, honorem, auaritiam, diuitias, ad ſuperbiam potentiæ lenocinia prætendunt. Itaq; cum in omni actu, tum maximè in epiſcopi petitione abeſſe debet malignitas, in quo uita formatur omnium, ut placido & pacifico iudicio præferatur uir omnibus, qui eligatur ex omnibus, & qui medeatur omnibus. Etenim manſuetus homo, cordis medicus eſt. Huius ſe medicum etiam dominus in Euangelio locutus eſt dicens: Non opus eſt ſanis medico, ſed ijs qui male habent. Bonus *Matth. 9* medicus, qui infirmitates noſtras ſuſcepit, ſanauit ægritudines: & tamẽ iſte (ſicut eſt ſcriptum) non ſe honorificauit fieri ſummum ſacerdotem, ſed qui locutus eſt ad eum, pater *Hebr. 5* dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sicut & alibi dicit: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinẽ Melchiſedech. Qui quoniam typus futurus erat ſacerdotũ omnium, ideo carnem ſuſcepit, ut in diebus carnis ſuæ preces & ſupplicationes deo patri cum magna uoce & lachrymis offerret, & ex ijs quæ paſſus eſt, quamuis eſſet filius dei, diſcere uideretur obedientiam, quam nos doceret, ut nobis fieret author ſalutis. Deniq; conſummatis paſſionibus tanq; conſummatus ipſe ſanitatẽ dedit omnibus, peccatũ tulit omnium. Ideo & Aaron ſacerdotem ipſe elegit, ut nõ humana cupiditas in eligendo *Exod. 7* ſacerdote præponderaret, ſed gratia dei: non uoluntaria oblatio, nec propria aſſumptio, ſed cœleſtis uocatio: ut is offerat munera pro peccatis, qui poſſit affici pro peccantibus: quia & ipſe, inquit, geſtat infirmitatem. Non ſibi quis honorem debet ſumere, ſed uocati à deo, ſicut & Aaron, ita & Chriſtus nõ exegit, ſed accepit ſacerdotiũ. Deniq; cum ab Aaron per genus ducta ſucceſſio, generis magis teneret hæredes, quàm iuſtitiæ conſortes, propterea ad typum illius Melchiſedech, quẽ in Veteri teſtamento legimus, uerus Melchiſedech, uerus rex pacis, uerus rex iuſtitiæ uenit. Hoc enim habet nominis interpretatio, ſine patre, ſine matre, ſine generationis enumeratione, neq; initium dierũ, neq; finẽ uitæ habens, quod & ad filium dei refertur, qui matrẽ in illa diuina generatione neſciuit, patrem in hoc uirginis Mariæ partu ignorauit: ex patre ſolo natus ante ſecula, ex uirgine ſola ortus in hoc ſeculo. Initium dierũ habere utiq; nõ potuit, qui erat in principio. Quomodo uitæ finẽ haberet, qui uitæ auctor omnibus eſt? Ipſe principium & finis omniũ. Sed refertur & ad exemplum, ut tanq; ſine patre & ſine matre Sacerdos eſſe debeat, in quo non generis nobilitas, ſed morũ eligatur gratia, & uirtutũ prærogatiua. Sit in eo fides, & morum maturitas, non alterũ ſine altero, ſed utrunq; in uno cum bonis operibus cõueniat & factis. Vnde nos apoſtolus Paulus eorum uult eſſe imitatores, qui per fidem, inquit, & patientiam poſſident repromiſſiones Abrahæ, qui per patientiam *Ibidem 6* promiſſæ ſibi benedictionis meruit accipere & poſſidere gratiam. Imitatores nos ſancti Aaron Dauid propheta debere eſſe admonet, qui eum inter ſanctos domini ad imitandum nobis conſtituit, dicens: Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius, & Samuel inter inuocantes nomẽ eius. Dignus plane uir qui ſequendus proponatur omnibus. Nam cum dira mors propter cõtumaces in plebem ſerperet, mediũ ſe inter uiuentes morientesq; *Num. 16* obiecit, ut mortẽ ſiſteret, ne plures perirent. Vere uir mentis & animi ſacerdotalis, qui ſe pro domini grege quaſi paſtor bonus pio obijceret affectu. Itaq; infregit aculeũ mortis, impetũ tenuit, tranſitum negauit. Pietas meritũ adiuuit, quia pro ipſis ſe obtulit qui reſiſtebant. Diſcant igitur diſſidentes timere domini cõmotionem, ſacerdotes placare. Quid? Dathan & Abiron & Chore non'ne propter diſſenſionẽ hiatus terræ abſorbuit? *Ibidem* Nam cum inſtigaſſent Chore & Dathan & Abiron ducentos quinquaginta uiros aduerſus Moyſen & Aaron, ut ſepararent ſe ab ijs, inſurrexerunt illi dicentes: Satis ſit uobis quod tota ſynagoga ſanctorũ eſt, & in ipſis eſt dominus. Vnde iratus dominus locutus eſt ad omnẽ ſynagogã. Conſiderauit & nouit dominus qui ſunt eius, & ſanctos adduxit ad ſe: & quos non elegit, nõ adduxit ad ſe. Et iuſſit dominus, ut eligerent ſibi arulas, & incenſum ponerent Chore & omnes qui cum eo inſurrexerãt aduerſum Moyſen & Aaron ſacerdotes domini, ut qui electus eſſet à domino, ipſe ſanctus confirmaretur inter leuitas domini. Et dixit Moyſes ad Chore: Audite me filij Leui, Nunquid hoc puſillum eſt uobis quod ſeparauit uos deus à ſynagogis Iſrael? Et infrà: Quæritis ſacerdo-

tio fungi? Sic tu & omnis synagoga tua congregare ad deum? Et Aaron quis est, quia murmuratis de eo? Consideratis igitur quæ offensionis causſæ extiterint, quòd sacerdotio fungi indigni uellent, & propterea dissiderent, quod immurmurarent improbantes in sacerdotis sui electione iudicium dei. Propterea totum populum metus ingens corripuit, pœnæ terror inuoluit uniuersos. Obsecrantibus tamen omnibus ne paucorum insolentia omnes perirent, designantur sceleris rei, & à totius populi corpore ducenti quinquaginta cum auctoribus suis separātur uiri, immugiens terra in medio plebis scindítur, aperitur in profundum sinus, abripiuntur noxij, & ita ab omnibus mundi huius ablegantur elementis, ut nec aerem hausſtu, nec cœlum uisu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro. Cessauit pœna, non cessauit malitia. ex hoc ipso immurmuratio exorta populi, quod per sacerdotes perisſet populus. Qua indignatione dominus perdidisſet omnes, nisi Moysi & Aaron primo precibus inflexus, post etiam obiectu sacerdotis sui Aaron maluisſet ingratos maiore ueniæ pudore donare ijs, quorum
Num. 12 abnuebant gratiam. Ipsa prophetisſa Maria, quæ cum fratribus pede transmiserat freta maris, quia Aethiopisſæ mysterium adhuc nesciens immurmurauerat aduersus fratrem Moysen, lepræ maculis inhorruit, ut uix tanto absoluta esſet contagio, nisi Moysen rogasſet. Quamuis ad typum Synagogæ illa refertur admurmuratio, quæ Aethiopisſæ, id est Ecclesiæ ex Gentibus sacramentum ignorans quotidiano immurmurat conuitio, & inuidet ei plebi cuius fide etiam ipsa exuetur à perfidiæ suæ lepra, secundum quod legi-
Rom. 11 mus quia cæcitas ex parte in Israel contigit, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Et ut aduertamus, quia in sacerdotibus diuina magis quàm hu-
Num. 17 mana operatur gratia, una ex multis quas Moyses per tribus acceperat & reconderat, uirga Aaron floruit, atque ita diuini iudicij munus spectandū in Sacerdote populus aduertit, ac destitit parem sibi humano iudicio uindicare gratiam, qui ante parem sibi prę-rogatiuam competere arbitrabatur. Virga autē illa quid aliud ostendit, nisi quod nunquam sacerdotalis marcescat gratia, & in summa humilitate habeat in suo munere commissæ sibi florem potestatis, uel quia id quoque ad mysterium referatur? Nec ociose prope exitum uitæ Aaron sacerdotis hoc factum putamus. Declarari uidetur populus senior, sacerdotalis longæuæ infidelitatis uetustate carioſus, quod ultimis temporibus imitatione Ecclesiæ reformatus in studia fidei & deuotionis, emortuum iam tot seculis rediuiua gratia florem emittat. Quid autem illud significat, quod post defunctum Aaron nō uniuerso populo, sed soli Moysi qui est in sacerdotibus domini, imperauit deus
Ibidem 29 ut exuuijs Aaron sacerdotis filiū eius induceret Eleazarū, nisi ut cognosceremus quod sacerdos sacerdotem consecrare debeat, & ipse eum induere uestimentis, hoc est uirtutibus sacerdotalibus, ac tunc si nihil ei deesſe indumentorū aduerterit sacerdotalium, & aptè quadrare omnia, sacris eum adhibeat altaribus? Supplicaturus enim pro populo, eligi à domino, probari debet à sacerdotibus, ne quid sit quod in ipso grauiter offendat, cuius officium est pro aliorū offensa interuenire. Neq; enim mediocris uirtus sacerdotalis est, cui cauendum nō solum ne grauioribus flagitijs sit affinis, sed ne minimis quidē:
4 ut sit promptus ad misericordiā, promissum non remordeat, lapsum reuocet, cōpatiatur dolori, mansuetudinē teneat, pietatem diligat, iram repellat uel decoquat, sit quidam lituus plebis excitandæ ad deuotionē, mitificandæ ad tranquillitatem. Vetus dictum est,
5 assuesce unus esſe: ut uita tua quandam picturam exprimat, eandem seruans semper imaginem quam acceperit. Quomodo potest unus esſe, qui nunc iracundia inflammatur, nunc indignatione graui exæstuat, nunc uultu excandescit, nūc pallore immutatur, per momenta uarius & discolor? Sed esto sit naturæ irasci, aut plerumq; causſæ, hominis est tamen temperare iracundiam, non leonino raptari furore. non norit assuescere clamori,
Prouerb. 15 non serere nec acerbare familiare iurgium. Scriptū est enim: Vir iracundus effodit peccatū. Non est unus duplici corde, nō est unus qui se cohibere nescit in iracundia, de quo
Psal. 4 pulchrè Dauid ait: Irascimini, & nolite peccare. Non iram imperat, sed indulget naturæ: quam homo præuertere nō potest, mitigare potest. Ergo etsi irascimur, affectus noster motum recipiat secundum naturā, non peccatū præter naturā. Quis enim ferat si ipse se
1. Tim. 3 gubernare nequeat, qui alios gubernandos receperit? Ideoq; Apostolus formā dedit,
ad Titum 1 quia & episcopum esſe oportet irreprehensibilem. Et alibi ait: Oportet enim episcopū

sine

ſine crimine eſſe, ſicut dei diſpenſatorẽ, non ſuperbum, non iracundum, nõ uinolentum, non percuſſorem, nõ turpis lucri cupidum. Nam quomodo conueniunt ſibi diſpenſantis miſericordia, & cupientis auaritia? Hæc poſui quæ cauenda acceperim. Virtutũ autem magiſter Apoſtolus eſt, qui cum patientia redarguendos doceat cõtradicentes, qui 1.Tim.3
unius uxoris uirum præcipiat eſſe: non quo exortem excludat coniugij, nam hoc ſupra
legem præcepti eſt: ſed ut coniugali caſtimonia ſeruet ablutionis ſuæ gratiam. Neq; ite- 6
rum ut filios in ſacerdotio creare Apoſtolica inuitetur authoritate. Habentem enim dixit filios, non facientem, neq; coniugium iterare. Quod ideo non prætermiſi, quia pleriq; ita argumentantur, unius uxoris uirum dici poſt baptiſmum habitæ, eò quòd baptiſmo uitium ſit ablutum, quo afferebatur impedimentum. Et uitia quidem atq; pecca ta diluuntur omnia, ut ſi quis cõtaminauerit ſuum corpus cum plurimis quas nulla coniugij lege ſociauerit, remittantur ei omnia: ſed coniugia non reſoluuntur ſi quis iteraue-
rit. Culpa enim lauacro non lex ſoluitur. Nulla enim culpa coniugij, ſed lex eſt. Quod legis eſt igitur, non remittitur quaſi culpa, ſed tenetur quaſi lex. Ideo & Apoſtolus legẽ poſuit dicens: Si quis ſine crimine eſt unius uxoris uir. Ergo qui ſine crimine eſt, unius uxoris uir, tenetur ad legem ſacerdotij ſuſcipiendi: qui autem iterauerit coniugium, cul
pam quidem non habet coinquinati, ſed prærogatiua exuitur ſacerdotis. Diximus quid
legis eſt, dicamus etiam quid rationis. Sed prius cognoſcamus non ſolum hoc Apoſto- ad Titum 1
lum de epiſcopo & presbytero ſtatuiſſe, ſed etiam patres in cõcilio Niceni tractatus addidiſſe, neq; clericum quemquam debere eſſe qui ſecunda cõiugia ſortitus ſit. Quomodo enim poteſt conſolari uiduam, honorare, cohortari ad cuſtodiendam uiduitatem, ſer
uandam marito fidem, qui ipſe priori coniugio non reſeruauerit? Aut quid intereſſet
inter populum & ſacerdotem ſi ijſdem aſtringerentur legibus? Debet præponderare ui
ta ſacerdotis, ſicut præponderat gratia. Nam qui alios præceptis ſuis ligat, debet ipſe legitima præcepta in ſe cuſtodire. Quàm reſiſtebam ne ordinarer? poſtremo cum cogerer, ſaltem ordinatio protelaretur, Sed non ualuit præſcriptio, præualuit impreſſio. Tamen ordinationẽ meam occidentales epiſcopi iudicio, orientales etiam exemplo probarunt. Et tamen neophytus prohibetur ordinari, ne extollatur ſuperbia, Si dilatio ordinationi defuit, uis cogentis eſt: ſi non deeſt humilitas competens ſacerdotio: ubi cau
ſa non hæret, uitium non imputatur. Quod ſi in alijs eccleſiis tanta ſuppetit ordinandi ſacerdotis conſideratio, quanta cura expetitur in Vercellenſi eccleſia, ubi duo pariter exigi uidentur ab epiſcopo, monaſterij continentia, & diſciplina Eccleſiæ? Hæc enim primus in occidentis partibus diuerſa inter ſe Euſebius ſanctæ memoriæ coniunxit, ut & in ciuitate poſitus inſtituta monachorum teneret, & Eccleſiam regeret ieiunij ſobrietate. Multum enim adiumenti accedit ad Sacerdotis gratiam, ſi ad ſtudium abſtinentiæ, & normam integritatis iuuentutem aſtringat, & uerſantes intra urbem abdicet uſu urbis & conuerſatione. Hinc illi proceſſerunt uiri, Helias, Heliſæus, Ioannes, qui pelliceis tunicis & caprinis exuuijs induti, inopes atq; egentes, anguſtijs & doloribus afflicti, in ſolitudinibus errabant, inter alta & condenſa montium, inuia rupium, ſpelunca- Hebr. 11
rum horrida, fouearum uadoſa, quorum conuerſatione dignus orbis terrarum non erat. Hinc illi Daniel, Ananias, Azarias, Miſael, qui in aula regia paſcebantur, ieiunio alebantur tanquam in deſertis cibo aſpero, potuq; obuio. Meritoq; regij ſeruuli regi prę-
ualuerunt, & captiuitatem decuſſo iugo contempſerunt, poteſtates ſubegerũt, elementa uicerunt, naturam ignis extinxerunt, euitauerunt flammas, obtuderunt aciem gladij, ſtrinxerunt leonum ora: & ubi infirmiores exiſtimabantur, ibi fortiores reperiebantur. non refugiebant ludibria humana, qui cœleſtia ſperabant præmia. non horrebant tenebras carceris, quibus æterni luminis gratia refulgebat. Hos ſecutus Euſebius ſanctus exiuit de terra ſua, & de cognatione ſua, & domeſtico ocio peregrinationem prætulit. Pro fide quoq; exilij dura præoptauit atq; elegit, coniuncto ſibi ſanctæ memoriæ Dionyſio, qui poſthabuit imperatoris amicitiam exilio uoluntario. Itaq; memorabiles uiri circũdati armis, uallati exercitu, cum raperẽtur de eccleſia, maiore triumphabant de imperio, quia cõtumelia terreſtri mercabãtur mẽtis fortitudinẽ, regni potentiã quibus militaris armorũ ſtrepitus extorquere nõ potuit fidẽ: ſubegerũt beſtialis animi feritatẽ, quę
nocere ſanctis nequiuit. Ira enim regis, ira leonis ut in prouerbijs habes. Cõfeſſus eſt ui- Prouerb. 19

ctum se esse, qui rogabat ut mutarent sententiam. Sed illi ualidiorem calamũ suum ferreis gladijs arbitrabantur. Denicp uulnerata est perfidia ut occideret, non est uulnerata sanctorum fides: non desiderarunt patrium sepulchrũ, quibus reseruabatur cœleste do-
2. Cor. 6 micilium. Errauerunt toto orbe, ut nihil habentes, & possidentes omnia. Quocunque missi essent, locus deliciarum putabatur. Necp enim illis quicquam deerat, quibus fides locuples abundabat. Denicp locupletabant alios, ipsi inopes ad sumptum, opimi ad gratiam: tentabantur, sed non mortificabantur, in ieiunijs, in laboribus, in custodijs, in uigilijs. Euaserunt de infirmitate fortes, nõ expectabant deliciarum illecebras quos saginabat fames, non adurebat eos torrida æstas, quos refrigerabat æternæ spes gloriæ. Non frangebant glacialis plagæ frigida, quibus feruenti spiritu uernabat deuotio: Non uerebantur uincula hominum, quos Iesus soluerat: Non desiderabant redimi à morte, qui præsumebant à Christo resuscitari. Denicp sanctus Dionysius exegit uotis ut in exilio ui tam poneret, ne regressus confusa institutis & usu infidelium studia plebis aut cleri inueniret. Meruitcp hanc gratiam, ut pacem domini tranquillo affectu secum referret. Itaque ut Eusebius sanctus prior leuauit uexillum confessionis, ita beatus Dionysius in exilij prioribus locis æquali martyribus titulo uitam exhalauit. Hæc igitur patientia in sancto Eusebio monasterij coaluit usu, & durioris obseruationis consuetudine hausit laborum tolerantiam. Nancp hæc duo in attentiore Christianorum deuotione præstantiora esse quis ambigat, clericorum officia, & monachorum instituta? Ista ad comitatem & moralitatem disciplina, illa ad abstinentiam assuefacta atcp patientiam. Hæc uelut in quodam
1. Cor. 4 theatro, illa in secreto. Spectatur ista, illa absconditur. Ideo bonus athleta ait: Spectaculum facti sumus mundo. Dignus sanè qui spectaretur ab angelis, cum luctaretur: ut ad Christi brauium perueniret, cum certaret ut in terris uitam angelorum instituerent, in cœlo nequitiam angelorum refelleret. Colluctabatur enim nequitijs spiritualibus. Merito mundus eum spectabat, ut mundus imitaretur. Hæc ergo uita in stadio, illa in spelunca. Hæc aduersum confusionem seculi, illa aduersus carnis appetentiam. Hæc subijciẽs, illa refugiens corporis uoluptates. Hæc gratior: illa tutior. Hæc se ipsam regens, illa semetipsam coercens. Vtracp tamen se abnegans, ut fiat Christi: quia perfectis dictum est:
Matth. 16 Qui uult post me uenire, abneget seipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me.
Gal. 2 Sequitur ergo Christum qui potest dicere: Viuo autem iam non ego, uiuit uerò in me Christus. Negabat se Paulus, cum sciens, quia uincula & tribulationes eum manerẽt, in
Act. 20 Hierusalem uoluntarius se offerret periculis dicens: Nec facio animam meam charioremmihi, dummodo consummem cursum meum, & ministerium uerbi quod accepi à domino Iesu. Denicp circunstantibus plurimis plorantibus & obsecrantibus, non flexit animum. ita fides prompta dura sui censor est. Hæc ergo dimicat, illa se remouet. Hæc illecebras uincit, illa refugit. Huic mundus triumphatur, illi exultat. Huic mundus crucifigitur, uel ipsa mundo, illi ignoratur. Huic plura tentamenta, & ideo maior uictoria: illi infrequentior lapsus, facilior custodia. Denicp ipse Helias, ut confirmaretur uerbũ oris
3. Reg. 17. & 19 eius, missus est à domino, ut se ad torrentem absconderet Chorath. Minabatur Achab, minabatur Iezabel, timuit Helias, & exurrexit, & in uirtute escę intelligibilis quadraginta diebus ambulauit, & quadraginta noctibus usq; ad montem Oreb, & introiuit in speluncam, & requieuit ibi, & sic postea missus est ut ungeret reges. Duratus igitur ad patientiam est solitudinis incolatu, & tanquam pastus ad uirtutis adipalem agresti alimento processit fortior. Ioannes quoq; in deserto adoleuit, & constantiã illic prius exercuit,
Lucæ 3 ut postea regem increparet. Et quia de sancti Heliæ habitatione deserti, nomina locorum non ociosa quasi feriati præteriuimus, quid significent repetendum uidetur. Missus est Helias ad torrentem Chorath, ibi eum corui alebant, mane panem afferebant, ad uesperam carnes. Non immerito mane panis afferebatur, qui confirmat cor hominis. Quo enim cibo nisi mystico aleretur propheta? Ad uesperam caro ministrabatur. Intellige quæ legis, quia Chorath intellectus est, Oreb omne cor, uel quasi cor dicitur, Bersabe quoq; puteus septimi, aut iuramẽti Latina interpretatio est. Primum Helias in Bersabe est, concessit ad sanctæ legis mysteria, diuinicp iuris sacramenta. Postea ad torrentem mittitur, ad illum fluminis impetum qui lætificat ciuitatem dei. Vtrumcp aduertis unius authoris testamentum. uetus scriptura quasi puteus profunda atcp obscurior:

unde

unde cum labore haurias, non plenam, quia adhuc qui impleret eam, non uenerat. Denique postea ait: Non ueni legem soluere, sed implere. Ideo ad fluuium transire sanctus a Christo iubetur, quoniam qui de Nouo testamento biberit, non solùm flumen est, sed etiam flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ, flumina intellectus, flumina cognitionis, flumina spiritualia, quæ tamen perfidiæ aruerunt tempore, ne sacrilegi biberent, potarent perfidi. Ibi prophetam domini agnoscebant corui, quem non agnoscebant Iudęi. Pascebant corui, quem genus regale illud & nobile persequebatur. Quæ est Iezabel quæ persequebatur, nisi Synagoga, uane fluens, uane abundans scripturis, quas nec cu stodit, neque intelligit? Qui corui pascebant, nisi quorum pulli eum inuocant, qui iumentis dat escam, ut legimus, pullis coruorum inuocantibus eum? Sciebant illi corui quem pascerent, qui iuxta intellectum erant, & ad illum cognitionis sacræ fluuium escam uehebant. Pascit prophetam, qui intelligit, qui custodit quæ scripta sunt. Dat ei succum fides nostra, dat ei alimentum noster profectus: Ille sensu nostro pascitur, in nostro sermo eius intellectu epulatur. Damus ei mane panem qui in lumine Euangelij positi conferimus ei nostri fundamenta cordis. His alitur, his uiget, his ieiuna diu replet ora, quibus Iudæorum perfidia nullum fidei cibum subministrat. Ieiunus est illis omnis sermo propheticus, cuius adipem interiorem non uident, exesus & tenuis, qui impinguare eorum fauces non potest. Fortasse ideo deferebant ad uesperam carnes, quasi fortiores cibos, quos infirmi ingenio Corinthij non poterant sumere, & ideo lacte potabantur Apostolico. Esca ergo fortior ad uesperam mundi huius deferebatur mane panis. Et ideo quia dominus hanc ministrari mandauit alimoniam, bene illud propheticum dici ei hoc loco conuenit: Exitu matutino & uespere delectabis. Et infrà: Parasti cibum illorum, quia ita est præparatio eius. Sed satis de magistro dictum puto, nunc discipulorum uitam persequamur: quia in illam se laudem induerunt, hymnis dies ac noctes personant. Hæc nempe angelorum militia est, semper esse in dei laudibus, orationibus conciliare crebris, atq; exorare dominum studeant, lectione uel operibus continuis mentem occupant, separati à cœtu mulierum, sibijpsi inuicem tutam præbent custodiam. Qualis hæc uita, in qua nihil sit quod timeas, & quod imiteris, plurimum adest: ieiunij labor compensatur mentis placiditate, leuatur usu, sustentatur ocio, aut fallitur negocio, non oneratur mundi solicitudine, non occupatur alienis molestijs, non urgetur urbanis discursibus. Huic uel seruando uel edocendo muneri, aduertitis qualis adhibendus magister sit, quem reperire possumus si uestra unanimitas aspiret, si uos donetis inuicem uobis, si quis ab altero se læsum non putat. Non enim hæc sola est forma iustitiæ, ut non lædas eum qui te non læserit, sed etiam illa, ut etiam ei remittas qui te læserit. Lædimur plerumq; fraude alterius, dolo proximi. Nunquid hoc uirtutis putamus, ut dolum dolo ulciscamur, fraudem referamus fraudibus? Etenim si iustitia uirtus est, crimine debet uacare, nec improbitatem improbitate refellere. Quæ enim uirtus, hoc à te fieri, quod in altero ipse punias? Contagio ista improbitatis, non ultio est. Nihil autem interest cui malefacias, utrum iusto, an iniusto, cum te malefacere non oporteat. Neque distat quomodo malignus sis, utrum iusto uindicandi studio, an uoto nocendi, cum malignitas in utroque genere non careat reprehensione. Nam malignũ esse, ab iniusto nihil distat: ideoq; dictum est: Noli malignus esse inter malignantes, neque æmulatus fueris facientes iniquitatem. Et suprà idem: Odio habui congregationem malignantium. Omnes utique complexus est, nullum excepit: malignitatem tenuit, non causam interrogauit. Quæ autem melior forma quàm iustitiæ diuinæ? Dicit enim Dei filius: Diligite inimicos uestros. Et iterum dicit: Orate pro persequentibus & calumniantibus uos. Eousque perfectis studium adimit ultionis, ut lædentium charitatem imperet. Et quoniam in ueteri scriptura dixit: Mihi uindicta, ego retribuam, in Euangelio ait orandum pro ijs qui læserint, ne in eos uindicet, qui uindicandum promisit. Vult enim ex tua dimittere uoluntate, in quo ex sua conuenitur promissione. Quod si uindictam requiris, habes quia iniustus amplius suis punitur opinionibus quàm iudiciarijs seueritatibus. Et quoniam nemo potest esse sine aliquibus aduersis, id agamus, ne nobis nostro iudicio aduersa accidant. Nemo enim grauius alieno cõdemnari potest iudicio, quàm insipiens suo, qui sibi est auctor malorum.

Psal. 146 — *1. Cor. 3* — *Psal. 64* — *Matth. 5* — *Ioan. 7* — *Ibidem 36* — *Ibidem 25* — *Matth. 5* — *Deut. 32* — *Hebr. 10* — *Matth. 5*

Vnde

Vnde moleſta & plena cõtentionis declinemus negocia, quæ neq; fructum habent, & impedimentũ afferunt. Quanquam id agere debemus, ne nos arbitrij noſtri pœniteat, aut facti. Prudentis eſt enim proſpicere ne frequenter eum pœniteat ſui. Nunq; autem pœnitere, ſolius eſt dei. Quis uerò iuſtitiæ fructus, niſi mentis tranquillitas? Aut quid eſt iuſtè uiuere, niſi cum tranquillitate uiuere? Qualis forma fuerit domini, talis totius domus eſt ſtatus. Quod ſi domi quærũtur iſta, quanto magis in eccleſia, ubi & diues & pauper, ſeruus & liber, Græcus & Scytha, honoratus & plebeius omnes in Chriſto unũ ſumus? Coloſſ. 3 Nemo præſumat, quia diues eſt, plus ſibi deferendum. Ille eſt diues in eccleſia, qui pauperi nõ ſibi diues eſt. In eccleſia quidem fidelis diues eſt. Fideli enim totus mundus Prouerb. 17 diuitiarũ eſt. Quid mirũ ſi mundum fidelis poſſidet, qui poſſidet Chriſti hæreditatẽ, quę iuxta 70 pretioſior eſt mundo? Sanguine pretioſo redempti eſtis: omnibus utiq; nõ ſolis pecu- 1. Pet. 1 nioſis dictũ eſt. Sed uultis diuites eſſe? Sequimini dicentẽ: Sancti in omni cõuerſatione Leuit. 19. & 20 eſtote. Non diuitibus dicit, ſed omnibus, quia ſine diſcrimine perſonarũ iudicat, ut bo- 1. Pet. 1 nus teſtis eius Apoſtolus dicit: Et ideo nõ in remiſſione, nõ in faſtidio, non in exaltatione cordis, ſed in timore, inquit, hoc incolatus ueſtri tempore cõuerſamini. Tempus accepiſtis hac in terra, nõ perpetuitatẽ. quaſi tempore utamini, qui ſciatis uos migraturos. Nolite in diuitijs confidere, quia omnia illa hic relinquũtur: ſola uos comitabitur fides. Erit ſane etiam iuſtitia comes, ſi fides præuia ſit. Quid uos palpãt diuitiæ? Non auro uel Ibidem argento, non poſſeſſionibus, non ſericis ueſtibus de uana ueſtra conuerſatione redempti eſtis, ſed precioſo ſanguine Chriſti Ieſu. Ille ergo diues eſt qui fuerit hæres dei, Chriſti cohæres. Noli pauperẽ contemnere, ille te diuitem facit. Noli egentem faſtidire. Iſte Pſal. 33 pauper clamauit ad dominum, & dominus exaudiuit eum. Noli inopẽ refutare. Et Chri- 2. Cor. 8 ſtus pauper factus eſt, quũ eſſet diues: ſed propter te pauper factus eſt, ut te inopia ſua di- Matth. 10 uitem faceret. Noli quaſi diues te attollere. Sine pecunia miſit Apoſtolos ſuos. Deniq; Act. 3 primus eorũ dixit: Argentum & aurum non habeo. Gloriatur in paupertate, quaſi refugiat contaminationẽ. Argentum, inquit, & aurum non habeo. Aurum & argentũ neſcit ordine, qui neſcit uſu. Argentum & aurũ non habeo, ſed fidem habeo. Satis diues ſum in nomine Ieſu, quod ſuper omne nomen eſt. Argentũ non habeo, ſed nec requiro. Aurum non habeo, ſed nec deſidero, ſed habeo quod uos diuites nõ habetis, habeo quod Eſa. 35 pluris eſſe etiam uos arbitremini. Dono pauperibus, ut in nomine Ieſu dicam: Conuale- Hebr. 12 ſcite manus remiſſæ, & genua diſſoluta. Sed uultis diuites eſſe? eſtote pauperes. Tũc eritis per omnia diuites, ſi fueritis pauperes ſpiritu. Non cenſus diuitem, ſed animus facit. Sunt qui ſe humiliant in multis diuitijs, & rectè ac prudẽter. Satis enim diues omnibus naturæ lex eſt, cui cito inuenias quod abundet. Cupiditatibus autem, omnis diuitiarum abundantia, inopia eſt. Deniq; nemo pauper naſcitur, ſed fit. Non ergo naturæ pauper-tas, ſed opinionis eſt: ideoq; cito inuenitur diues naturę, difficile cupiditati. Etenim quo plus unuſquiſq; acquiſierit, plus ſitit, & quaſi quadam inardeſcit ebrietate cupiditatum ſuarum. Quid quaſi neceſſarium quęritis cumulum diuitiarum? Nihil tam neceſſarium, quàm cognoſcere quid nõ ſit neceſſarium. Quid in carnem retorquetis excuſationem? Non corporis uenter inſatiabilem, ſed mentis auaritia facit. Nunquid caro ſpem futuri abſtulit? Nunquid caro ſpiritualis gratiæ ſuauitatem ademit? Nunquid caro fidem impediuit? Nũquid caro aliquid tanq; furioſis dominis, uanis opinionibus adiudicauit? Plus amat caro moderatam frugalitatẽ, qua exuitur onere, induitur ſalubritate, qua ſolicitudinem deponit, aſſumit tranquillitatem. Sed nec ipſæ diuitiæ uituperabiles. Deniq; re- Prouerb. 13 demptio animæ uiri, diuitiæ eius: quoniam qui pauperi donat, redimit animã ſuam. Eſt ergo & his materialibus diuitijs uirtuti locus. Quaſi gubernatores eſtis in magno mari. Si quis bene gubernat ſuum nauigium, cito tranſit fretum, ut perueniat ad portum. Qui Ibidem 10 autem neſcit regere ſuum cenſum, onere ſuo mergitur. Ideo ſcriptum eſt: Poſſeſſio diuitum, ciuitas firma. Quæ eſt iſta niſi Hieruſalem quæ in cœlo eſt, in qua regnum dei? Pſal. 118 Bona hæc poſſeſſio, quæ fructus perpetuos facit. Bona poſſeſſio, quæ non hic relinquitur, ſed illic poſſidetur. In hac poſſeſſione qui fuerit dicit: Portio mea dominus. Non dicit, portio mea ab illis uſq; ad illos porrecta & diffuſa terminos. Nõ dicit, portio mea inter illos uicinos, niſi forte inter apoſtolos, inter prophetas, inter ſanctos dei. hæc eſt eñ iuſto portio. Non dicit, portio mea in pratis, non in ſyluis, non in campis, niſi forte in

campis

campis ſyluæ, in quibus inuenitur Eccleſia, de qua ſcriptum eſt: Inuenimus eam in campis ſyluæ. Non dicit, portio mea greges equorũ, Mendax enim equus ad ſalutem. Non dicit, portio mea armenta boum, aſini, oues: niſi forte inter illa ſe numerat armenta quæ agnoſcunt poſſeſſorem ſuum, & in illa aſina uult conſortiũ habere quę non refugit prę- ſepe Chriſti. Et illa ouis ſibi portio eſt, quæ ad immolandum ducta eſt, & ille agnus coram tondente ſe ſine uoce qui non aperuit os ſuum, cuius in humilitate iudicium exaltatũ eſt. Bene ait: Corã tondente, qui ſuperflua, non propria in illa depoſuit cruce: qui corpus exuit, nõ diuinitatẽ amiſit. Non quicũq; ergo dicit, Portio mea dominus. Non auarus dicit, quia uenit auaritia, & dicit: Mea portio es, ego te ſubditũ habui, mihi ſeruiſti, mihi te in illo auro uendidiſti, mihi te in illa poſſeſſione adiudicaſti. Nõ dicit luxurioſus portio mea Chriſtus: quia uenit luxuria, & dicit: Mea portio es, ego te in illo mihi manci pauí conuiuio, illis cepi epularũ retibus, ego te addictum teneo gulæ tuæ chirographo. An ignoras quia carius tibi fuit menſæ tuæ & uitæ precium? Tuo te iudicio reuinco, nega ſi potes. ſed negare nõ potes. Deniq; nihil ad uitam reſeruaſti, totum ad menſam expendiſti. Non poteſt dicere adulter, portio mea dominus: quia uenit libido, & dicit: Ego ſum tibi portio, mihi te in illius adoleſcẽtulæ addixiſti amore, in illius nocte meretricis, in meas leges, in mea iura migraſti. Nõ dicit proditor, portio mea Chriſtus: quia ſtatim irruit in eum nequitia mali, & dicit: Fallit te domine Ieſu, meus eſt iſte. Habemus exemplũ, quia cum Iudas panẽ à Chriſto accepiſſet, immiſit ſe in cor eius diabolus, quaſi poſſeſſionẽ ſuam uindicans, quaſi portionis ſuæ ius retinẽs, quaſi dicens: Non eſt tuus iſte, ſed meus: meus certè miniſter, tuus proditor. meus planè iſte eſt: deniq; tecũ recumbit, & mihi ſeruit: tecũ epulatur, & mecum paſcitur. A te panem accepit, à me pecuniã: Tecum bibit, & mihi tuum ſanguinem uendit. Quàm uera diceret, probauit. Deniq; Chriſtus receſſit ab eo, ipſe quoque Iudas reliquit Ieſum, ſequutus diabolum. Quàm multos dominos habet qui unum refugerit. Sed nos nõ refugiamus. Quis refugiat eum quem ſequuntur alligati uinculis, ſed uinculis uoluntarijs, quæ ſoluunt, non alligant, quibus uincti uinculis gloriantur dicentes: Paulus uinctus Ieſu Chriſti, & Timotheus? Glorioſius ab hoc ſtringimur, quàm ab alijs abſoluimur & relaxamur. Quis igitur fugiat pacem? quis fugiat ſalutem? quis fugiat miſericordiam? quis fugiat redemptionem? Videtis filij quales euaſerint qui hæc ſecuti ſunt, quomodo operentur defuncti. Quarum uirtutum laudem miramur, earum ſtudeamus adipiſci induſtriam: & quas prædicamus in alijs, eas in nobis taciti recognoſcamus. Nihil molliculum, nihil infractum ad laudem peruenit. Regnum cœlorum cogitur, & cogentes diripiunt illud. Feſtinantes patres agnum manducabant. Feſtina eſt fides, alacris deuotio, ſpes impigra contradictiones animi non amat: ſed traductionem ab infructuoſo ocio ad fructum laborum. Quid in craſtinum differs? Potes & hodiernum diem lucrari. Cauendum eſt enim ne & illum non teneas, & hunc amittas. Non exiguum detrimentum eſt uel horæ unius. Et una hora, totius uitæ portio eſt. Sunt iuuenes qui cito uolunt ad ſenectutem peruenire, ne ſubiaceant diutius ſeniorum arbitrio: ſunt etiam ſenes qui uelint ſi poſſint ad iuuentutem redire. Quorum ſtudium neutrum probo: quia iuuenes faſtidioſi præſentium, quaſi ingrati, mutationem uiuendi requirunt, ſenes dilationem, cum poſſit & iuuenta ſeneſcere moribus, & ſenectus uirere operibus. Neque enim emendationem morum magis ætas affert quàm diſciplina. Quanto ergo magis nos oportet ſpem attollere ad regnum dei, ubi uitæ nouitas, ubi gratiæ erit non ætatis commutatio? Non ocio, non ſomno merces paratur. Nullum opus dormientis eſt, nullus fructus ocij, imò magis diſpendiũ. Ocioſus Eſau amiſit primatus benedictionem, quia maluit cibum accipere quàm quærere. Laborioſus Iacob apud utrumque parentem inuenit gratiam. Et tamen cum ſuperior eſſet Iacob uirtute & gratia, ceſſit tamen fratris indignationi, qui ſibi prælatum fratrem iuniorẽ dolebat. Ideo ſcriptum eſt: Date locum iræ, ne alterius indignatio te quoquẽ in peccatum trahat, dum uis reſiſtere, dum uis uindicari. Potes & ab illo & à te remouere culpam, ſi cedendum putes. Imitare patriarcham, qui de conſilio matris longin qua petijt. Et cuius matris? Rebeccæ utiq;, hoc eſt patientiæ. Cuius enim niſi patientiæ hoc conſilium eſſe poterat? Amabat mater contra affectũ pij amoris dimitti filium. Maluit enim ſibi eum exulare quàm deo. Et ideo quia bona mater, utriq; detulit, iuniori tamen

Pſal. 131
Ibidem 32
Eſa. 1
Ibidem 53
Ioan. 13
Ad Philem.
Matth. 11
Geneſ. 26
Rom. 12

ri tamen filio benedictionem quam conseruare poterat dedit. Non enim filium filio, sed impigrum ocioso prætulit, fidelem infido. Sed etiam filio ipsi seniori non parum contulit amandando minorem filium, ne parricidium faceret. Itaq; quoniam ob pietatem non propter improbitatem exulabat à parentibus, loquebatur cum deo, augebatur censu, liberis, gratia. Neq; his tamen elatus est cum fratri occurreret, sed humiliatus adorauit, nō utiq; illum immitem, illum furibundum, illum degenerem, sed eum quem in fratre considerabat, ideo q; adorauit septies, numero scilicet remissionis, quia non hominem adorabat, sed deum, quem in carne hominis esse uenturum præuidebat spiritu, ut tolleret peccatum mundi. Quod tibi ex Petri responsione aperitur mysterium, dicente eo: Si peccauerit in me frater meus, quotiens remittam ei? Vsq; septies? Vides quoniam peccatorum, remissio, typus erat illius magni sabbati, illius quietis perpetuæ gratiæ, & ideo contēplatione donatur. Sed quid sibi uult quòd & uxores, & filios, & omnes disposuit suos, & præcepit ut & ipsi adorarent super terram? Non utiq; ut elementum quod plerumq; repletur sanguine, in quo officina est scelerum, aut uastis plerumq; horret cautibus, aut præruptis rupibus, aut sterili & ieiuno solo, sed ut carnem præsidio nobis futurā. Et fortasse hoc illud est mysterium quod te docuit dominus dicens: Non solùm septies, sed & septuagies septies. Et uos igitur donate iniurias uestras, ut sitis filij Iacob. Nolite exasperari sicut Esau. Imitamini sanctum Dauid, qui tanquam bonus magister reliquit nobis quod imitemur, dicens: Pro eo ut dilígerent me, detrahebant mihi, ego autem orabam. & cum maledíceretur, orabat. Bonum scutum oratio, qua contumelia excluditur, maledictum repellitur, & in ipsos qui maledixerunt, frequenter retorquetur, ut suo telo uulnerētur. Maledicent, inquit, & tu benedices. Ambienda hominum maledictio, quæ acquirit dominicam benedictionem. Quod superest charissimi, cōsiderate quia Iesus extra portam passus est, & uos egredimini de hac terrena ciuitate, quia ciuitas uestra superior est Hierusalem: ibi conuersamini, ut dicatis: Nostra autem conuersatio in cœlis est. Ideo Iesus exiuit de ciuitate, ut uos exeuntes de hoc mundo supra mundum sitis. Moyses solus qui deū uidebat, extra castra habebat tabernaculum quando loquebatur cum deo: & hostiarum quæ pro peccato fiebant, sanguis quidem altaribus inferebatur, corpora autem extra castra comburebātur, quia nemo intra mundi huius uitia positus peccatum deponit, nec sanguis eius acceptus est deo, nisi de corporis huius exeat inquinamento. Hospitalitatem diligite, per quam sanctus Abraham inuenit gratiam, Christum hospitio suscepit, filium Sara meruit effœta iam senectute, Loth quoq; Sodomitani excidij euasit ignem. & tu potes suscipere angelos, si aduenientibus hospitium tuum offeras. Quid de Raab dicam quæ hoc munere inuenit salutem? Compatimini ijs qui alligati tenentur uinculis, tanquàm simul allígati. Consolamini in luctu positos. Melius est enim ire in domum luctus, quàm in domum gaudij. Illinc officij meritum boni, hinc uitium lapsus refertur. Postremo illinc mercedem speras, hic recepisti. Sentite de laborantibus tanquàm simul laborantes. Mulier uiro deferat, non seruiat: regendam se præbeat, non coercendam. Indigna est coniugio, quæ digna est iurgio. Vir quoq; uxorem tanq; gubernator dirigat, tanq; consortem uitæ honoret, participet ut cohæredi gratiæ. Matres ablactate filios, diligite eos, & orate pro ijs ut longæui super terram sint: non in terra, sed super terram. Nihil enim longæuum in hac terra, & quod est diu, breue est, & magis lubricum. Monete eos ut magis crucem domini tollant, quàm hanc uitam diligant. Maria mater domini ante crucem filij stabat. Nullus me hoc docuit, nisi sanctus Ioānes euangelista. Mundum alij concussum in passione domini conscripserunt, cœlum tenebris obductum, refugisse solem, in paradisum latronem, sed post piam confessionem, receptum: Ioannes docuit, quod alij non docuerunt, quemadmodum in cruce positus matrem appellauerit, pluris putans quòd uictor supplíciorum pietatis officia matri exhibebat, quam quòd regnum cœleste donabat. Nam si religiosum est quòd latroni donatur uenia, multò uberioris pietatis est, quòd à filio mater tanto affectu honoratur. Ecce, inquit, filius tuus, Ecce mater tua. Testabatur de cruce Christus, & inter matrem atq; discipulum diuidebat pietatis officia. Condebat dominus non solum publicum, sed etiam domesticum testamentum, & hoc eius testamentum signabat Ioannes, dignus tanto testatore testis. Bonum testamentum non pecuniæ, sed uitæ æternæ: quod non atramento

Matth. 18

8

Ibidem

Psal. 108

Ibidem

Hebr. 13

Philip. 3

Eccles 7

Ioan. 19

scriptum

scriptum est,sed spiritu dei uiui, qui ait: Lingua mea calamus scribæ uelociter scribentis. Sed nec Maria minor quàm matrem Christi decebat. Fugientibus apostolis ante crucem stabat,& pijs spectabat oculis filij uulnera,quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem. Aut fortasse quia cognouerat per filij mortem mundi redemptionē aula regalis,etiam sua morte putabat se aliquid publico addituram muneri. Sed Iesus nō egebat adiutore ad redemptionem omnium, qui omnes sine adiutore seruauit. Vnde & dicit: Factus sum sicut homo sine adiutorio,inter mortuos liber. Suscepit quidem affectum parentis,sed nō quæsiuit alterius auxilium. Hanc imitamini matres sanctæ, quæ in unico filio dilectissimo tantum maternæ uirtutis exemplum edidit. Neque enim uos dulciores liberos habetis,neq; illud uirgo quærebat solatium,quòd alium posset generare filiū. Domini seruis imperate non quasi conditione subditis: sed ita ut naturæ eiusdem cuius uos estis, consortes esse uos memineritis. Serui quoq; dominis seruite cum uoluntate. Etenim unusquisq; quod natus est,patienter debet suscipere. Nec solum bonis,sed etiam asperioribus obedite dominis. Nam quæ est uestræ seruitutis gratia, si bonis seruiatis sedulo? Sed si etiam asperos promereamini. Nam liberi quoq; nullam habent mercedem,si peccantes puniantur à iudicibus,sed illa merces est si etiam non peccantes. Et uos ergo contemplatione domini Iesu etiam si difficilibus seruiatis dominis cum patiētia,mercedem habebitis. Siquidem ipse dominus iustus ab iniustis passus est, & patientia mirabili peccata nostra suæ affixit cruci,ut qui illum imitatus fuerit, peccata sua sanguine suo diluat. Ad summam,conuertimini omnes ad dominū Iesum. Sit in uobis uitæ huius delectatio in bona conscientia, patientia mortis cum spe immortalitatis, confirmatio resurrectionis cum Christi gratia,ueritas cum simplicitate, fides cum confidentia,abstinentia cum sanctitate,industria cum sobrietate, conuersatio cum modestia, eruditio sine uanitate,sobrietas doctrinæ fidelis sine hæresis temulentia. Gratia domini Iesu,cum omnibus uobis, Amen. *Psal.44*

Ibidem 87

1.Pet.2

Diui Ambrosii ad episcopos per Aemiliam constitutos, eos de celebritate paschali instruentis. Epistola LXXXIII

Omnis fratribus dilectissimis episcopis per Aemiliam constitutis Ambro
D sius episcopus. Non mediocris esse sapientiæ, diem celebritatis definire paschalis,& scriptura diuina nos instruit,& traditio maiorum: qui conuenientes ad synodum Nicenam,inter illa fidei ut uera,ita admiranda decreta,etiam super celebritate memorata, congregatis peritissimis calculandi, decem & nouem annorum collegere rationem,& quasi quendam constituere circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur. Hunc circulum Enneadecaterida nuncupauerūt, sequentes illud, quod nō debeamus uana quadam opinione super celebritate huiusmodi fluctuare, sed uera ratione comperta ita omnium concurrat affectio,ut una nocte ubiq; sacrificiū pro resurrectione domini deferatur. Domini fratres dilectissimi eò usq; à uero nos deuiare non conuenit, nec uago ingenio discrepare, ut quædam necessitas celebritatis huius omnibus sit imposita Christianis: quandoquidem ipse dominus eum elegit diem quo pascha celebraret,qui cum obseruantiæ ueræ ratione concurrit. Scriptum est enim: Venit autem dies in qua necesse erat pascha immolari,& misit Petrum & Ioannem dicens: Euntes ite parate nobis pascha,ut manducemus. At illi dixerunt: Vbi uis paremus? Et dixit ad illos: Ecce introeuntibus uobis in ciuitatem occurret homo amphoram aquæ portans. sequimini eum in domum in quam intrat,& dicetis patrifamiliâs: Dicit tibi magister, Vbi est diuersorium,ubi pascha cum discipulis manducem? Ipse uobis ostendet in superioribus locum magnum. Ibi parate. Aduertimus igitur quod nō ad terrena descendere,sed in superioribus locum magnū stratum quærere debeamus, ut domini pascha celebremus. Abluere etiam sensus nostros quadam spirituali aqua fontis æterni,& deuotæ celebritatis tenere mensuram,nec opinione uulgari dies quosdam explorare lunares,cum Apostolus dicat: Dies obseruatis,& menses,& tempora,& annos: timeo ne sine caussa laborauerim in uobis. Nam incipit esse contrarium. Sed aliud est obseruare gentilitio more, ut qua luna quid adoriendum sit iudices, utputa quintam esse fugiendam,nihilq; ea inchoandum. Varios quoq; cursus lunæ obeundis negocijs cōmendare,uel cauere quosdam dies, quemadmodū plerisq; pastores dies uel Aegyptiacos declinare *Luc. 22* *Gal.4*

clinare consurerunt. Aliud est enim obseruantiã religiosę mentis intendere in eum diem
Psal. 117 de quo scriptum est: Hic est dies quem fecit dominus. Nam etsi scriptum sit quòd pa-
Exod. 12 scha domini quartodecimo die mensis primi celebrari debeat, & uere quartamdecimã lunam ad celebrandum dominicæ seriem passionis inquirere debeamus: tamen ex hoc possumus intelligere quòd ad huiusmodi solennitatẽ uel Ecclesiæ perfectio, uel clarę fi-
Psal. 88 dei plenitudo quæratur, sicut dixit propheta cũ loqueretur de filio dei: Quia sedes eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternũ manebit. Inde est quod ipse dominus cùm opera in terris miranda fecisset, quasi iam fundata humanarũ mentium fi-
Ioan. 17 de, tempus passionis esse memorauit dicens: Pater uenit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Hanc enim celebrandæ passionis claritudinẽ quæsitam alibi do-
Lucæ 13 cet dicẽs: Ite, dicite illi uulpi: Ecce eijcio dæmonia hodie, & cras sanitates perficio, & sequenti consummor die. His utiq; consummatur Iesus qui incipiunt esse perfecti, ut plenitudinẽ diuinitatis & redemptionis eius fide sua credant. Ergo & diem & horã exqui-
Psal. 118 rimus, ut scriptura nos instruit. Propheta etiam Dauid dicit: Tempus faciendi domine.
Eccles 3 petens accipere sensum ad cognoscenda domini testimonia. Eccleſiastes ait: Omni rei
Hier. 8 tempus. Hieremias clamat: Turtur & hirundo, agri passeres agnouerunt tẽpora introi-
Esa. 1 tus sui. Quid autem euidentius cũ de passione domini dictum uideri: Agnouit bos possessorẽ suum, & asinus præsepe domini sui? Agnoscamus ergo hoc præsepe domini, in quo alimur, pascimur & reficimur. Hoc igitur tempus præcipuè scire debemus, quo per uniuersum orbẽ consona sacræ noctis fundatur oratio, quia & tempore cõmendantur
Ibidem 49 preces, sicut scriptũ est: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Hoc est
2. Cor. 6 tempus de quo Apostolus dixit: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Vnde necesse fuit, quia etiam post Aegyptiorũ supputationes, & Alexandrinæ ecclesię definitionẽ, Episcopi quoq; Romanæ ecclesiæ per literas plericq; meam adhuc expectãt sententiam, quid existimẽ scribere de die paschæ. Nam licet futuri diei paschæ inciderit quæstio, tamen etiam in reliquum quid tenendum uideatur aperimus, siqua quęstio talis incurrerit. Duo autẽ sunt obseruãda in solennitate paschæ, quartadecima luna, & primus mensis, qui dicitur nouorũ. Itaq; ne à Veteri testamẽto uideamur discedere, ipsum
Exo. 12 de paschæ celebrandæ die capitulum recenseamus. Monet Moyses populũ dicẽs custodiendum mensem nouorũ, eum primum esse mensem prædicans. Ait enim: Hic mensis uobis principium mensium, primus in mensibus anni, & facies pascha domino deo tuo
Ioan. 1 quartadecima die mensis primi. Lex nempe per Moysen data est, gratia autẽ & ueritas per Iesum Christum facta est. Ipse ergo qui legem locutus est, postea ueniens per Virgi-
Matth. 5 nem nouissimis tẽporibus plenitudinẽ legis consummauit, quia uenit non legẽ soluere, sed implere, & celebrauit pascha hebdomadæ, in qua fuit quartadecima luna, quinta feria. Denicq; ipsa die (sicut superiora docent) pascha cum discipulis manducauit. Sequẽti aũt die, hoc est sexta feria, crucifixus est, luna quintadecima. Sabbato quoq; magno illo sextadecima fuit. Ac per hoc septimadecima luna resurrexit à mortuis. Vnde hęc lex paschæ nobis seruanda est, ut nõ quartamdecimã obseruemus in die resurrectionis, sed in die magis passionis, aut certe alijs proximis superioribus diebus. Quia resurrectionis celebritas die dominica celebratur, dominica autẽ ieiunare non possumus, quia Manichæos etiam ob istius diei ieiunia iure damnamus. Hoc est enim in resurrectionẽ Christi nõ credere, si legẽ quis ieiunij die resurrectionis indicat, cum Lex dicat pascha edendũ cum amaritudine, hoc est cũ dolore, quod tanto sacrilegio hominũ author salutis sit in-
Psal. 117 teremptus. Die aũt dominica exultandum propheta docet dicens: Hic est dies quẽ fecit dominus, exultemus & lętemur in ea. Ergo nõ solum passionis diem, sed etiam resurrectionis obseruari oportet à nobis, ut habeamus & amaritudinis & lætitiæ diem: illa ieiunemus, ista reficiamur. Vnde si inciderit, sicut futurũ est proxime, quartadecima luna mensis primi die dominica, quia neq; dominica ieiunare debemus, neq; tertiadecima luna die sabbati incidente ieiuniũ soluere, quod maxime die passionis est exhibendum, in altera hebdomada celebritas paschæ est differẽda. Siquidem sequitur quintadecima luna qua passus est Christus, & erit secunda feria: tertia quoq; feria erit sextadecima luna, qua domini caro in sepulchro quieuit, cum quarta etiam feria septimadecima luna futura sit, qua dominus resurrexit. Cum igitur triduum illud sacrum in hebdomadam

pro-

proximè concurrat ultimam, intra quod triduum & passus est, & quieuit, & resurrexit, de quo triduo ait: Soluite hoc templum, & in triduo resuscitabo illud: quid nobis po- Ioan.2
test molestiam dubitationis afferre? Nam si ea res scrupulum mouet, quia quartadecima luna non celebramus ipsum diē uel passionis, uel resurrectionis, ipse dominus nō quartadecima luna passus est, sed quintadecima, & septimadecima resurrexit. Quod si mouet quia quartamdecimam lunam transeuntes, quæ die dominica incidit, hoc est, quartodecimo Kalendas Maij, sequenti dominica instaurandam celebritatem suademus, authoritas extat huiusmodi. Nam tēporibus paulò superioribus cum incidisset quartadecima luna mensis primi in dominicam diem, sequenti altera dominica celebrata solennitas est. Octogesimo autem anno & nonagesimo tertio, ex die imperij Diocletiani, a
cum quartadecima luna esset nono Kalendas Aprilis, nos celebrauimus pascha pridie Kalendas Aprilis. Alexandrini quoq; & Aegyptij, ut ipsi scripserunt, cū incidisset quartadecima luna & uigesimo & octauo die Pharmutij mensis celebrauerunt pascha quinta die Pharmutij mensis, quæ est pridie Kalendas Aprilis, ac sic conuenere nobiscum. Rursus nonagesimo & tertio anno à die imperij Diocletiani, cum incidisset quartadecima luna in quartumdecimū diem Pharmutij mensis, quæ est quinto idus Aprilis, quæ erat dominica die, celebratum est pascha dominica Pharmutij uigesimo & primo die, qui fuit secundum nos quintodecimo Kalendas Maij. Vnde cum & ratio sit & exemplum, nihil super hoc mouere nos debet. Nunc illud est, quod enodandū uidetur, quia plerique putant secundo mense nos celebraturos pascha, cum scriptum sit: Custodi primū Exod. 12
mensem nouorum, quod non potest incidere ut præter mensem nouorum pascha celebrent, nisi qui quartamdecimam ita obseruāt secundum literam, ut non alio nisi ipso celebrent die. Denique in futurum, Iudæi duodecimo, non primo mense celebraturi sunt pascha, hoc est tertio Kalendas Aprilis secundum nos: secundum Aegyptios autem uigesimoquarto die Phamenoth mensis, qui est non primus mensis, sed duodecimus, & incipit sexto Kalendas Aprilis, & finitur septimo Kalendas Maij. Ergo secundum Aegyptios primo mēse celebraturi sumus dominicā paschæ, hoc est septimo Kalendas Maij, qui est dies trigesimus Pharmutij mensis. Nec absurdū arbitror ut inde obseruandi mensis trahamus exemplum, ubi primum pascha celebratum est. Vnde & maiores nostri in tractatu concilij Niceni eum diem endecateride, si quis diligēter intendat, statuendum putarunt, & ipsum mensem nouorū rectè custodierūt, quia in Aegypto hoc primo mense noua secantur frumenta. Hic autem mensis & primus est secundum Aegyptiorū prouentus, & primus secundum legem, & octauus est secundum consuetudinem nostram. Indictio enim Septembri mense incipit. Octauo igitur mense Kalendæ Aprilis sunt. In- 3
cipit autem mensis non secundum uulgarem usum, sed secundum consuetudinem peritorū ab æquinoctio, qui dies est duodecimo Kalendas Aprilis, & finitur undecimo Kalendas Maij. Inde maximè intra hos triginta & unum dies sæpe celebrati paschæ dies. Sed cum ante biennium celebrauerimus paschæ dominicā, undecimo Kalendas Maij, hoc est trigesimo die mensis, secundum nostram scilicet calculationem, moueri nō debemus si & proximè trigesimo die Pharmutij mensis celebraturi sumus paschæ dominicam. Verùm si quis mensem secundū inde existimat, quia post triduum cōpleti mensis qui compleri uidetur undecimo Kalendas Maij, paschæ dominica erit: illud consideret, quia quartadecima luna quę quęritur, quartodecimo Kalendas Maij erit, hoc est intra præscriptū mensis numerum. Lex autem diem passionis exigit intra primum nouorum debere celebrari. Satisfactum est igitur secundum plenitudinem lunæ, cui ad complendum mensem supersunt tres alij dies. Non ergo in alterum mensem recidit, quando intra eundem mensem qui primus est, pascha celebrabitur. Ad literam autē nos teneri nō oportere (licet consuetudo celebrandi pascha ipsa nos instruat) tamen & Apostolus docet, qui ait: Pascha nostrum immolatus est Christus. Sed & proposita lectio do 1.Cor.4
cet literā non consequendam. Sic enim habes: Et facies pascha domino deo tuo quar- Exod.12
todecimo die mensis primi. Diem pro luna dicit. Vnde peritissimi quoq; secundum legem lunari cursu cōputant mensem, & ideo cum à pluribus nonis lunæ cursus incipiat, hoc est, dies primus, uides nonas Maij adhuc ad mensem primum nouorū computari posse. Ergo & iuxta legis sententiam primus hic mensis est. Denique μὴνὰς lunam uocant

Græci, unde μῆνας Græcè dicũt menſes, & naturalis uſus nationũ exterarum lunam pro diebus appellat. Alium autem diem paſſionis, alium reſurrectionis celebrandum, Vete-

Exod. 12 ris quoq; teſtamẽti ſeries oſtendit. Sic enim habes: Agnus ſine macula mundus conſummatus anniculus maſculus erit uobis, ab ouibus & hœdis ſumetis, & erit uobis in obſeruatione uſq; in quartamdecimam menſis huius, & occidetis illum tota multitudo ſynagogę filiorum Iſrael ad ueſperum, & ſument de ſanguine eius, & ponent ſuper duos poſtes, & ſuper limen oſtij domus, in quibus manducabunt eum inter ſemetipſos. manducabunt carnẽ hanc noctu igni aſſam. Et infrà: Et edetis illum cum ſolicitudine paſchæ. Paſcha eſt enim domini, & pertranſibo in terram Aegyptiorum in nocte illa, & percutiam omne primitiuum in Aegypto ab homine uſq; ad pecus, & in omni terra Aegypti faciam uindictam ego dominus. Et erit uobis ſanguis in ſigno in domibus, in quibus eritis ibi, & uidebo ſanguinem, & protegam uos, & non erit in uobis plaga exterminij. Et conteram terram Aegypti, & erit dies hic uobis memorabilis & ſolennis, & diem feſtũ agetis eum domino in progenies ueſtras, legitimum ſempiternum, diem feſtum agetis illum. Aduertimus & paſſionis diem deſcriptum in ieiunio, quia ad ueſperum occidendus eſt agnus, licet ultimum tempus pro ueſpere poſſimus accipere, ſecundum Ioãnem

1. Ioan. 2 qui ait: Pueri, nouiſſima hora eſt. Sed & iuxta myſterium ueſpere diei conſtat occiſum, quando tenebræ ſtatim factæ ſunt. & ieiunium deferendum eo die uerum eſt, quia ita edetis illum cum ſolicitudine. Ieiunantibus enim ſolicitudo adhæret. Reſurrectionis aũt die exultatio refectionis eſt atq; lætitiæ, quo die uidetur exiſſe populus ex Aegypto, primitiuis Aegyptiorum necatis, quod poſteriora euidentius docent, quibus ait ſcriptura:

Exod. 12 Quia poſtquam fecerunt Iudæi paſcha, ſicut præcepit Moyſes, factum eſt circa mediam noctem, & dominus percuſſit omnem primitiuũ in terra Aegypti, à primitiuo Pharaonis. Et uocauit Pharao Moyſen & Aaron nocte, & dixit illis: Surgite & exite de populo meo, & uos & filij Iſrael ite & ſeruite domino deo ueſtro. Et urgebant Aegyptij populum feſtinantes quàm celerrime expellere. Deniq; ſic profecti ſunt Iſraelitæ, ut non occurreret ſibi azyma fermentare. Eiecerunt enim eos Aegyptij, & non potuerunt ſuſtinere, apparatũ ſibi fecerant in uiam. Reſeratum eſt igitur, diem reſurrectionis obſeruandum poſt dies paſſionis, qui dies reſurrectionis non quartadecima luna debet eſſe, ſed poſtea, ut Vetus loquitur teſtamentũ, quia dies reſurrectionis is, cum egrediens popu-

1. Cor. 11 lus de Aegypto in mari & in nube baptizatus, ut Apoſtolus dicit, mortem uicit, panem ſpiritualem accipiens, & potum de petra hauriens ſpiritualem, nec paſſionẽ domini die dominica poſſe celebrari, etiam ſi quartadecima luna in dominicã inciderit, adiungendam hebdomadem alteram, ſicut & ſeptuageſimoſexto anno die imperij Diocletiani factũ eſt. Nam tunc uigeſimooctauo die Pharmutij menſis, qui eſt ſeptimo Kalend. Maij, dominicam paſchæ celebrauimus ſine ulla dubitatione maiorum. Simul etiam lunę curſus & ratio ſuffragatur, quoniam uigeſimaprima luna proximum paſcha celebrandum eſt, nam uſq; ad uigeſimamprimam lunam conſueuit extendi. Ergo cum tot ueritatis indicia concurrant, iuxta maiorũ exempla feſtum publicæ ſalutis lęti exultantesq; celebremus, poſtes noſtros ubi eſt oſtium uerbi quod ſibi Apoſtolus optat aperiri, fide paſſio-

Pſal. 140 nis dominicæ colorantes. De hoc oſtio dicit etiam Dauid: Pone domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circuitus labijs meis, ut nihil aliud niſi ſanguinem Chriſti loquamur, quo mortem uicimus, quo redempti ſumus. Fragret in nobis odor Chriſti. Ipſum audiamus, in illum & mentis & corporis oculos dirigamus, opera eius mirantes, beneficia prædicantes, ſuper limen oſtij noſtri ſacræ redemptionis confeſſio reſplendeat. Sumamus ſer-

Hæc epiſtola multorum ſententia eſt eius, qui libros de Vocatione gentium cõſcripſit, nimirũ Proſperi Aquitanici.

uenti ſpiritu ſacramentum in azymis ſyncerităţis & ueritatis, pia doctrina gloriam patris & filij & ſpiritus maieſtatem indiuiduam concinentes.

Diui Ambroſii ad ſacram uirginem Demetriadem, magnis præconijs ueram humilitatem exaltantis, aduerſantemq; illi ſuperbiam digna uituperatione confundentis.

Epiſtola LXXXIIII

AMbroſius epiſcopus ſacræ uirgini Demetriadi. Cum ſplẽdidiſſimæ ſanctimoniæ tuę ſublime propoſitũ ſuper humilităţis fundamenta conſiſtere pie & ſapienter intelligis, in hoc uſq; ô ſacra uirgo Demetrias dignationẽ tuæ dignităţis inclinas, ut prouectiones tuas etiam meo ſtylo exigas adiuuari. Quod ego,

ad

ad tenuitatem facultatis meæ respiciẽs, omnibus modis recusarem, neq; tam maturo & erudito animo cohortatiunculas meas adhibere præsumerem, nisi fiduciam efficiendi id quod iubetur, à iubente conciperem, & tuis meritis atq; orationibus confiderem esse præstandum ut oriatur in deserto aqua, & fient in sicca terra flumina. Vnde collaboran dum tibi mecum est, ut qui sapientiam prętat paruulis, & linguas mutorũ facit disertas, iubeat de cordis mei ariditate profluere quod sitis tua digne possit haurire. Quæ ergo materia stylo dabitur, & unde loquendi tecum causſa sumetur? Si laudes tuas scribere aggrediar, & maiorum seriem quæ per te multum illustratur, euoluam, onerosum me forte & impudentem uideri posse arbitror, qui uel humanæ tibi gloriæ tentationẽ adulando ingeram, uel tuis ac tuorum prædicationibus ingenium meum par esse prętumam. Si uero de cõmendando uirginitatis bono differam, superflua erit eius nunc propositi insinuatio, quod tu à primo, ætatis tuæ flore sine humanis cohortationib. elegisti, & de quo inter ipsa principia multi qui tunc in ecclesia præeminebant, merito non siluerunt. Val de enim mirabile erat, & inter præcipua diuinæ gratiæ exempla numerandũ, quòd uirgo Anicia super omnes fastigium trahens beatæ nobilitatis euecta, de cuius fœcunditate auis atq; atauis responsura posteritas, & familiæ uotis expectabatur & patriæ, cõuerso repente animo, desiderio cœlestium nuptiarum declinasti mortale coniugium. Et ut omnem prosapiam tuam etiam huius uirtutis titulo consecrares, primã stirpis tuę perpetuam & uirginem filio uirginis spopondisti. Illam ergo ætatem tuam, & illa principia rationabiliter doctissimi uiri suis adhortationibus incitarunt. Et licet plantationi suæ summus agricola ualida ad profectum tuum incrementa præberet, cooperatores tamẽ gratiæ dei opportunæ piam adhibuere culturam, ut germen tenerũ fortitudinis robur acciperet, & dignos generositate sua fructus propositi tui arbor afferret. Nostris autem pagi nis quid erit loci, & post ornatissima scripta excellẽtium magistrorum, quid utilitatis in eo quem indicere dignata es sermone reperies, nisi forte quia & illorum in doctrinis & tuis studijs ad sublimiores gradus uirtutum consuetudo proficit, cauendam te elationis admoneam, & humilitatis tibi syncritatem fida suggestione commendem, ut in omnibus actionibus in quibus tibi es bene conscia, nunquam audeas esse secura? De hoc igitur congruentissimo tibi & saluberrimo bono quod dominus donauerit, differamus, ut inspectioni nostræ non tantum uisibilia eius, sed etiam occulta referentur. Est enim multiplex uirtutis istius qualitas, & licet in exterioribus quoq; pulchra sit, in intimis tamen suis multo est speciosior, multoq; luculentior, ubi nihil obscurum, nihil turbidum, nihil est inquietum: quia pax multa diligentibus legem dei, & non est illis scandalum. Accessuri autem ad beatæ humilitatis intuitum, omnem illam obiectionem quæ ignauos & inconstantes animos deprimit, repellamus. Nec generale nomẽ ita nos à iudicio discretionis excludat, ut omnes quoquo modo humiles putemus esse laudabiles. Imitatur quidem plerunq; necessitas uoluntatẽ, & ab imagine modestiæ parum differt forma segnitiæ. sed aliud est quod grauat, aliud quod exercet, nec in eundem finem uenit labor indeclinabilis miseriæ, & expetitæ fortitudo patientiæ. Vnum est paupertatis uocabulum, sed non una mens pauperũ: quia nõ idem est gaudere bene expensis diuitijs, quod aut gemere de non acquisitis, aut dolere de perditis. Timoris etiam quo deus metuitur, nulla est in appellatione distinctio. Sed aliud est timere quia peccaueris, aliud timere ne pecces. Et ibi est formido de supplicio, hic solicitudo de præmio. Ob hoc enim de illo seruuli metu dicitur quia perfecta charitas foras mittit timorẽ. De hoc uero liberali: Timor domini sanctus manens in seculum seculi. Remota itaq; illa specie humilitatis, quæ tota sine fructu est, uoluntarios tantũ pendamus affectus. Qui etiam si in gradibus meritorum inueniuntur impares, non sunt tamen ab ipsa uirtute discordes. Prima ergo humilitatis ratio in cõmunis uitæ uersatur officijs, quibus & diuina clementia conciliatur, & societas humana cõnectitur. Multum enim ad roborandum dilectionem ualet, cum secundum doctrinam Apostolicam inuicem se homines honore præueniunt, & alter alterum superiorem existimantes, amant seruire subiecti, & nesciunt tumere prælati: cum & pauper diuitem nõ sibi dubitat anteferre, & dives pauperẽ sibi gaudeat æquare: cum & sublimes non superbiunt de claritate prosapiæ, & pauperes non extolluntur de communione naturæ: cum denique non plus tribuitur magnis opibus, quàm bonis moribus,

Psal. 104
ibidem 18
Sapien. 10
Psal. 118
1. Ioan. 4
Psal. 18
Rom. 12

nec maior ducitur phalerata iniquorum potẽtia, quàm rectorum inhonora iuſtitia. Ab hoc æquo & modeſto iure concordiæ, in quo nullum eſt de gradu ſuperiore certamen, nec fœlicitas aut inflat propria, aut urit aliena. Pulchrè & mirabiliter à pleriſq; proficitur ad illam humilitatis fortitudinem, quæ & ſe extra omnem conſtituit dignitatem, & mauult apta eſſe iniurijs accipiẽdis, quàm idonea repellendis: ut impleatur quod ait dominus: Qui uult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunq; te angariauerit mille paſſus, uade cum illo & alia duo. Illud quod Apoſtolus docet dicens: Quare non magis iniuriã accipitis? quare non magis fraudem patimini? Tales enim multum ad imitationem ipſius domini noſtri & Saluatoris accedũt, qui cum diues eſſet, pauper factus eſt: & cum malediceretur, nõ maledicebat, & percutienti ſe non cõminabatur. Et quoniam dixerat: Diligite inimicos ueſtros, beneſacite ijs qui uos oderunt: ut huiuſmodi beneuolentiam confirmaret exemplo, ipſe pro ijs à quibus crucifigebatur, orabat. Qui ergo fideliter & ſcienter intelligũt quo opere ſaluati, & quo precio ſint redempti, nolunt de mundi huius ſapientibus, nolunt eſſe de fortibus, quoniam ſicut ait Apoſtolus: Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit deus ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & cõtemptibilia elegit deus: & quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt, deſtrueret: ut non glorietur omnis caro in conſpectu eius, id eſt, ut nemo ſe placere deo per mundi ſapientiam putet, quæ tota carnalis eſt, & à uera ſapientia cum omni ſua uanitate deſtruitur. Dominus enim nouit cogitationes ſapientium, quoniam uanæ ſunt. Cum itaq; diſcipuli ueritatis humanam gloriam fugiunt, & à temporalium amore deciſcunt, ut quæ dei ſunt ſapiant, nõ quæ hominũ: proficiunt ſenſibus, non deficiunt, neq; uigorem cordis amittunt, ſed excellentiſſimæ intelligentiæ lumen accipiunt, uiuentes quidem in hoc mundo, ſed omnes mundi ſtrepitus relinquentes, ut redimant tempus, quia dies mali ſunt. Quo autem precio quies huius temporis aptius comparatur, quàm ut ipſi mundo omnes diuitiæ, omnes dignitates, & uniuerſarum cupiditatum materiæ refundantur, & ſancto beatoq; commercio ematur Chriſtiana libertas, fiantq; filij dei de paupertate diuites, de patiẽtia fortes, de humilitate ſublimes? Non enim, ut dilectores huius ſeculi putant parui cordis aut ſegnis eſt animi terrenas opes ſpernere, honores occiduos faſtidire, nec ibi gloriam quærere, ubi laudatur peccator in deſideriſs animæ ſuę, & qui iniqua gerit, benedicitur. Vnde ſi uere intelligatur, contemptus iſte rerum præſentium ad quæ tendat, & qualia concupiſcat, nihil huiuſmodi mentibus rectius, nihil inuenietur electius, quę ſacratiſſimis deſideriſs uniuerſa tranſcendunt, neq; ad ullam creaturam quamuis potentem atq; mirabilem, ſed ad ipſum omnium uiſibilium & inuiſibilium ambiunt creatorẽ, cui appropinquare clareſcere eſt, quem timere gaudere eſt, cui ſeruire regnare eſt. Sed hæc uirtus quæ temporalis copiæ & patientiæ negligens ad uitam æternam anguſta & ardua mittitur, non debet uoluntarios pauperes in conſortium Chriſtianæ humilitatis admittere, eos autẽ à ſocietate boni huius excludere qui ampla prædia, magnifica patrimonia, & multas in hoc ſeculo poſſident facultates, cum in populo dei multi ſemper qui diuitijs bene uterentur extiterint, nec ullo modo uel dici uel cogitari liceat quod Abraam & Iſaac & Iacob, quorum ſe eſſe deum dominus proteſtatus eſt, ideo uera humilitate caruerint, quia pauperes non fuerunt. Aut quod uir ſacratiſſimus Melchiſedech, domini & Saluatoris noſtri præferens formam, non fuerit perfecte humilis, quia & ſacerdotio eminebat & regno. Vel quòd beato Iob, de quo deus pronunciat dicens: Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex & rectus, & timens deum, & recedens à malo? ideo uirtus iſta defuerit, quia erant (ſicut ſcriptum eſt) in poſſeſſione eius ſeptem milia ouium, & tria milia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingentæ aſinæ, ac familia multa nimis. Eratq; uir ille magnus inter omnes orientales. Quaſi tunc iſtius gratiæ particeps factus eſt, quãdo omnibus facultatibus perditis, uniuerſa quoq; familia, filijſq; priuatus, & percuſſus uulnere peſſimo à planta pedis uſq; ad uerticẽ capitis, teſta ſaniem radebat, ſedens in ſtercore, ad imaginẽ elationis poſtmodum reuocatus eſt, quando corporis incolumitate renouata, ſeptem rurſus filiorum triumq; filiarum factus eſt pater, & duplo in uniuerſam ſubſtantiam eſt ditatus augmento. Abſit autem ab animis fidelium tam irreligioſa perſuaſio, ut cuiquam ſanctorũ

Matth. 5

1. Cor. 6

2. Cor. 8

1. Pet. 2

Matth. 5

1. Cor. 1

Pſal. 93

Ibidem 9

Iob 2

quibus

quibus deus & diuitias est largitus & honores, ad capiendum ueræ humilitatis meritū credatur uel opulentia obfuisse uel dignitas, cum eis ad huius uirtutis prouectū utraque profuerint. Quamuis enim tota uita hominis tentatio sit super terram, & tam abundantia q̄ inopia materia soleant esse peccati, cum uel diues extollitur ad superbiam, uel pauper prosilit ad querelam, extiterunt tamen in omni tempore, & in nostra quoq; ætate nō desunt sicut & boni pauperes, ita & boni diuites. Nec frustra beatus Apostolus Paulus Timotheū admonet dicens: Diuitibus huius seculi præcipe non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in deo qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, diuites fieri in operibus bonis, facile tribuere, cōmunicare, thesaurizare sibi fundamentū honum in futurum, ut apprehendant ueram uitam. Quod utiq; fieri in uniuersa ecclesia quæ per totum mundum est diffusa, non dubium est, & pauperes Christi non eorum tantum facultatibus sustineri, qui ut expeditiores dominum sequerētur, simul se omnibus suis opibus exuerunt, sed eidem operi etiam illorum substantias deseruire, qui possessionibus suis non aliter quàm rebus pauperū præsint, ut ecclesiasticæ utilitati sub quadam procuratione famulentur, elaborantes singuli pro suarum uirium portione ut ad uictum atq; uestitum familiæ dei necessaria conferantur, & simul prospicientes ut in domibus ipsorum sub iusto sanctoq; moderamine omnes & benignitas foueat, & disciplina contineat, dicente Apostolo: Si quis autem suorum & maximè domestico rum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Cum itaq; ecclesia dei, quę est corpus Christi, ita sit multimoda uarietate contexta, ut in unum decorem etiam quę non sunt paria, concurrant, & de omni genere hominum, & de omni gradu officiorum, de omni mensura operum, de omni qualitate uirtutum fiat totius ædificationis inseparabilis connexio, & indifferens pulchritudo, nec desit soliditati quod nō defuerit portioni, tantaq; ibi sit pax, tantaq; concordia, ut nō possit esse nisi omnium quod est etiam singulorum, indubitāter apparet copulatricem quandam esse uirtutem, qua sibi confœderatur & concinit multiplex sanctorum unitas & speciosa diuersitas. Hæc autem uirtus uera humilitas est, quæ inter quoslibet meritorū gradus nunquā sui potest esse dissimilis. Nam & in officiorū uicissitudine, & in mansuetudinis lenitate, & in uoluntariæ paupertatis electione, inuenitur multa distantia, & alter altero in propositi sui deuotione aut maior aut minor est. In uera autem humilitate nihil diuisum, nihilq; nō solidum est, & ideo omnes participes suos unum facit, quia inæqualitatē ipsa non recipit. Huius igitur boni proprietas in confessione est gratiæ dei, quæ tota repellitur nisi tota suscipitur. Sicut enim alienus est à numero fidelium & à sorte sanctorum, qui in aliquo à catholica ueritate dissentit: ita extra gratiā efficitur qui aliquid de eius plenitudine diffitetur, quasi homo auxilio dei in quadam actionum suarū parte egeat, in quadam autem parte non egeat, sitq; ullum tempus, ullum'ue momentū quo pernicioſum illi esse non possit si ab eo spiritus sanctus defuerit. Qui utiq; secundum ueræ deitatis essentiam ubiq; totus est, & omnia comprehendit, sed ab illis modo quodam intelligitur recedere, quos destiterit gubernare. Cessatio quippe auxilij eius pro absentia accipitur, quam sibi insanissimè utilem putat, qui in ijs quæ rectè gesserit, se magis quàm deum gaudet operatum. Plene ergo & ueraciter cōfitenda est gratia dei, de cuius hoc primum munere est, ut auxilium ipsius sentiatur. Propter quod dicit Apostolus: Nos autem non spiritū mundi accepimus, sed spiritū qui ex deo est, ut sciamus quæ à deo donata sunt nobis. Vnde si quis est qui aliqua se habere, existimat bona quorū non deus largitor sit, sed ipse sibi author existat, manifestum est hunc non dei spiritum habere, sed mundi, & de illa secularis sapientiæ tumere doctrina, de qua dicit dominus: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentiū reprobabo. Vbi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor huius seculi? nonne stultam fecit deus sapientiam huius mundi? secundū quam (sicut ait Apostolus) quidam cum cognouissent deum, nō sicut deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratū est cor insipiens eorū? dicētes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Vides'ne qualis superbis retributio debeatur, & quali mercede repleantur, qui si quo modo ad cognitionē ueritatis accesserūt, suæ hoc sapientiæ tribuunt, & de naturali ingenio gloriantur, tanquam deum non dei munere, sed proprij intellectus facultate cognouerint? Omnia quidē elemēta mundi, & uniuersæ creatura-

Iob 7

1. Tim. 6

Ibidem 5

1. Cor. 2

Ibidem 1

Rom. 1

ibidem rum naturæ, hoc ipsa sui exigunt specie, ut inuisibilia dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur: & in pulchritudine cœli & terræ quædam sunt paginæ ad omnium oculos semper patentes, & authorem suum nunquam tacentes, quarum protestatio doctrinam imitatur magistrorum, & eloquia scripturarum. Sed quid illud est quo corporeorũ sensuum exteriora pulsantur in agro cordis cui impenditur ista cultura, nec radicem potest figere, nec germẽ emittere, nisi ille summus & uerus agricola potentiam sui operis adhibuerit, & ad uitalem profectũ ea quæ sunt plantata perduxerit? Siue enim contemplatio creaturarum, siue sacrorum series uoluminũ, siue scientia differentium syncero & assiduo testimonio prædicet ueritatẽ, neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui 1.Cor.3 incrementum dat deus. Inter omnes igitur lapsus hominum, inter omnia commissa peccantium, nulla est grauior quàm superborum ruina, maximè cum ipsa elatio in dei tendit iniuriam. Nam aliter inflantur qui cupiditate extollentiæ singularis omnibus appetunt anteferri, aliter uerò intumescunt qui dei auxilium refutantes, quæ fieri sine ipsius opere non possunt, ex sua perfici uirtute contendunt, & spem suam à domino auferunt, Hier.17 atq; ad se transferunt, ut adimpleatur in eis quod scriptũ est: Maledictus homo qui spem habet in homine, & firmat carnẽ brachij sui, & à domino discedit cor eius. Hæc superbia à diabolo sumpsit exordium, qui quoniam sua (quam à creatore acceperat) potentia & dignitate sibi placuit, secq; authoris sui gloriæ comparauit, cum ijs angelis quos in consensum impietatis suæ traxerat, à cœlesti sublimitate deiectus est. Et ideo primis hominibus nocere potuit, quia illis male credulis per mendacia uenenata persuasit ut meliores se futuros putarent, si in libertatem sui arbitrij prosilirent, quàm si in legis datæ cu Eccli 10 stodia permanerẽt. Siue itaq; in lapsu diaboli, siue in præuaricatione hominis, initiũ peccati superbia est: quæ cõgruenter & auaritia nominatur, quia utraq; appellatio eũ significat appetitũ qui & suam mensurã concupiscat excedere, & non dignetur diues esse nisi propriis, tanq; habeat hoc simile deo, ut bonorũ suorum ipse sibi fons, ipse sibi sit copia. Hæc autem elatio de peruerso usu donorum dei nascitur. Nam si conditor naturarũ nulla pulchra, nulla sublimia naturis rationabilibus contulisset, unde se extollerent non haberent. Nemo enim de ijs quæ non accepit superbit, nec inflari quisquam de eo potest quod à participatione eius alienũ est. Nunquã gloriatur de sobrietate temulentus, neq; de beneuolẽtia inuidus, aut de lenitate sæuus, uel de castitate extollitur impudicus. Ipsa se à uirtutibus uitia secernunt, & cum in peccatis agitur, non insita per naturam, sed ex Ioan.8 mala uoluntate concepta & propria diliguntur, quia sicut scriptũ est: Mendax de proprio loquitur. Cum autem in bonis & rectis actibus laudabilis uita ducitur, dei est quod Iacobi 1 geritur, dei est quod amatur. Omne enim datum optimũ, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminũ. Vnde quia inter uitia aut nulla est aut rara iactantia, & facilè spernitur qui de opprobrio gloriatur: malum superbiæ maximè uirtutibus est cauẽdum, quia nullis opportunius insidiatur quàm quibus laus iusta debetur. Cùm ergo per ineffabilem misericordiam dei captiuis libertas, perditis salus, mortuis uita reparatur, cùm in sacramento crucis & resurrectionis Christi ad nouitatem redit uetustas, & ad innocentiã regeneratur impietas, antiquus hostis malignus fremit, & acrius inardescit: & cum innumeris nocendi artibus humanũ genus nitatur euertere, serens discordias, incitans iras, acuens cupiditates, suadens turpia, falsa cõmentans, & errorũ laqueos per opinionum cõmenta multiplicans, plus uritur de uirtute stantium, quàm lætatur de Gal.5 fragilitate labentiũ. Multi enim seruientes deo, & in lege eius die ac nocte meditantes, crucifixerunt carnem suam cum desideriis & cõcupiscentijs, omniumq; illecebrarũ incentiua domuerunt: non damnis uicti, non persecutionibus fracti, non prosperitatibus deprauati, mundum istum nec dilexere obsequentem, nec timuere terrentem. Tantam itaq; firmitatem, & tam sublime propositum qua impugnatione diabolus posset adoriri, nisi ut quibus non potuerat persuadere uitiorum amorem, immitteret laudis cupiditatem, & inde nouissima instrueretur tentatio, unde nocuit prima deceptio? Non itaque desidiosis & tepidis, neq; inertibus & incultis, sed magis quibusdam animis sedulis & bonorũ actuum probitate luculentis, per gloriam irrepsit humanam: & quos impulsione non mouit, elatione deiecit. Quanto enim clariores erant meritis, tanto eos aptiores suis inuenit insidijs. In paradiso nanque ecclesiæ constitutos, & uirtutum delicijs abundantes

dantes ad confidentiam liberi incitauit arbitrij, ut profectus suos in se constituerent, & ad arborē propriæ uoluntatis manum præsumptionis extenderent. Restiterunt quidem huic impietati recta innumerabilia corda sanctorum, & non solum docti quiq; pontifices, uerumetiā uniuersales ecclesiæ plebes apostolicę sedis exemplo insaniam noui dogmatis horruerunt: sed inuenerunt quosdam uiperina consilia quibus doctrinæ suæ uirus infunderent, & quorū linguā per dolos falsæ rationis armarent. Hinc illa erat naturę humanæ fraudulenta laudatio, & illæsæ per omnes homines originalis defensio dignitatis. Hinc Adæ peccatū exemplo posteris asserebatur nocuisse, non transitu: & quām illi possibile fuerat nō uiolare mandatū, tam liberum esse unicuiq; declinare delictū. Hinc euacuatio baptismatis paruulorū, qui sola adoptione donare, nullo autē reatu dicerentur absolui. Hinc postremo diuinæ gratiæ simulata & insyncera confessio, quæ secūdum merita daretur, non ex qua merita nascerentur: quam partem superbæ prædicationis quidam sibi cùm cætera abnuerent, seruauerūt. Sed hoc eos aut nimis imperitè aut valde nequiter fecisse nō dubium est, ut omnium hominū generalem ruinam meritorū priuilegio subleuarent, & cùm inter nostros originalis peccati uulnera faterētur, inter suos tamē hoc tenere ostenderent, quod primorū hominum præuaricatio solis imitatoribus obfuisset. Naturalem aūt facultatē nihil sui in alieno amisisse peccato, cui possibile esset & liberum per uoluntariam deuotionē promereri gratię largitatem. Verùm istam damnati dogmatis portionem catholicæ mentes facilè intelligunt, & meritò detestantur. Dicente enim domino Iesu: Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Non enim ueni uocare iustos, sed peccatores: cōuincuntur isti in superbia etiam sine uoce clamare: Sani sumus, opus medico non habemus. Quæ nobis expectanda sunt præsidia de opę gratiæ, quibus suppetūt uires de incolumitate naturæ? Non aūt frustra Ioannes protestatur, & dicit: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccatū mundi. Nec frustra scriptū est: Nemo mundus à sorde, nec infans cuius unius diei uita est super terram. &: Quis poterit facere mundū de immundo conceptū semine? non ne tu qui solus es? Propter quod sicut nūc in ecclesia manet constitutio Saluatoris dicentis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnū cœlorum: ita sacratissime erat in lege præcautū ut natus puer nisi die circumcideretur octauo, exterminaretur anima eius de populo suo, nullum in hæreditate Israel habitura consortium. Quæ omnia & multo plura documēta nō tanta cura sacris paginis spiritus sanctus inseruisset, si talis esset natura in filijs Adā, qualis in ipso est principaliter instituta. Sed quia filius dei uenit ut solueret opera diaboli, & ut quęreret ac saluaret quod perierat: manifestū est omnes in Adam damnationi obnoxios esse nascendo, nisi in Christo liberati fuerint renascendo. Vnde uigilāter nobis cōsiderandū est, in ipso regenerationis munere quid geratur. Quamuis enim ad unū concurrant oēs eiusdē mysterij portiones, aliud tamē est quod uisibiliter agitur, aliud quod inuisibiliter celebrat. Nec idem est in sacramento forma quod uirtus, cum forma cū humani mysterij adhibeatur obsequio, uirtus autē per diuini operis præstetur effectū. Ad cuius utiq; potentiā referendū est quod dum homo exterior abluitur, mutatur interior, & fit noua creatura de ueteri, uasa iræ in uasa misericordiæ transferuntur, & in corpus Christi conuertitur caro peccati. De impijs iusti, de captiuis liberi, de filijs hominū fiunt filij dei: qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate uiri, neq; ex uoluntate carnis, sed ex deo nati sunt. Quod quia indubitanter accipimus, uerissimum est quod Apostolus docet, dicens: Quicunq; enim spiritu dei aguntur, ij filij sunt dei. Vnde uideant cuius se haberi filios uelint qui definierint omnes homines uoluntate propria regi, cùm idem Apostolus protestetur & dicat: Qui spiritum Christi non habet, hic non est eius. Refutata igitur superborum impia uanitate, quibus in peccatum etiam illa quæ in eis uidētur laudanda, uertuntur: nos illam humilitatē cui uirtus & gloria dei est eligamus, scientes prophetam Dauid cecinisse de sanctis: Domine in lumine uultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in tua iustitia exaltabuntur, quoniam gloria uirtutis eorū tu es. Qui & alibi pijssimè cōfitetur dominū in sanctis suis esse laudandū dicēs: Mirabilis deus in sanctis suis, deus Israel ipse dabit uirtutē & fortitudinē plebi suæ. Huic etiam Hieremias cōcordat, & dicit: Hęc dicit dominus: Non glorietur sapiens in sapiētia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & nō glorietur diues in diuitijs suis: sed in hoc

Matth. 9
Ibidem
Ioan. 1
Iob 16
Ibidem 14
Ioan. 3
Lucæ 19
Ioan. 1
Rom. 8
Ibidem
Psal. 87
Ibidem 67
Hier. 9

hoc glorietur qui gloriatur, intelligere & scire quia ego sum dominus. Ipse uerò intellectus & scientia unde habeantur, pandunt Prouerbia Salomonis, & dicunt: Quoniã dominus dat sapientiam, & à facie eius scientia & intellectus. Vnde in Ecclesiastæ libro ipsius legimus quòd & corda & opera iustorũ in manu dei sint, & tantum in studijs suis proficiant, quantũ eos ille prouexerit. Quantumcũq; inquit, laborauerit homo ut quærat, nõ inueniet. Et quodcunq; dilexerit sapiens ut sciat, nõ potest inuenire, quia uniuersum hoc uidit cor meum, quia iusti & sapientes & operationes eorũ in manu dei. Tale est quod Apostolus prædicat, dicens: Omne uerbum bonũ, & omne opus sanctum, donum est spiritus sancti, sine quo nihil recte agatur. Ideo, inquit, notum uobis facio quòd nemo in spiritu dei loquens dicit anathema Iesu. Et nemo potest dicere dominus Iesus, nisi in spiritu sancto. Diuisiones uerò sunt gratiarum, idem autem spiritus: & diuisiones ministrationũ sunt, idem autem dominus: & diuisiones operationũ sunt, idem uerò deus qui operatur omnia in omnibus. Vnicuiq; autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundũ eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alteri operatio uirtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. hæc autẽ omnia operatur unus atq; idem spiritus diuidens singulis prout uult. Sunt & alia innumerabilia testimonia quæ ex paginis & Noui & Veteris testamenti quadam conclamatione confirment hanc esse ueræ humilitatis excellentissimam dignitatem, ut omnia quæ hominem faciunt Christianum, ad diuinæ gratiæ donum referantur. Sed tantam multitudinem sententiarũ in unum congerere, immodicum fuit, præsertim cùm mihi sermo esset ad sanctimoniam tuã, cui ex formula eorum quæ cõmemorauimus, omnia se aut recordanti offerent, aut legenti, licet quædã etiam breuissima tantæ sint plenitudinis, tantæq; uirtutis, ut nullo aduersantis ingenio possint in sensum alium detorqueri. Nam quæ contradictio admitti potest in eo quod ipsa Veritas discipulis suis per euãgelium Ioannis dixisse narratur? Sicut palmes, inquit, non potest facere fructũ nisi manserit in uite, sic nec uos nisi in me manseritis? Ego sum uitis, uos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum, quia sine me nihil potestis facere. Non ne cõuincitur palmes elatus, quod omni fertilitate uacuatur si uitis ubertate non alitur? Quis enim sine auxilio gratiæ fructum potest afferre iustitiæ? Aut quis audet dicere se à Christo non diuidi, qui Christum in se diffitetur operari? An forte uerendum est ne liberum tollere uideamur arbitrium, cùm omnia per quæ propiciatur deus, ad ipsum dicimus esse referenda? Quod nequaquam esse consequens ueritatis ostenditur. Operante enim spiritu dei iuuatur arbitriũ, non aufertur, & hoc agit gratia, ut uoluntas peccato corrupta, uanitatibus ebria, seductionibus circunsepta, difficultatibus impedita, non remaneat in languoribus suis, sed per opem miserantis medici curata reualescat, & gaudeat se nõ interrogantẽ edoctam, & non quærentẽ esse quæsitam: quia impletur quotidie quod Esaias propheta prędixit: Quibus non est annunciatũ de eo, uidebunt: & qui non audierunt, intelligent. Quomodo autẽ hoc fiat, Ioãnes apostolus docet dicens: Scimus quia ex deo sumus, & mundus totus in maligno positus est. Et scimus quoniam filius dei uenit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus uerũ deum, & simus in uero filio eius. Quod utiq; nunc eadem potentia dominus indesinenter operatur, qui ait: Ecce ego uobiscũ sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Vt ergo misericordiam dei quæramus, dei misericordia est qui ait: Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericordiam pręsti tero. Vnde mire per Hieremiam idem dominus manifestat quòd dei gratiã nemo præueniat merito suo, sed propter dilectionem qua deus diligit, etiam auersos ad misericordiam trahi. Dilectione, inquit, æterna dilexi te, propterea traxi te ad miserationem, quia ædificabo te, & ædificaberis uirgo Israel. Cui sententiæ Ioannes quoq; apostolus congruit dicens: Non quasi nos dilexerimus deum, sed quoniam ipse dilexit nos. Et infrà: Nos ergo diligamus, quoniam deus prior dilexit nos. Paulus quoq; apostolus in eadem est sententia, dicens in epistola ad Timotheum secunda: Collabora euangelio secundũ uirtutẽ dei, qui nos liberauit, & uocauit uocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositũ suum & gratiam quæ data est nobis ante tempora æterna. Ad Titum etiam scribens, docet nullo bono hominis merito dei gratiam præueniri. Eramus,

Prouerb. 2

1. Cor. 12

Ioan. 15

Esa. 52

1. Ioan. 5

Matth. 28

Rom. 9

Exod. 33

Hier. 31

1. Ioan. 4

2. Tim. 1

Ad Titum 1

mus,inquit,& nos insipientes aliquando,increduli,errantes, seruientes desiderijs & uoluptatibus uarijs,in malitia & inuidia agentes,odibiles,odientes inuicem.Cùm aũt benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri: nõ ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos,sed secundũ suam misericordiã saluos nos fecit, per lauacrũ regenerationis spiritus sancti,quem effudit abũde in nos per Iesum Christum saluatorẽ nostrũ, ut iustificati gratia ipsius,hæredes simus secundum spem uitæ æternæ. Omnis igitur illuminatarũ mentium pios motus alienari quidem non potest à propria hominis uoluntate:siquidem nihil rectè faciet nisi quod uolens egerit: sed ut ad id quod æquum & utile est,animi tendat intentio, de illius æternæ & incõmutabilis uoluntatis inspiratione concipitur. Et sicut arte medici fit in oculis caligantibus, ut possint uidere quod non uident, nec tamen non ipsorũ est uisio quam medicina cõtulerit:ita in cordibus tardis & hebetibus per spiritum sanctum acies obducta tergitur, & de uero lumine tenebrosæ iam & deficientes lucernæ lumen accipiunt,nec tamen nisi ipsarum erit,quicquid fulgoris acceperint. Vnde dicit dominus: Ignem ueni mittere in terram,& quid uolo nisi ut ardeat? Et idem iubet,lucernæ nostræ sint semper ardentes,ut scilicet superno igne accensus animus non tepescat,sed studeat semper ardere:ac si uigorẽ eius aliqua turbarit aduersitas,unde cœpit inflammari,inde poscat igniri.Proinde quia manifestissime & prophetica & euangelica & apostolica doctrina nec superbos nos uult esse, nec desides: cooperatores nos esse oportet gratiæ dei,ut illam excitantem,iuuantem,locupletantem, & quotidie prouehentem uigilanter & sobrie subsequamur,nunquam cessantes ab actione gratiarum, quia inter secunda uitæ istius & aduersa, quibus gemina semper tentatione pulsamur, si proficimus,inde alimur: si stamus,inde subsistimus: si recidimus,inde reparamur. Dicit enim spiritus per prophetam Dauid: A domino gressus hominis dirigentur, & uiã eius uolet.Cùm ceciderit,non collidetur:quia dominus supponit manum suam.Non itaque frustra præcipitur ut boni simus,cùm dicitur: Declina à malo,& fac bonum.Sed nec frustra per Hieremiam dicit dominus: Timorem meum dabo in cor eorũ, & uisitabo eos, ut bonos eos faciam. Nec superflua erat præceptio Pauli apostoli ad Romanos dicentis:Noli uinci à malo,sed uince in bono malum.Cùm Corinthijs dicat: Oramus autẽ ad deum ut nihil mali faciatis.In omnibus enim monitis dei atq; mandatis una eademq; ratio est & diuinæ gratiæ,& humanæ obedientiæ. Nec ob aliud unquam datur præceptũ, nisi ut quæratur præcipientis auxilium. Voces enim docentium, & literæ paginarũ quæ ad eruditionẽ audientium uel legentiũ deo seruiunt, non carent eius uirtute cui seruiũt: & quando id quod iubetur,ab obediente perficitur,tunc effectus diuini operis declaratur. Vigilant autẽ tentatoris insidiæ,ut ubi proficit deuotio,subrepat elatio, & ut homo de bono opere in se potius quàm in domino glorietur.Sed solicitudo nos Apostoli cõtra hoc periculum monet dicentis: Cum timore & tremore uestram salutẽ operamini. Deus est enim qui operatur in uobis & uelle & operari pro bona uoluntate. Quanto ergo excellentius in mandatis dei quicq; proficiunt, tanto maiores habent causas formidinis & tremoris,ne de ipsis probitatis augmentis mens sibi bene conscia,& laudis auida,in superbiæ rapiat excessus,& fiat immunda uanitate, dum sibi uidetur clara uirtute. Sed cõtra hoc periculũ quid B.Petrus in prima epistola prædicet,audiamus:Si quis,inquit,loquitur,tanq; sermones dei: si quis ministrat, tanquã ex uirtute quam administrat deus,ut in omnibus honorificetur deus per Iesum Christum, cui est gloria & imperium in secula.Item idem in epistola secunda: Gratia, inquit, uobis adimpleatur in recognitione domini nostri Iesu Christi, qui nunc omnia nobis diuina uirtute sua quæ ad uitam & pietatem pertinent,donauit per agnitionẽ suam, qui uocauit nos propria gloriæ uirtute,per quã maxima nobis & pretiosa promissa donauit,ut per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ,fugientes eius quæ in mundo est cõcupiscentiæ corruptionẽ. Si ergo omnia quæ ad uitam & pietatẽ pertinẽt,deus nobis diuina sua uirtute donauit,nihil magis fugiendum est quàm appetitus huius concupiscentiæ,quę uirtutẽ negat diuini operis,amore propriæ dignitatis. Et cùm aliæ cupiditates ea tantum bona quibus aduersantur imminuant,hæc dum omnia ad se trahit,simul uniuersa corrumpit. Cùm itaq; totius superbiæ generale nomen odiosum sit, siue illa de honore suo, seu de nobilitate,uel de immodicis opibus intumescat, hæc pars ipsius omnibus tentationibus nocentior inuenitur

Luc.12
Ibidem
Psal.36
Ibidem 33
Hier.32
Rom.12
2.Cor.13
Philip.2
1.Pet.4
2.Pet.1

nitur, quæ uidet ijs quas perditas cupit, amica esse uirtutibus. Sed quia sublimiora quæque grauius corruũt, gaudet princeps superbiæ eos quos potuerit sua impulsione prosternere, ad celsiora creuisse. Huic autem malo firmissimum bonum humilitatis occurrit. Quam ideo diximus ueram, quia omnium uirtutũ inexpugnabilis fortitudo, & quędam suorum est uita membrorum. Discernimus enim illam ab ijs officijs quæ potest etiam cum mundi sapientibus habere cõmunia, & in eo proprietatem ipsius definimus, quod per omnia deo subditur. Nec potest quicquam de meritis suis perdere, quorũ causas atq; prouectus non in se, sed in suo authore constituit. Dignum quippe est ut imago dei deo splendeat, & inde pulchra, inde sit compta dicens: Signatum est super nos lumen uultus tui domine. Alioquin adultera est, & à diuino aliena coniugio, si alterius cuiusquam decorem in speculo sui cordis ostentat, aut ullis alijs monilibus acquiescit ornari, nisi illis quæ de thesauris sponsi per sancti spiritus pignus accepit. Si autem quælibet anima Christiana huius debet continentiæ soliditate muniri, quia omnes nuptiale sacramentum in quocunque uocationis suæ ordine susceperunt, quanto magis personæ tuæ dignitas præsidio huius uirtutis armanda est, cui de opulentissimis gratiæ dei donis tam multiplex se ingerit materia gloriandi? Quamuis enim communis tibi sit cum multarum uirginum puritate uirginitas, non tamen facilè reperitur quæ possit tibi magnificentia domus & splendore antiquissimę familiæ cõparari. De quibus ut non superbias, nec tibi hoc ipsum quod eis Christum præposueris, adscribas. ipsa est uera humilitas, uera charitas, uera uirginitas. Ab omni quippe contaminatione mens libera est, quæ siue in se, siue in proximo nihil diligit, nisi quod ex deo esse nouit. Nam amare aliquid quod non ex opere & spiritu dei sit, non est casta dilectio, & sufficit tentatori sublimes & claras animas hac illusione uiolasse, ut quas ad illicita nõ impulit, placendi sibi ad elationẽ deiecerit. De hac charitate sine dubio Apostolus loquebatur, & istius proprietatẽ subtilissimis discretionibus eliquabat dicens: Si linguis hominum loquar & angelorũ, charitatem autem non habeam, factus sum uelut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & habuero omnẽ fidem, ita ut montes transferam, charitatẽ autem nõ habeam, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autẽ non habuero, nihil mihi prodest. In quarum definitionum formula multo laboraremus obscurio, nisi sequentia demonstrarent quæ esset species istius charitatis, cui soli tot operũ labores, tot uirtutum merita non perirent. Esto enim ut multiplex loquendi peritia, quæ non solùm ad omnem humanę facundiæ artem, sed etiam ad angelici eloquij peruenerit facultatẽ, si charitate careat, inutili æris sono, & tinnitui sit comparabilis cymbalorũ. Esto ut habens prophetiam, scientiam, habens fidem dæmonibus imperantem nihil sit, quia charitate sit uacuus, ut etiã ille ab hac esse possit alienus, qui in alimoniam pauperum suas distribuerit facultates, uel qui corpus suum igne torrendum pro Christi confessione tradiderit, incredibile uideretur, nisi beatus Paulus hoc diceret, qui tamen cùm eiusdem charitatis membra describeret, doceretq; qualis esset hæc uirtus sine qua nullę possint prodesse uirtutes, Charitas, inquit, patiens est, benigna est, charitas nõ æmulatur, nõ agit perperam, nõ inflatur, nõ est ambitiosa, non quærit quę sua sunt, & reliqua. Inflatio ergo, & ambitio, & propriorũ bonorum superba defensio possunt destruere eleemosynas, possunt euacuare martyria: si & magnas opes amore quis humanę laudis effundat, & sæua supplicia nõ ea fortitudine quam deus tribuit, sed ea quam de se præsumpsit excipiat. Hoc est enim propria fiducia inflari, hoc uanã gloriam quibuslibet ambire dispendijs, hoc postremo est nolle habere quæ dei sunt, & ibi suũ constituere meritũ, ubi diuinũ cessarit auxilium. hæc superbia omni peccato nocentior, omni genere est elationis insanior. A quibuslibet enim lapsibus delictorũ facile surgitur, quando opem à reparatore suo poscit elisus. Huic autẽ ruinæ nihil subuenit, quia aut difficile peccatũ suum superbus agnoscit, aut etiam si intellexerit, nõ currit ad medicum, sed de se sibi remedium pollicetur, nec unquã ibi proficit cura, ubi morbus est ipsa medicina. Hunc autem corruptissimũ pestilentiæ istius flatũ spiritus ueræ humilitatis & ueræ charitatis excludit. In nullo enim hæ uirtutes ab inuicem diuiduntur, & ambarum tam indiscreta connexio est, ut qui in una earum constituitur, simul utraq; potiatur. Sicut enim

Psal. 4

1. Cor. 13

Ibidem

pars

pars charitatis est humilitas, ita pars humilitatis est charitas. Et si illa recolamus quæ sine bono charitatis infructuosa esse Apostolus definiuit, inueniemus eadem similem habere charitatem si eis humilitas uera defuerit. Quem enim fructum habebit aut cum inflatione scientia, aut cum humana gloria fides, aut cum iactantia largitas, aut cum elatione martyrium? Vnde quia in districtione superbię & humilitas tendit & charitas, de utraq; habeatur dictum quicquid de una est disputatum. Superest nūc sacratissima Dei Virgo ut sobrio castoq; iudicio sancti cordis tui arcam discutias, & aculeo totius elationis obtrito inuestiges in te atq; dinumeres quæ & qualia tibi sponsus tuus dona contulerit, quæ à me non oportuit recenseri, ne aut plura contexerem, aut pauciora percurrerem. Verecundiæ enim tuæ onerosa foret etiam uera laudatio, & ipse cōtra disputationem meam facerem, si cui ab humana gloria continentiam suasissem, ad eandem te tuis præconijs incitarem. Ipsa ergo aulam tuæ mentis ingredere, & in secretario purissimæ conscientiæ tuæ qualia tibi reposita sint ornamenta circūspice, & quicquid ibi splendidum, quicquid pulchrum precioſumq; repereris, diuini operis & muneris esse ne dubites, ita ut in omnibus bonis opulentiæ tuæ & gratiam donatoris, & ius proprietatis agnoscas. Accepisti enim quæ habes, & quicquid tibi diligentia tui laboris accreuit, per ipsum tibi est auctum, per quem fuerat inchoatum. Itaq; utendum tibi est ijs quæ largitus est Deus, & ab eodem semper est petendum ut donis eius fideliter & scienter utaris. Quid enim nobis boni potest esse sine ipso, quandoquidem etiam ut recte oremus, ex ipso est, dicente Apostolo: Nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus *Roman. 8* postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quoniam secundum Deum postulat pro sanctis. Et ne dubium esset de quo spiritu loqueretur, iam supra dixerat: Non enim accepistis spiritū seruitutis iterum *Ibidem* in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba pater. Itaq; ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quoniam sumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut conglorificemur. Implet igitur spiritus sanctus organum suum, & tanquam fila chordarum tangit digitus Dei corda sanctorum. Qui ideo cùm die pentecostes in Apostolos plebemq; credentiū, sicut à domino fuerat promissus, influeret, in specie linguarum apparuit ignearum, & loquelis omnium nationum eos super quos insederat, fecit affari, ut dubium non esset per ipsius inspirationem utilem affectum, rationabilem sermonem animis fideliū ministrari: sicut ipse dominus discipulis suis insinuauit, & dixit: Cùm *Matth. 10* autē tradent uos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini. Nō enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris qui loquitur in uobis. Quod non in solo magnarū tribulationū tempore credamus fieri, sed etiā in pace præstari. Audiamus Apostolum definientem quòd ipsę quoq; cogitationes nostræ nisi à Deo nobis insitæ fuerint, rectæ esse non possint. Fiduciam, inquit, talem habe *2. Corint. 3* mus per Christū ad Deū, nō quòd sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficiētia nostra ex Deo est. Vnde cū sanctorū animis ex Deo sit ut illis meditatio, iusta petitio, efficax actio ex Deo sit, in fide firmitas, in tribulatione patientia, in persecutione uictoria, magna est in uera humilitate felicitas, cui Deus dilectio, Deus sapientia, Deus consiliū, Deus fortitudo est. Nec dubie ista subiectio iam ex magna parte in illius futuræ beatitudinis est constituta consortio, ubi Deus erit omnia in omnibus. *1. Corint. 15* Quod ideo in hac uita ad plenum non potest obtineri, quia nondum mortale nostrum *Galat. 5* induit immortalitatem, nec corruptio transijt in incorruptionem, caro adhuc cōtra spiritum, & contra carnem spiritus concupiscit. Nec inuenitur in ullo hominum tanta concordia, ut legi mentis lex quæ membris est insita, non repugnet. Propter quod ex omnium sanctorum persona accipitur quod Ioānes Apostolus ait: Si dixerimus quoniam *1. Ioan. 1* peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Cùm tamen idem ipse dicat: Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo *Ibidem* manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. Vtrunq; ergo uerum est: quia & nemo sine peccato est, in eo quòd nemo est sine lege peccati: & qui natus ex Deo, peccatum non facit, quia per legem mentis, id est per charitatem quæ Dei semen est, peccatum non facit. Charitas enim operit multitudinem peccatorum: & sine qua nul- *1. Pet. 4* lum prodest

Sap. 9 lum prodest bonum, per quam deletur omne peccatum. Dum igitur corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem: non quidem obtinetur, ut iam anima in omnibus Deus sit, quia nullus est sine tentationis stimulo, & sine mutabilitatis incerto. Sed quia omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminũ, sine dubio inde habetur uirtutum omnium portio, unde habebitur plenitudo: & tanto quisq; est beatior, deoq; con-

Iacob. 1

Psal. 33 iunctior, quanto plus in eo fuerit gratiæ diuinæ quàm actionis humanæ. Benedic itaq; domino in omni tempore, & laus eius in tuo ore sit semper. Anima autem tua non acquiescat nisi in domino laudari. Superbi quidem refragabuntur, sed mansueti hæc audient, & lætabuntur.

De inuentione corporum sanctorum Geruasij & Prothasij, diui Ambrosij episcopi ad sororem suam. Epistola LXXXV

Ominæ sorori, uitæ atq; oculis præferendæ, frater. Quia nihil sanctitatem
D tuam soleo eorum præterire quæ hic te gerantur absente, scias etiam sanctos martyres à nobis repertos. Nam cùm basilicã dedicassem, multi tan-
1 quã uno ore interpellare cœperant, dicentes: Sic in Romana basilica dedices? Respon-
2 di, faciam, si martyrum reliquias inuenero. Statimq; subijt ueluti cuiusdam ardor præsa-
3 gij. Quid multa? Dominus gratiam dedit, formidãtibus etiã clericis iussi eruderari teram eo loci qui est ante cancellos sanctorum Felicis atq; Naboris. Inueni signa conuenientia: adhibitis etiam quibus per nos manus imponenda foret, sic sancti martyres emi-
4 nere cœperunt, ut adhuc nobis silentibus arriperetur urna, & sterneretur prona ad lo-
5 cum sancti sepulchri. Inuenimus miræ magnitudinis uiros duos, ut prisca ætas ferebat.
6 Ossa omnia integra, sanguinis plurimum. Ingens concursus populi per totum illud biduum. Quid multa? Condiuimus integra, ad ordinem transtulimus, uespere iam incumbente ad basilicã. Fauste uenimus: ibi uigiliq; tota nocte, manus impositio. Sequenti die transtulimus ea in basilicam quam appellant Ambrosianam. Dum transferimus, cæcus sanatus est. Talis mihi ad populũ fuit sermo. Cùm tam effusam, tamq; inauditã considerarem conuentus uestri celebritatem, & diuinæ gratiæ munera quæ in sanctis martyribus refulserunt, imparem me, fateor, huic muneri iudicabam, nec fieri posse, ut sermone absoluerẽ, quod uix possimus animo intendere, oculis cõprehendere. Sed ubi sanctarũ legi cœpit series scripturarum, largitus est spiritus sanctus, qui locutus est in Prophetis,

Psal. 18 quo dignum aliquid tanto cœtu & expectatione uestra martyrumq; sanctorum meritis proferamus. Cœli enarrant, inquit, gloriã Dei. Cùm legitur hic Psalmus, occurrit quod non tam elementa materialia quàm cœlestia merita dignum Deo præconiũ deferre uideantur. Hodierna tamen fortuita lectione patuit qui cœli enarrant gloriã Dei. Aspicite ad dexteram meam, aspicite ad sinistram reliquias sacrosanctas, uidetis cœlestis conuersationis uiros spectantes animi sublimis trophea. Isti sunt cœli qui enarrant gloriam Dei. Hæc opera manuum eius quæ annunciat firmamentum. Non enim eos secularis illecebra, sed diuini operis gratia ad firmamẽtum sacratissimę passionis euexit. Multoq; ante morum uirtutumq; documentis annunciauit in his martyrium, quod aduersus lu-

Philip. 3 bricum seculi huius stabiles permanserunt. Cœlum erat Paulus, qui ait: Nostra conuer-
Marc. 3 satio in cœlis est. Cœli erãt Iacobus & Ioannes, deniq; filij tonitrui nũcupantur, & ideo quasi cœlum Ioannes uerbum apud Deum uidit. Ipse dominus Iesus perpetui luminis erat cœlum, cùm enarraret Dei gloriam, sed eam quam nemo antè cõspexerat. Et ideo

Ioann. 1 dixit: Deum nemo uidit unquam nisi unigenitus filius, qui est in sinu patris, enarrauit. Opera quoq; manuum Dei si quæris, audi Iob dicentem: Spiritus diuinus qui fecit. Et

Iob 26 ideo aduersus diaboli tentamenta firmatus, inoffensæ uestigium constantiæ reseruauit. Sed ueniamus ad reliqua. Dies, inquit, diei eructat uerbum. Ecce ueri dies, quos nulla
7 caligo noctis interpolat. Ecce ueri dies pleni luminis & fulgoris æterni, qui non perfunctorio sermone uerbum Dei, sed intimo corde eructarunt, in confessione cõstantes, in

Psal. 112 martyrio perseuerantes. Alius Psalmus lectus dicit: Quis sicut dominus Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? Respexit sanè humilia dominus, qui latentes sub ignobili cespite reliquias sanctorum suæ ecclesiæ reuelauit, quo-

Ibidem rum anima in cœlo, corpus in terra, suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem,

perem,quos uidetis ut eos cũ principibus populi sui collocarit. Principes populi quos alios nisi sanctos martyres æstimare debemus,quorum iam in numerum, diu ante igno rati Prothasius Gerualiusq; proferuntur, qui sterilem martyribus Ecclesiam Mediola- nensem,iam plurimorum matrem filiorum, lætari passionis propriæ fecerint & titulis, & exemplis? Nec hoc abhorreat à uera fide:Dies diei eructat uerbũ, anima animæ, ui- Psal.18
ta uitæ,resurrectio resurrectioni.Et nox nocti,indicat sciẽtiam,hoc est caro carni, quo-
rum passio ueram fidei scientiam omnibus indicauit.Bonæ noctes, noctes lucidæ quæ 1.Corint.15
habent stellas.Sicut enim stella à stella differt in claritate,ita & resurrectio mortuorum.
Non immerito autem plericq; hanc martyrum resurrectionem appellant. Videro tamen 8
utrum sibi an nobis certi martyres resurrexerunt.Cognouistis, imò uidistis ipsi multos à dæmonijs purgatos,Plurimos etiam ubi uestem sanctorum manibus contigerunt,ijs quibus laborabant debilitatibus absolutos, reparata uetusti corporis miracula, quo se per aduentum domini Iesu gratia terris maior infuderat,umbra quadam sanctorum cor
porum pleroscq; sanatos cernitis. Quanta oraria iactitantur? Quanta indumenta super 9
reliquias sacratissimas & tactu ipso medicabilia reposcũtur? Gaudent omnes extrema linea contingere,& qui contigerit,saluus erit.Gratias tibi domine Iesu quod hoc tem-
pore tales nobis sanctorum martyrum spiritus excitasti,quo Ecclesia tua præsidia maio
ra desiderat.Cognoscant omnes quales ego propugnatores requiram, qui propugna-
re possint,impugnare non soleant.Hos ego acquisiui tibi plebs sancta:qui prosint om-
nibus,nemini noceant.Tales ego ambio defensores,tales milites habeo.Quorum quo
maiora,eo tutiora patrocinia sunt.Horum etiam illis ipsis qui mihi inuident, opto præ-
sidia.Veniant ergo & uideant stipatores meos, talibus me armis ambiri non nego. Hi 10
in curribus,& hi in equis,nos autem in nomine domini Dei nostri magnificabimur.He Psal.19
lisæum scripturæ diuinæ series refert,cùm ab exercitu Syrorum esset obsessus, dixisse ti 4.Reg.6
menti seruulo,ne timeret,quia plures,inquit,pro nobis sunt,quàm cõtra nos. Et ut hoc
probaret,petisse, ut oculi Giezi aperirentur, quibus innumeros adesse uidit Prophetæ
exercitus Angelorum.Nos & si eos uidere non possumus, sentimus tamen. Erãt clausi 11
isti oculi quamdiu obruta sanctorum corpora delitescebant. Aperuit oculos nostros
dominus,uidemus auxilia quibus sumus sæpe defensi.non uidebamus hæc,sed habeba
mus tamen.Itaq; trepidantibus nobis quasi dixerit dominus: Aspicite quantos uobis
martyres dederim:ita reseratis oraculis gloriam domini speculamur,quæ est martyrum
passione præterita, & operatione præsens. Euasimus fratres, non mediocrem pudoris
sarcinam.patronos habebamus,& nesciebamus? Inuenimus unum hoc quo uideamur
præstare maioribus. Sanctorum martyrum cognitionem quam illi amiserunt, nos ade-
pti sumus. Eruuntur nobiles reliquiæ sepulchro ignobili, ostenduntur cœlo trophæa.
Sanguine tumulus madet,apparent cruores triumphales,notæ inuiolatæ,reliquiæ loco
suo & ordine repertæ,auulsum humeris caput.Nunc senes repetunt audisse se aliquan- 12
do horum martyrum nomina,titulumq; legisse.perdiderat ciuitas suos martyres, quę ra
puit alienos.Et si hoc Dei munus est, tamen gratiam quam temporibus sacerdotij mei
dominus Iesus tribuit,negare non possum:quia ipse martyr esse nequeo,hos uobis mar
tyres acquisiui. Succedant uictimæ triumphales in locum ubi Christus hostia est. Sed 13
ille super altare,qui pro omnibus passus est:isti sub altari,qui illius redempti sunt passio-
ne.Hunc ego locum prædestinaueram mihi. Dignum est enim ut ibi requiescat Sacer-
dos,ubi offerre consueuit.Sed cedo sacris uictimis dexteram portionem,locus iste mar
tyribus debebatur. Condamus ergo reliquias sacrosanctas, & dignis ædibus inueha-
mus,totumq; diem fida deuotione celebremus. Acclamauit populus ut in dominicum
differretur diem martyrum depositio:sed tãdem obtentum, ut sequenti fieret
die. Sequenti die talis mihi ad populum iterum sermo fuit:
Hesterno tractaui uersiculum &c.

Hunc habes infra in ordine Sermonũ 91 sub finẽ.

Quid de his Sermonibus iudicet Costerius, uide eius censuram in principio huius tomi positam.

SERMONVM DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI, iuxta ordinem temporum, quibus congruunt, Index.

De grano sinapis. Sermo I
Item de grano sinapis. II
De Psalmo uigesimoprimo. III
De camelo. IIII
Quòd simile sit regnũ Dei fermento. V
De margarita. VI
De eo quod scriptũ est: Reddite quæ sunt Dei Deo, & de militantibus. VII
De sabbato quo dominus manum aridam curauit. VIII
De unitate charitatis. IX
De eo quod scriptum est: Quis maior est in regno cœlorum. X
De mirabilibus. XI
De natali domini. XII
Item de natali domini. XIII
Item de natali domini. XIIII
Item de natali domini. XV
Item de natali domini. XVI
Increpatio de kalendis Ianuarijs. XVII
De sancta Epiphania. XVIII
Item de sancta Epiphania. XIX
Item de eodem. XX
Item de die sancto Epiphaniæ. XXI
Post Epiphaniam. XXII
De quadragesima. XXIII
Item de quadragesima. XXIIII
Item de quadragesima. XXV
Item de quadragesima. XXVI
De ieiunijs. XXVII
Exhortatio ad plebem, & de eo quod scriptũ est in Euangelio: Sicut fulgur coruscãs de cœlo, ita erit aduentus filij hominis, & de duob. in lecto uno. XXVIII
Item de eodem. XXIX
De eleemosyna. XXX
Item de eleemosyna. XXXI
De hospitalitate in Euangelio. XXXII
In tempore ieiunij nõ luxuriandum esse. XXXIII
De quadragesima. XXXIIII
De ieiunio domini in deserto, & quomodo nõ in solo pane uiuit homo. XXXV
Item de quadragesima. XXXVI
Item de eodem. XXXVII
Item de ieiunijs & quadragesima. xxxviij.
De ieiunijs & eleemosynis. XXXIX
De ieiunijs Niniuitarum. XL
De gratia baptismi. XLI
De hostibus carnalibus nõ metuendis, & post cibum gratias Deo referri debere. XLII
Item de eodem. XLIII
De sancto Latrone. XLIIII
Item de eodem. XLV
De pœnitentia Petri Apostoli. XLVI
De fide Petri Apostoli. XLVII
De sepultura domini. XLVIII
De accusato domino apud Pilatum, & de Susanna. XLIX
Item de eodem. L
De Iuda Scarioth. LI
De die sancto Paschæ. LII
De innouatione fidelium. LIII
Item de eodem. LIIII
De cruce Christi. LV
Item de cruce Christi. LVI
De sepulchro dñi nostri Iesu Christi. LVII
De Maria Magdalene. LVIII
De auaritia & Anania. LIX
De festo Pentecostes, & de Psalmo centesimonono. LX
Item de Pentecoste. LXI & LXII
De natali sancti Ioannis Baptistæ. LXIII
Item de eodem. LXIIII
Item de Ioanne Baptista. LXV
De natali sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. LXVI
Item de eodem. LXVII & LXVIII
De natali Eusebij, Vercellensis Episcopi. LXIX
Item de depositione sancti Eusebij. LXX
De natali sancti Laurentij leuitæ & martyris. LXXI
De natali sancti Cypriani. LXXII
Item de sancto Cypriano. LXXIII
De natali martyrum. LXXIIII
In natali sanctorũ Canti, Cantiani, & Cantianillæ. LXXV
De natali sanctorum Martyrum. LXXVI
De natali sanctorum Octauij, Aduentitij, & Solutoris Tauricorum. LXXVII
De eo quod Propheta ait ad filios Israel, Caupones uestri miscent aquam uino. LXXVIII
De eo quod dicit dominus in Euangelio, Vulpes foueas habent. LXXIX
Increpatio ad plebẽ, & de eo quod ait dominus,

minus, Qui habet, dabitur ei: & Cătauimus uobis, & nō ſaltaſtis: LXXX
De eo quod ſcriptū eſt in Euangelio, Hominis cuiuſdam diuitis uberes fructus ager attulit. LXXXI
De defectione lunæ. LXXXII
Increpatio ad populum de abſentia ſua. Sermo LXXXIII
Poſt increpationem conſolatio ad populum. LXXXIIII
De Barbaris non timendis. LXXXV
Item de eodem. LXXXVI
De ſancto propheta Heliſęo. LXXXVII
De bellico tumultu. LXXXVIII
De dedicatione baſilicæ. LXXXIX
De paſſione beatæ Agnetis. XC
De inuentione ſanctorū Geruaſij & Prothaſij. XCI
In natali ſanctorum martyrum Nazarij & & Celſi. XCII

FINIS INDICIS.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI SERMONES.

De grano ſinapis. Sermo I



IBENTER nos prædícare, & gratanter opus Dei facere manifeſtum eſt. Sed cùm uidemus plures è fratribus pigrius ad eccleſiam cōuenire, & dominicis præcipuè diebus minimè cœleſtibus intereſſe myſterijs, prædicamus inuiti: nō quo nos pigeat loqui, ſed quia negligentiores prædicatio noſtra grauet potius, nō emendet. Ideo inuiti loquimur, & tacere non poſſumus. Prędicatio enim noſtra in plebe aut regnum operatur, aut pœnam: regnum credulis, perfidis pœnam. Quiſquis enim frater dominicis non intereſt ſacramentis, neceſſariò apud Deum caſtrorum deſertor eſt diuinorum. Nam quomodo ſe excuſare poteſt qui ſacramentorū die prandiū ſibi domi prępараns, prandium cœleſte cōtemnit, & uentris curā faciens, animæ ſuæ negligit medicinā? Dicit dominus in ſancto Euangelio, ſicut lectio decurſa teſtatur: Cui ſimile eſt regnū Dei, & cui ſimile illud æſtimabo? Simile eſt grano ſinapis, quod acceptū homo miſit in hortū ſuum, & creuit, & facta eſt arbor, & uolucres cœli requieuerūt in ramis eius. Mouet fortaſſe ſenſus ueſtros cur regnum Dei tam præclarū atq; magnificū grano ſinapis exiguo cōparetur, & ſpei noſtræ tam grande ſolatiū, rei uiliſſimæ ſimile eſſe dicatur, preſertim cùm alibi idē dominus diſcipulis ſuis dicat: Si habueritis fidem ſicut granū ſinapis, dicetis huic mōti, tollere & iactare in mare & fiet. Igitur ſi fides tāta eſt, quæ poteſt ab ipſis ſedibus montiū fundamenta tranſferre, neceſſario ergo & granū ſinapis magnū eſt, ad cuius ſimilitudinē fidem habere cōpellimur. Magnū autem dixerim nō ſpecie, ſed uirtute, & fidei qualitate: nō oleri cōparandum, ſed uigore acrimoniæ coæquandū. Nam ſi diligenter intendamus, inuenimus recte à domino hāc ſimilitudinē cōparatā. Sicut enim granū ſinapis prima fronte ſpeciei ſuæ eſt paruū, uile, deſpectū, nō ſaporē præſtans, nō odorem circūferens, non indicās ſuauitatē: at ubi teri cœperit, ſtatim odorem ſuū fundit, acrimoniā exhibet, cibū flāmei ſaporis exhalat, & tāto feruoris calore ſuccenditur, ut mirū ſit in tam friuolis granis tantū ignem fuiſſe cōcluſum: cuius etiā ſeminis cibū homines hyemis præcipue tempore magna pro ſuauitate percipiūt, quatenus repellāt frigora, humores egerāt, uiſcerū interna calefaciāt: ſæpe etiā ex hoc capiti adhibent medicinā, ut ſi quid inualidū, ſi quid ægrotū fuerit, ſinapis igne curetur. Ita ergo & fides Chriſtiana prima fronte uidetur eſſe parua, uilis & tenuis, nō potentiā ſuā oſtendens, nō ſuperbiā præferens, nō gratiā ſubminiſtrans. At ubi diuerſis tētationibus teri cœperit, ſtatim uigorē ſuū prodit, acrimoniam indicat, cālorē dominicę credulitatis aſpirat: & tanto diuini ignis ardore ſactatur, ut & ipſa ferueat, & participātē ſibi ardere cōpellat: ſicut in ſancto Euāgelio Amaon & Cleophas dixerūt, dū cū ipſis poſt paſſionē dominus loquereī: Nónne cor noſtrū erat ardēs in nobis in uia, dum aperiret nobis dominus Ieſus ſcripturas? Ergo granū ſinapis membrorū uiſcera calefacit, fidei aūt uigor cordiū peccata cōburit. Et illud quidē aſperū algorē frigoris remouet, hęc aūt delictorū diabolicū frigus expellit. Sinapis inquā, granū

Hūc ſermonem habes etiā inter Auguſtinianos nēpe de ſancto Laurentio ſecundū, cuius ibi initium eſt, Dicit dominus in Euāgelio Luc. 13

Luc. 24

humores decoquit corporũ, fides aũt libidinũ fluẽta cõsumit. Et per illud medicina capiti procuratur, per fidem autem spirituale caput nostrũ, quod est Christus dominus, sępius refouetur. Sed & fidei iuxta cõparationem sinapis sancto odore perfruimur, sicut
2.Cor. 2 ait beatus Apostolus: Quoniã Christi bonus ordor sumus Deo. Igitur sanctũ martyrẽ Laurentiũ grano sinapis possumus cõparare, qui diuersis attritus passionibus, per totũ orbem gratiã meruit sui fragrare martyrij. Qui antea cõstitutus in corpore erat humilis, ignotus & uilis: posteaquã uexatus, laceratus, exustus est, uniuersis per totum mundum Ecclesijs odorem suæ nobilitatis infudit. Recte igitur huic cõparatio copulatur. Siquidem granum sinapis cùm teritur, accenditur: Laurentius cùm patitur, inflãmatur. Illud feruorem attritionis sue euomuit: hic ignem plurima uexatione suspirat. Sinapis, inquã, in uasculo calido uapore decoquitur: Laurẽtius in craticula flãmarum igne torretur. Ardebat itaq; extrinsecus beatus martyr tyranni sæuientis incendijs: sed maior illũ intrinsecus Christi amoris flamma torrebat. Et quãuis rex improbus ligna subijceret, incendia maiora supponeret: tamen sanctus Laurentius has flãmas fidei calore nõ sentit, & dum Christi prȩcepta cogitat, frigidum est illi omne quod patitur. Nec enim poterat uisceribus igniũ tormẽta sentire, qui sensibus paradisi refrigeria possidebat. Iacet licet ante pedes tyranni exusta caro, corpus exanime, nihil tamen detrimenti patitur in terris, cuius animus demoratur in cœlis. Extenditur ergo super flãmarum ignitos globos, & sæpius uersatur in latera: sed quanto plus pœnarũ patitur, tanto amplius Christũ dominũ pertimescit: nouo admirationis genere alius illũ torquet, & alij sæuientis tormenta proficiunt: deuotiorem Laurentium saluatori supplicia atrociora fecerunt.

Item de grano sinapis. Sermo II

Et hic est inter sermones Augustino falsò adscriptos, de sancto Laurentio quartus, qui illic sic incipit: Cui simile est regnum cœlorum &c.

S Vperiore dominica parabolã domini differentes in qua ait: Cui simile est regnum cœlorũ, & cui simile illud æstimabo? Simile est grano sinapis, &c. multa perstrinximus, quibus probaremus regnum Dei grano sinapis non immerito cõparari, & distantiã in sola esse æstimatione uerborũ, nõ in collatione uirtutum. Siquidem fides Christiana, quę regnũ est, eundem uigorem obtinet quẽ sinapis natura depromit. Nam sicut cùm sinapis succũ sumimus, uultu contristamur, fronte cõtrahimur, ad lachrymas promouemur, & ipsam salubritatẽ corporis nostri cũ quodã fletu austeritatis accipimus. Illinc enim nos amaritudo exasperat, acrimonia penetrat, hinc calor ignei saporis accendit, & toto perturbati corpore tunc magis sani efficimur, cùm amplius deploramus. Ita ergo & cùm fidei Christianæ mãdata percipimus, cõtristamur animo, affligimur corpore, ad lachrymas promouemur, & ipsam nostram salutem cum
Luc. 13 quodã fletu ac mœrore cõsequimur. Inde enim ieiunia nos exasperant, illinc peccatorũ cõscientia macerat: hinc patrimonij iactura cõturbat, & toto cõtristati habitu magis salutem cõsequimur, si amplius defleamus, secundũ quod ait dominus: Vos plorabitis &
Matth. 16 plangetis, seculũ autem gaudebit. Sicut autem cùm sinapi, caput forte curandum est, iubemur abrasos capillos demere, impedimenta cutis uniuersa deponere, ut nudo corpori perfectius medicina proueniat: ita & cùm anima per fidem curanda est, præcipimur substantiã à nobis seculi auferre, impedimenta auri argentiq; deponere, ut & nudæ & soli animæ cõgruentius spiritualis medicina cõueniat. Quisquis enim rebus mundi & diuitijs seculi obuolutus est, huic fidei medicina nõ proderit. Ergo quod succus sinapis in corpore, hoc fides Christiana operatur in anima. Sed quoniam in eadem dominica sen-
Luc. 13 tentia scriptũ est, Quod acceptũ homo misit in hortũ suũ, & creuit, & facta est arbor, & uolucres requieuerunt in ramis eius: diligentius requiramus quis iste sit cui hęc cuncta cõueniant. Diximus superius, sanctis martyribus, qui diuersis attriti sunt passionibus,
Ibidem naturã sinapis posse cõgruere. Sed quoniã dicit scriptura: Et excreuit, & facta est arbor, & uolucres requieuerunt in ramis eius: arbitror hoc ipsi Christo domino rectius cõparari, qui nascẽdo in homine humiliatus ut granũ est, ascẽdendo ad cœlũ exaltatus ut arbor est. Granũ plane Christus est dũ patitur, arbor est cũ resurgit. Granũ, inquã, est cùm famis esuriem sustinet: Arbor est cùm quinq; panibus saturat quinq; milia uirorum. Ibi sterilitatem humana cõditione patitur, hic satietatem propria diuinitate largitur. Granum autem dixerim dominũ cum cẽditur, contemnitur, increpatur: arborem autẽ, cùm cæcos illuminat, mortuos resuscitat, peccata cõdonat. Quod autem granum sit, ipse dicens in

cens in Euangelio ait:Nisi granum tritici cadens in terram mortuũ fuerit, ipsum solum manet.Huius igitur grani,hoc est domini saluatoris uelut sinapis acrimoniã atq; amaritudinem Iudæi minime sustinẽtes cõtempserunt succũ cœlestis disciplinæ accipere, dicentes illuminato illi cæco:Tu sis discipulus eius,nos autem Moysi discipuli sumus.Ipsi quoq; Moysi mãdata penitus ignorãtes,qui præcepit illis specialiter hanc amaritudinẽ comedendã:cùm paschæ illis celebrãdę sacramẽta disponeret,ait:Mãducabitis illud cũ amaritudine.pascha enim domini est.Nõ enim (sicut illi putãt) iussit herbarũ uiliũ acerrimos succos cũ assis agni carnibus mãducari:sed mandatorũ Christi utiliter amaros sermones præcepit cũ ipso sacramẽto passionis dominicę deuorari. Nónne enim amari uidentur sermones domini,cùm dicit:Si uis perfectus esse,relinque omnia tua,& ueni sequere me?& cũ dicit nõ habẽdas duas tunicas,neq; perã, neq; calceamẽta? Amaritudo ista sermonũ,medicina est animarũ.Quod aũt ait Euangeliũ, Quod acceptũ homo misit in hortũ suũ: quẽ esse hominẽ hunc putamus qui acceptũ granũ uelut sinapis granũ in suo horto seminauit?Ego illũ esse arbitror, de quo Euangelista refert:Ecce autem Ioseph qui erat decurio ab Arimathia, accessit ad Pilatũ,petens ut depositũ corpus domini sepeliret:quod acceptũ tradidit sepulturæ,quæ in horto fuerat prępparata.atq; ideo ait scriptura:Quod acceptũ homo misit in hortũ suũ. Ergo Ioseph hortus flosculorũ erat diuersis odoribus plenus:sed necdũ in eo tale germen inseuerat.Fragrabat quidẽ specialis animæ eius hortus uaria suauitate uirtutũ: sed necdũ Christũ cũ aromatibus in cordis sui secreto posuerat.Ita dum saluatorẽ in hortuli sui monumẽto sepelit,magis illũ in animæ suę intimis collocauit.Ramos aũt huius arboris si requiras,inuenies.Ramus est Petrus, ramus est Paulus, rami sunt omnes Apostoli uel Martyres,ad quos si quis se fortiter tenere uoluerit, fluctibus seculi minimè mergitur: quin potiùs sub umbra illorum latitans,gehennæ non patietur ardorem, securus à diabolicæ tempestatis procella.

Ioann. 12
Ibidem 9
Exod. 12
Matt. 19
Matth. 10
Luc. 13
Ibidem 23
Ibidem 13

De Psalmo uigesimoprimo. Sermo III

Sermo Maximi episcopi Taurinensis.

Psalmi qui lectus est seriem decursuri,diligenter prius debemus intendere quid in superscriptione contineat: ut cognita eius origine, intelligentiam ipsius facilius cõsequamur,& manifestato capite possint rectius membra distribui.Inscribitur enim ita:In finẽ pro susceptione matutina,Psalmus ipsi Dauid. Nisi fallor,susceptio matutina solis ortũ semper anteuenit,& prius quàm orbem radiorũ clarus splendor illuminet,matutinũ noctiũ tenebris terminum ponit,ac resoluta sensim caliginum cæcitate,rebus cũctis facies quædã ac lumen infunditur:Et cùm ueluti sub una materie tenebrarũ mundus in cõfusione iacuerit,interueniẽte matutino diuersa specierum uarietate distinguitur,hoc est,cùm omnia cæca fuerint,oculi omniũ reparãtur.nox enim quodãmodo aufert oculos mundo, aurora restituit: atq; ita antè matutina susceptione perfruimur, ut glorioſius postmodũ solis splendore potiamur. Sed quoniã sicut dicit Apostolus:Lex spiritualis est,& spiritualibus spiritualia cõparanda sunt:solem hic iustitiæ arbitror designari,hoc est Christũ dominum,qui nobis ignorantiæ tenebris, & peccatorũ cæcitate submersis, cœlestis doctrinæ suę lumen infudit,& quos nõ habebamus oculos cordis inseruit,& uelut radios quosdã Apostolos suos misit,qui nos de nocte teterrima delinquentię liberarent,& paulatim resolutis in nobis tenebris peccatorum,matutina susceptione cõsuescerent,ut perfecti facilius possimus tolerare solis ardorem,hoc est,primũ nos præceptis simplicioribus erudirẽt,quo capaciores efficerẽt cœlestium secretorũ.Huius itaq; solis iustitiæ matutino, peccatorũ caligo tota perimitur: sicut ipse Propheta ait ex persona domini: In matutinis interficiebã omnes peccatores terræ: hoc est,oriente in nobis sole iustitiæ,qui habitaculũ domini sumus, omnis cogitatio iniqua subuertitur. Cuius solis etiã beatus Salomon meminit ex persona reputantium sibi ac dicentiũ peccatorum:Sol non ortus est nobis,& iustitiæ lumen nõ luxit nobis.Hanc quoq; matutinã susceptionem in Euangelio sancto possumus adscribere Mariæ Magdalenæ,quæ maturè ac diluculo ad monumentum uigilans, saluatoris resurrectionem domini prima susceptit:Et clarescente mundi sole, solis iustitiæ ortũ præ omnibus sola cognouit,ac susceptione quidem matutina gauisa est diem redditũ, sed magis gauisa Christum à mortuis suscitatum: atq; in ipsa completa est prophetia: Ad uesperum demorabitur fletus, & ad matutinũ lætitia. Totus autem hic Psalmus digestus est

Rom. 7
Psal. 100
Sap. 5
Psal. 29

ex persona domini saluatoris: Quippe cùm plura de eo in nouo sint posita testamento.
Psal. 21 Dicit itaq; : Deus Deus meus respice in me, & reliqua. Quare assumpta hominis agit
causam, & interrogare quodãmodo uidetur, dicẽs: Deus omniũ, qui es Deus meus, cur
Esa. 53 me dereliquisti? nihil enim mihi cõscius sum. Secundũ prophetã enim nesciebat pecca-
1. Pet. 2 tum, nec erat dolus in ore eius. Hæc aũt dicit, ut manifestaret propter nos se esse derelictũ, quorũ peccata portabat: ac uidentes disceremus pro ipso sancto & iusto mori, cùm
pro peccatoribus ille moreretur. Denicq; hac uoce in passione usus est, sicut in Euãgelio
Psal. 21 legimus: Ely ely lãmazabathani? hoc est Deus Deus meus, quare me dereliquisti? Hac,
inquã, uoce usus est, ut quod prophetia annũciauerat, rei exitus approbaret. Et quoniã
Ibidem sequentia penè manifestata sunt, illũ inspiciamus uersiculũ, in quo ait: Ego aũt sum uermis, & non homo. Cur totius dominus creaturæ uermiculo se uoluerit cõparari. Possumus hoc quidẽ humilitati primitus assignare, quę sanctorũ uirtus est maxima, sicut sanctus Moyses ante Deũ animal se irrationale profitetur: Dauid pulicẽ se sæpe cõmemorat. Sed magis illud accipiendũ puto, quoniã uermis nulla extrinsecus admixtione alie
ni corporis, sed de sola & pura terra procreatur, ideo illũ cõparatũ domino: quoniam &
Exod. 16 ipse saluator de sola & pura Maria generatur. Legimus etiã in libris Moysi de mãna uermiculos procreatos. Digna plane & iusta cõparatio. Siquidẽ de manna uermiculus gignitur, & dominus Christus de Virgine procreatur. Quin potius ipsam Mariã mãna dixerim: quia est subtilis & splẽdida, suauis & uirgo, quæ uelut cœlitus ueniens, cũctis ec-
clesiarũ populis cibũ dulciorẽ melle defluxit. Quem qui edere aut mãducare neglexe-
Ioann. 6 rit, uitã in semetipso habere nõ poterit, sicut ipse dominus ait: Nisi quis manducauerit
meã carnẽ, & biberit meũ sanguinẽ, nõ habebit uitã in semetipso, sed potius ipse cibus
1. Corint. 11 in iudiciũ cõuertetur, sicut Apostolus dicit: Qui mãducat & bibit indigne, iudicium sibi mãducat. Quod filijs Israel subtiliter prophetatũ est in ueteri testamẽto. Mãna enim illis cõtra diuina præcepta tractãtibus, uermes effecti sunt: id est, contumaciæ ultores &
iudices. Quæ similitudo Christũ indicat dominũ: quem qui suauem cibũ & dulcem po-
Ioan. 5 tum haurire neglexerit, iudicẽ patietur, sicut ipse ait: Neq; enim ipse pater iudicat quẽquam, sed omne iudiciũ dedit filio. Nã quod idẽ sit uermis & iudex, alibi Propheta te-
Esaiæ 66 statur de peccatoribus dicens: Vermis eorũ nõ morietur, & ignis eorũ nõ extinguetur
Psal. 21 usq; in hodiernũ diem. Quod autem ait: Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestimentum meũ miserunt sortem: hoc factũ in Euãgelio reperimus, quod milites quatuor
Ioann. 19 qui crucifixerũt Saluatorẽ, in quatuor partes eius sibi diuiserũt uestimenta: Vestimentũ uero eius quod assutũ nõ erat, sed erat de superiori contextũ, forte perceperũt. Quæ igitur ista uestimenta sint, uideamus, qui milites, quódue etiã uestimentũ. Vestimenta esse puto prophetias uel scripturarũ cœlestiũ lectiones, quibus Christi domini annũciatum est sacramentũ, quas Prophetias unũ canentes, & unũ per omnia nũciantes, aduersarij saluatoris, hoc est peruersi hęretici, qui quotidie in illũ tanq; milites manus impias inge
runt, hoc est pro sua diuidunt sibi uolũtate, & unius corporis uestimenta per uaria mem
bra distribuũt, atq; spoliantes dominũ, sua falsa dogmata uestierũt. Vestimentũ aũt eius
quod nõ erat cõsutũ, sapientiã eius cœlestẽ possumus approbare, quia erat de superiori
cõtextum. Nostra enim sapientia, hoc est humana cõsuitur. Assuitur enim cùm liberos
damus ad studia grãmaticis, tradimus Philosophis, erudimus eos, ut sapiẽtia in illis quæ
nõ erat, acquiratur. Domini autem sapientia nõ assuta est, nõ quæsita. Nõ enim didicit à
Ibidem 7 magistro, sicut ipsi Iudæi dicũt: Quomodo hic literas nouit, cùm nõ didicerit? Et ipse dicat: Mea autem doctrina nõ est de hoc mũdo, sed eius qui me misit: hoc est quod ait de
superiori contextũ, quo uestimento uel quibus omnibus uestimẽtis Ecclesia catholica
Psal. 44 semper amicta est, sicut Propheta ait: Astitit regina à dextris tuis in uestitu deaurato.

De camelo. Sermo IIII

Matth. 19 Dicit in Euangelio dominus Iesus Christus: Amen dico uobis: Facilius est
D transire camelũ per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Quæ sententia uereor, ne forte uobis cõueniat, qui diuitias seculi huius aut habetis, aut quæritis. Sicut enim cameli animal quod est tortuosum atq; deforme, peruersitas ipsa corporis per angustissimam acus cauernam præterire non patitur: ita & diuites oneratos auaritia, & cupiditate fœdatos, ipsa uitę deformitas per artã uiam

regni

regni minimè introire permittit. Ait enim idem dominus: Arta & angusta uia est quæ ducit ad uitam. Igitur in camelo difficultatem quæstus præstat habitudo membrorum: In diuite autem impedimentum magnitudo efficit peccatorum. Gibbus enim quidam est animæ, turpe quid uel cogitare uel facere, ac mentis quædam tortuosa deformitas, immundis rebus semper intendere, & ab Ecclesiæ sancto limine curis secularibus auocari. Vnde mihi uidetur hanc deformitatem corporis Propheta spiritualiter elocutus, fœditatem morum potius indicasse, cùm dicit: Non glorietur gibberosus sicut rectus. Quasi si diceret: Non glorietur peccator uitiorum suorum prauitate distortus, sicut gloriatur iustus conscientiæ bonæ simplicitate directus. Quamuis enim ô peccator proceritate corporis gaudeas, quanuis scapularum tuarum æqualitate læteris: anima tamen tua morum prauitate deformis est. Recte ergo camelo cõparatus est diues. Siquidem illum à transitu acus corporis crassitudo reuocat: hunc ab ingressu Ecclesiæ patrimonij solicitudo detentat. Et sicut illum paruum foramen nõ capit oneratum mole membrorum: ita & hunc introitus sanctus non suscipit grauatum cumulo delictorũ. Vterq; habet propriam sarcinam suam. ille oneratus est carnibus, iste peccatis: & sicut ille inhabilis est angustissimæ acus cauernæ, ita & hic inconueniens est beatissimo Dei regno: nisi quod camelum corpore compositum natura, hunc autem prauum uolũtas efficit. Hæc autem dico fratres de ijs qui festiuissimam diem sanctę Epiphaniæ ne in Ecclesia procurarent, patrimoniorum suorum compedibus sunt detenti, & terreno quodam obligati sunt uinculo, ut uenire eis ad domum domini nõ liceret. Non quòd eos quippiam detinet, sed quòd ita proprijs sint actibus implicari, ut iam arbitrium uiuendi suæ potestatis amiserint: & dum solicitudinem patrimonijs exhibent, animarum medicinam penitus nõ requirũt. Quid mihi ô diues difficultatem temporis obijcis? Quid necessitatem ingeris repentinã? Si cor habes, intellige quia omni necessitate maior necessitas est salutis: & utilior est causa, prius curare uitam, tunc peculij damna sarcire: ne dum augmentum patrimonij quærimus, sentiamus animæ detrimentum. Sed forte iudicem metuis, quem in secretario reliquisti. Mihi crede quod magis Deũ iudicem metuere debebis, qui de ipso tuo iudice iudicabit. Illum ergo metuis qui mox accipiet successorem: dominum non metuis, cui nemo aliquando succedit? Considera itaq; iudicij imminentem diem, & inextinguibiles gehennæ flammas, stridorem horrẽdum dentium, tenebrarum ultimum cruciatum. Et si potest, relicta ecclesia secularibus solicitudinibus implicare. Vereor enim ne dum mundi diuitias quæritis, inueniatis potius diuitias peccatorum: & repertis thesauris seculi, cœlestes thesauros amittatis. Matt. 7

Quòd simile sit regnum Dei fermento. Sermo V

IPsi scitis fratres quòd ex qua die uobiscum esse cœpi, nõ cessaui omnibus uos dominicis admonere mandatis, & partim hortando, partim increpando præcepta uobis ingerere, ita ut pleriscq; pius pater fuerim: nonnullis autem durus magister extiterim. Patrem enim me sibi gratulatus est, quisquis sermonem meum libenter amplexus est: durum autem magistrum sensit, qui conscientiam suam prædicatione mea percussam esse condoluit. Sed nihil mea interest, dummodo siue pietate, siue censura Christus annuncietur in uobis: quamuis & ipsa censura sit pietas, quæ ideo circa negligentiores filios adhibetur, ut timore discant quod amore neglexerant. Non quòd omnes filios non æqualiter diligat pater, sed quòd indulgentia patris sit, pro diuersitate morum exhibere pietatis affectum: ut blandum filium exhortatione prouocet, contumacem uerò austeritate cõueniat, de utriusq; tamen correctione securus, quoniam hunc amore uerberat, illum seueritate castigat, sicut ait beatus Apostolus: Omnis quidem disciplina in præsenti non uidetur esse gaudij, sed mœroris: postea uerò fructum pacificum exercitatis per eam reddet iustitiæ. Igitur quoniam tot tractatibus meis profeciisse uos credo, libet quædam uobis diuinarum disserere literarum, ut intelligam quòd id quod dixerim, fidei uiuacitate capiatis. Ait dominus in sancto Euangelio: Cui simile æstimabo regnum Dei? Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina, donec fermentatum est totum. Fermenti uim atque uirtutem omnibus notam esse nõ dubium est. Nam cùm sit magnitudine paruum, specie simplex, natura cõmune, tantam fortitudinem intrinsecus gerit, ut cùm reconditum E Hebr. 12 Luc. 13

fuerit

fuerit in farina, ſuccus hoc totam maſſam faciat eſſe quod ipſe eſt, & ita ſemper uniuerſum cumulum aſperſionis ſuæ uigore diffundit, ut omnem ipſam magnitudinem pollinis faciat fermentum, ac ſic res ipſa fortitudine ſua molem ſibi proprij uigoris acquirit. Hoc autem faciunt mulieres ut uiris ſuis ſalubriorem panem, & cibum utilem diligenter exhibeant. Sed quoniam Lex ſpiritualis eſt, & Euangelium ſpiritualiter parabolarum ratione ſubſiſtit, uideamus quid ſit fermentum, quæ mulier, quid farina. Legimus in ſancto Euangelio, dicente domino Chriſto de ſeipſo: Niſi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ergo ſi triticum dominus, & dominus eſt fermentum, quia fermentum non niſi de tritico fieri ſolet: recte ergo fermento dominus comparatur, qui cùm eſſet ſpecie homo, humilitate paruus, imbecillitate deiectus, tanta intrinſecus ſapientiæ uirtute pollebat, ut doctrinam ipſius mundus ipſe uix caperet, qui cum ſe cœpit per totum orbem diuinitatis uigore diffundere, ſtatim omne hominum genus in ſubſtantiam ſuam ſui poteſtate protraxit, ut & iugum ſpiritus ſui ſancti infunderet omnibus, hoc eſt Chriſtianos cunctos faceret eſſe quod Chriſtus eſt. Nam quòd homo dominus Ieſus unus & ſolus eſſet in mundo, tanquam fermentum in maſſa reconditum, uniuerſos homines præſtitit eſſe quod ipſe eſt. Quiſquis igitur illi fermento Chriſti adhæſerit, efficitur & ipſe fermentum, tam ſibi utilis, quàm idoneus uniuerſis, & de ſua certus ſalute, & de aliorum acquiſitione ſecurus. Sicut igitur fermentum cùm in cumulum cõſpergendum eſt farinarum, confringitur, cõminuitur, diſſipatur, & ipſum omne diſſoluitur, ut diſperſam illam farinæ multitudinem in unum uigorem conſtringat, atq; in ſolidum corpus redigat, quod in pulueris modum ipſa deminutione languebat, faciatq; coniunctione ſui utilem maſſam, quod propria diſſolutione uidebatur inutile: ſic ergo & dominus Ieſus Chriſtus cùm eſſet totius mundi fermentum, diuerſis paſſionibus confractus, laceratus, & diſſolutus eſt, & ſuccus eius pro ſalute noſtra, qui eſt precioſus ſanguis, effuſus eſt, ut admixtione ſui omne genus humanum ſolidaret, quod per diuerſa antra reſolutum iacebat. Sic enim uelut fermentum quoddam nos qui farina ex gentibus uidebamur eſſe, adhæſimus. Nos, inquam, qui per totum orbem diſperſi & deminuti penitus iacebamus, uigore paſſionis Chriſti in ipſius corpus redacti ſumus, ſicut beatus Apoſtolus ait: Quoniam ſumus corpus Chriſti, & membra. Nos igitur qui ex nationibus in pulueris modum è terræ facie iactabamur, aſperſione ſanguinis domini in maſſam ſolíditatis eius aggregamur. Mulier autem quæ dicitur abſcondere in farina fermentũ quæ eſt, niſi ſancta Eccleſia quę quotidie doctrinam Chriſti in cordibus noſtris conatur abſcondere? Ipſa inquam, eſt mulier quæ in alio loco etiam molere dicitur, ſicut ait dominus: Erunt duæ molentes, una aſſumetur, & una relinquetur. Molit enim ſancta Eccleſia per Legem, per Apoſtolos, per Prophetas, cùm catechumenos facit, & aſperitatem gentilitatis diſſipat atq; cõminuit, ut emolitos eos in farinæ modũ aptos faciat fermento dominici ſanguinis adhærere. Fermentum enim dixerim totam domini paſſionem. Fermentum enim ſalutis noſtræ eſt ſymbolũ, ſine quo fermento uel ſymbolo nemo poteſt uitæ æternæ ſubſtãtiam promereri. Et quia duas Euangeliũ deſcribit molentes, atq; unam Eccleſiam diximus ſalubriter molere, alteram quam niſi ſynagogam accipere debemus? Molit enim & ipſa per Moyſen & Prophetas: ſed inutiliter molit, ſicut dicit Apoſtolus de Iudæis: Aemulationem Dei habent, ſed nõ ſecundum ſcientiam. Inutiliter, inquam, molit ſynagoga, quia maſſam ſuam Chriſti doctrina non temperat. Atq; ideo euitandum præcepit ſynagogæ dominus eſſe fermentũ, dicens: Cauete uos à fermento Phariſæorum. Temperatum eſt enim ſanguinibus & crudelitatibus Iudæorum dicentium de domino: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Vnde ait Euangelium: Erunt duæ molentes, una aſſumetur, & una relinquetur. Aſſumetur enim in requiem ęternam ſancta Eccleſia, quæ domino cibum ſanctitatis emoluit. Relinquetur ad molas cruenta ſynagoga gyrum ſemper paſſura ſuæ perfidiæ.

Roman. 7

Ioann. 12

Ephes. 5

Matth. 24

Roman. 10

Matth. 16

Ibidem 27 & 24

De margarita. Sermo VI

Atis ad correctionem neſtram arbitror poſſe ſufficere fratres dilecti, quòd anteriore dominica profecturus, nulla uobis ſacrarum literarum ſpiritualia dona largitus ſum, ſed tantum uos increpans & arguens pro peccato,

§

peccato, sine aliqua prædicationis consolatione dimiserim. Volui enim uos hoc ipsum intelligere quàm grauiter peccaueritis, quòd diuina eloquia audire minime meruistis. Hæc enim sacerdotum uehemens & copiosa uindicta est, indignis quibusq; literarum cœlestium sacramenta non credere, nec (sicut ait dominus) dare sanctũ canibus, neq; *Matt.7* margaritas proijcere porcorum pedibus inculcandas. Perdit enim cœlestis margaritæ gratiam quisquis eam fœdissimo peccatori circundare conatur. Gemma enim, sicut ipsi scitis, nisi auro non conuenit, margarita nisi preciosis monilibus non aptatur. Estote ergo aurum optimũ, estote monile precioſum, ut possit in uobis margarita spiritualis in- *Ibid.13* cludi. Margarita enim Christus est dominus, quã negociator ille diues in Euãgelio uen ditis omnibus rebus suis emere festinauit, & maluit omnes quas habebat seculi gemmas amittere, tantum ut unam Christi emeret margaritam. Vnde & ego fratres pro magnitudine quod admiseratis delicti, nolui uobis pandere Euangelicæ refectionis eloquia, sed magis ingerere animosæ indignationis iniuriam, & prius uos uerberibus spiritualibus emendare, ac sic margaritæ ditare muneribus. Malui inquã peccatum uestrum incusando acriter increpare, quàm leniter dissimulãdo nutrire. Quisquis enim fratrem non arguit peccãtem, quodammodo hortatur ut peccet. Nolo autem putetis quod nõ de amore faciam uos sæpius uerberando. Filius enim qui castigatione dignus est, plus amatur, sicut ait scriptura sancta: Quem enim diligit dominus, corripit: castigat autem *Prouerb.3* omnem filium quem recipit. Dicite mihi si non dolendum fuerit hoc peccatum, sic uos *Hebr.12* salutis immemores tunc fuisse, ut beatissimis Apostolis Petro & Paulo honorificentiam minime reddideritis, cùm ipsos esse sciatis doctores gentium, authores martyrum, principes sacerdotum, nec uolueritis eorum natalem nobiscum festiuissimum celebrare, atq; illi cœlesti interesse conuiuio, in quo pro martyrum tanta lætitia, substantiã uitæ ipse nobis dominus ministrauit? Vultis autem scire quantis bonis fraudati fueritis? Interrogate fratres qui tunc mecum pariter affuerunt, quàm refecti à dominica mensa discesserint, uel quales secum domum spirituales diuitias reportauerint. Vnum scio, quòd si quis illa die honoratus aut diues ob natalem filij sui ad decimum usq; miliarium ad prandium rogauisset, propter accuratas epulas, & inæquales mensuras, absq; dubio uos ituros fuisse. Igitur fratres quotienscunq; martyrum memoriam celebramus, prætermissis omnibus seculi actibus sine aliqua dubitatione concurrere debemus, reddere illis honorificentiam qui nobis salutem profusione sui sanguinis pepererunt, qui tam sacrata hostia pro nostra propitiatione domino sunt oblati, præsertim cùm dicat ad sanctos suos omnipotens Deus: Qui uos honorat, me honorat: & qui uos spernit, me *Luc.10* spernit. Quisquis ergo honorat martyres, honorat & Christum: & qui spernit sanctos, spernit & dominum.

De eo quod scriptum est: Reddite quæ Dei sunt, Deo: & de militantib. Sermo VII

Hic est etiã inter sermones D. Aug. de uerbis domini nu.19. quamuis nec illius sit.

NOnnulli fratres qui aut militiæ cingulo detinentur, aut in actu sunt publico constituti, cum peccant grauiter, hac solent à peccatis suis prima se uoce excusare, quod militant: & ne bene aliquando faciant, occupatos se malis actibus conqueruntur: perinde quasi militia hominum non uoluntas in culpa sit: Ita quod ipsi gerunt, officijs suis adscribunt. Non enim militare delictum est, sed propter prædam militare peccatum est. Nec rempublicam gerere criminosum est: sed ideo agere rempublicam, ut rem familiarem potius augeas, uidetur esse damnabile. Propterea enim prouidentia quadam militantibus sunt stipendia cõstituta: ne dum sumptus quæritur, preda grassetur. Illud autem quale est quod cùm ob errorem aliquem à senioribus arguuntur, & imputatur alicui de illis cur ebrius fuerit, cur res alienas peruaserit, eçdem cur turbulentus admiserit, statim respondeat: Quid habebam facere homo secularis aut miles? nunquid monachum sum professus aut clericum? Quasi omnis qui clericus non est aut monachus, possit ei licere quod nõ licet. Cunctis igitur officijs sacris literis præscribitur norma uiuendi, omnis ad bene uiuendum prouocatur sexus, ætas & dignitas. Igitur nemo se publicis excuset actibus, nemo de occupatione militiæ conqueratur. Apud omnem Christianum prima honestatis debet esse militia. Nam ut id quod dicimus, authoritate Euangelica comprobemus, uideamus lectionem quæ paulò ante decursa est. Ait enim Euangelium: Venerunt autem & publicani ad Ioannem, ut

baptizarentur

baptizarentur ab eo,& dixerunt ad eum: Magiſter,quid faciemus? At ille dixit: Nihil amplius exigatis quàm quod conſtitutum eſt uobis. Honeſta planè publicanorũ interrogatio,ac ſancti Prophetę iuſta reſponſio. Illi enim ſolicite interrogant,ne aut ignorantes plus exigendo peccatum incidant,aut ceſſantes publicã decipiant functionem. Hic autem moderate præcipit,ut & iniquitas locum non habeat,& conſtitutum habeat uectigal effectum. Non enim dixit: Nihil exigatis,ſed nihil amplius exigatis. Vnde intelligimus quod apud Deum non tam exactio quàm exactio iniqua damnetur. Dicit enim
Matth. 22 ipſe dominus: Reddite quæ Dei ſunt, Deo: & quæ Cæſaris, Cæſari. Igitur quod Cæſar præcipit,ferendũ eſt: quod Imperator indicit,tolerandum eſt. Sed fit intolerabile dũ illud præda exactionis accumulat. Hoc autem quale eſt quod ijdem ipſi qui huiuſmodi neceſſitates procurant,peccatis ſuis peccata cõgeminant, hoc eſt quod fraudes ſuas ac rapinas cõmodum uocant,cùm ipſa præda inferatur incõmodum? Illud autem addunt ſceleribus ſuis,ut quos indefenſos uiderint, ipſos potius perſequãtur: & putãt ſe neceſſitates decepiſſe publicas,niſi domos deceperint orphanorũ: Ita quorum pater ante biduum forſitan fuerit amicus,collega,uel frater, interueniente morte eiuſdem liberi habeantur tanquã ignoti,uiles & miſeri. Vidua autem ſiqua fuerit,aut ſic iniurijs exagitatur ut nubat,aut ſi uoluerit in caſtitatis permanere propoſito, dando munera facultates uix permanent. Cùm his ergo fraudibus repleuerit ſacculos ſuos, uideas illos lætos & accuratos ad eccleſiam properare, & Deo gratias agere quaſi ab ipſo illis hæc pecunia cõferatur,illud quoq; peccantes,quod rapinarum ſuarum Deũ uolunt eſſe participem. Dicit autem ſanctum Euangelium: Interrogauerunt illum & milites: Quid faciemus & nos? Ait illis Ioannes: Neminem cõcutiatis,neq; calumniam faciatis: ſed cõtenti eſtote
Luc. 3 ſtipendijs ueſtris. Hic iam cognoſcere ſe debet omnis homo qui militat. Non enim tantum de ijs militantibus ſcriptura loquitur,qui armata militia detinẽtur, ſed quiſquis militiæ ſuæ cingulo utitur, dignitatis ſuæ miles adſcribitur. Atq; ideo hæc ſententia poteſt dici,uerbi gratia,militibus,protectoribus cunctiſq; rectoribus. Quicunq; ſtipendia ſibi publicè decreta cõſequitur,ſi amplius quærit, tanquam calumniator & cõcuſſor Ioannis ſententia cõdemnatur. Vſq; adeo autem hoc inoleuit malum, ut iam quaſi ex cõſuetudine uendantur leges, corrumpantur iura,ſententia ipſa uenalis ſit,& nulla iam cauſa poſſit eſſe ſine cauſa. Hæc autem diuina ſententia,quæ ad milites loquitur,poteſt etiam ad clericos retorqueri: quia etiamſi nõ militare uideamur ſeculo, tamẽ Deo & domino
2. Timot. 2 militamus,ſicut ait Apoſtolus: Nemo militans Deo,obligat ſe negocijs ſecularibus. Videmur inquã nõ militare remiſſis ac fluentibus tunicis,ſed habemus militiæ noſtrę cingulum,quo caſtimonię interiora cõſtringimus: de quo cingulo dominus ait ad Apoſto
Luc. 12 los ſuos: Sint lumbi ueſtri præcincti,& lucernæ ardentes in manibus ueſtris. Milites igitur Chriſti ſumus,& ſtipendiũ ab ipſo donatiuumq; percepimus,ſicut dicit beatus Apo
2. Cor. 1 ſtolus: Qui dedit nobis pignus ſpiritus,hoc eſt,qui ſpiritus ſancti nos remuneratione dignatus eſt. Si quis ergo Chriſtianorum hoc donatiuo contentus forte nõ fuerit,& quærit amplius: incipit hoc ipſo carere quod meruit. Quod ſpecialiter contingit hæreticis Arrianis: Dum enim neſcio quid amplius quærunt,inuenientes erroris ſpiritũ, gratiam ſancti ſpiritus perdiderunt. Nã & catholicus clericus hac ſententia retinetur. Si enim nõ contentus ſtipendijs fuerit quæ de altario domino iubente cõſequitur, ſed exercet mercimonia,interceſſiones uendit,uiduarũ munera libenter amplectitur: hic negociator magis poteſt uideri quàm clericus. Nec dicere poſſumus,nemo nos inuaſores arguit, uiolentiæ nullus accuſat,quaſi nõ interdum maiorem prædam à uidua blandimentis elicĭant,quàm tormenta. Nec intereſt apud Deum utrum ui an circũuentione quis res alienas occupet, dummodo quoquo pacto teneat alienum.

De ſabbato quo dominus manum aridam curauit. Sermo VIII

Diligenter uos audiſſe credo fratres Euangelicam lectionem quæ nuper lecta eſt,ubi dominus Ieſus Chriſtus ingreſſus ſabbato ſynagogam, homi-
Luc. 6 nis ibi habentis manum aridam,ſpirituali medicina curauit, non appoſitis herbarum ſuccis, non pigmentorum medicaminibus colligatis,ſed uerbo iubens,& in ira præcipiens refudit corpori ſanitatem. Ira inquam, ſicut ait Euangeliſta, reſtituit uigorem dexteræ. Vnde intelligimus qualis dominicæ benignitatis ſit ſanitas, cuius indignationis

dignationis talis est medicina: aut quemadmodum placatus prodest, qui ita miseretur iratus. Verbo igitur iubet ut arenti dexteræ uenarum succos infunderet. Non mirum est si is arentem reparauit dexteram, qui totum corpus de arenti puluere procreauit, & id uerbi imperio restituit, quod in principio factura operationis instituit: uelut authorem suum plasma cognoscens obsequitur ei portiuncula, cui totum se deberet in massa. Sed uideamus quæ sit in synagoga manus arida, quæ nihil corpori prodest, quando operibus siccauit, quãdo etiam primum arida esse cœperit, requiramus. Non enim unius hominis tantum per saluatorem causa geritur, nec unius hominis imbecillitas procuratur, sed totius generis humani sanatur infirmitas. Nulli autem dubium est dexteram uel totius corporis præclariorem portionem hoc officij gerere, ut diurna alimenta suo corpori subministret, & prouidentia quadam ad fruendam uitam membra cætera pascat ac nutriat. Hanc igitur dexteram in Iudaico populo scribas esse dixerim, uel doctores, qui uelut præclarior portio in phariseorum corpore à domino constituti, neglexerunt & in cætera membra sua Prophetarum oracula uelut escam uitæ æternæ porrigere, atq; ideo doctrina eorum tanquam manus aruit imbecillis, quia fontem perennis sapientiæ non quæsiuit. Propterea denicq; factum est ut quasi contracta dextera clauem scientiæ tenere non posset, sicut ait dominus: Væ uobis scribæ & pharisæi qui absconditis clauem scientiæ, & reliqua. Hæc autem clauis Christus est dominus, quo ad credulitatem fidei pectorum arcana referantur. Ista clauis, sicut ait dominus Petro: Tibi dabo clauẽ regni cœlorum. Ergo aruit dextera synagogæ manus, relinquens Christus, quæ prius erat in principibus Iudæorum, & deteriorauit. Quisquis enim Christi fontem deserit, & debilitatur protinus, & arescit. Sed inuenio ipsam manum quondam cæteris membris fuisse meliorem. Sanctus enim Moyses dux Iudaici populi, uelut clarior corporis sui dextera fuit cùm legem porrigendam meruit à diuinitate percipere. Dextera inquam erat sanctus Moyses, qui filios Israel uelut manu prouida cœlesti manna nutrijt. Hæc plane est dextera quæ Iamnem & Mambrem magos niuei splendoris nitore conuicit. Ita enim scriptum habes. Atq; ideo magorum distinctæ sunt tenebræ, quia Moysi meritis lucens dextera coruscabat. Sed uideamus, manus ista quando primùm arida cœperit esse uel mortua. Ergo illam primùm in Adam aruisse confirmo, cùm contra uetitum domini interdictæ arboris poma decerpsit, ac tunc succum immortalitatis amisit. Et siccata quodammodo est, quando hominem ad imaginem Dei factum peccato suo solui facit in puluerem. Atq; utinam sola manus in peccato teneretur obnoxia: quod est grauius, omne corpus morte damnatum est, cùm dextera prima peccauerit. Nec mireris si membrum dexteræ in Adam non mansit integrum: uigor enim in illa æternitatis exaruit. Nam sicut Moysi dextera custodientis mandata domini niueo fulgore resplenduit, ita & Adæ dextera præuaricantis præcepta mortifero pallore contacta est. Hanc igitur Adæ manum saluator curat in synagoga, hoc est totius generis humani imbecillitatem sanare festinat. Dicit etiam illi: Extende manum tuam, qui eam idolis immolando contraxit. Dicit illi: Extende manum tuam, qui per eam res orphanorum uiduarumq; gestit inuadere. Sed & tu qui putas te manum habere, & sanam, caue ne auaritia contrahatur. Quin potius extende eam pro misericordia frequenter ad pauperem, pro hospitalitate sæpius ad peregrinũ. Extende eam pro peccatis semper ad dominum. Esto misericors, esto largus. Obserua quod ait Propheta: Ne sit manus tua ad accipiendum porrecta, ad erogandũ cõtracta. Sic enim manus tua sana esse poterit, bonis uero operib. extẽdatur.

Luc. 11

Matth. 16

2. Tim. 3

Galat. 3

Luc. 6

Sermo Maximi episcopi. De auaritia, & de eo quod scriptũ est: Erant eis omnia cõmunia. Reperitur & inter sermones August. de Verbis Apostoli. nu. 25. quãuis illius non sit.

De unitate charitatis. Sermo IX

LEgimus in libro qui Apostolorum actibus adscribitur, tantam sub memoratis uiris deuotionem plebis fuisse, ita populi Christiani floruisse primitias, ut post acceptam fidem nemo domum propriam sibi defenderet, & nemo suum aliquid uindicaret, sed iure fraternitatis essent illis cuncta cõmunia: scilicet ut qui eodem consortio religionis tenebantur, eodem consortio fruerentur & uita, hoc est ut quibus erat una fides, esset & una substantia: & quibus erat cõmunis Christus, cõmunis esset & sumptus. Nephas etenim putabant religiosi uiri eum sibi participem non ascisscere in substantia, qui particeps esset in gratia: atq; ideo in charitate fraternitatis omnes cõmuniter utebantur, nisi quod maior est fraternitas Christi quàm sanguinis.

Sanguinis enim fraternitas similitudinem tantũmodo corporis refert, Christi autem fra-
Act. 4 ternitas unanimitatem cordis animæq; demonstrat, sicut scriptum est: Erat autem cre-
dentium cor atq; anima una. Vere ergo ille frater est, qui tam corpore quàm unanimi-
tate germanus est. Verus inquam frater est, cuius idem spiritus & uoluntas in fratre est.
Melior igitur est (sicut dixi) fraternitate sanguinis, Christi fraternitas: nam illa inter-
dum sibi inimica est, Christi autem fraternitas sine intermissione pacifica est. Illa inter se
cõmunia cum æmulatione diuidit, hæc etiam propria cum gratulatione cõmunicat. Illa
in consortio despicit sæpe germanum, hæc assumit frequenter alienum. Tanta ergo, si-
cut dixi, illo in tempore Christianæ plebis deuotio fuit, ut nemo domum suam diceret,
Ibidem nemo proprium aliquid uindicaret, sicut ait sanctus Lucas, dicens: Nemo quicquam ex
eo quod possidebat, suum proprium esse dicebat, sed erant illis omnia cõmunia: Nec e-
nim quisquam inquit erat egens inter ipsos. Beata igitur plebs, quæ dum plures diuites
habet in Christo, nullum in seculo habet indigentem: & quæ dum æternas cogitat diui-
tias, à fratribus temporalem repulit paupertatem. Vendebant enim, sicut ait Scriptura,
prædia & domos suas, & precia uenditorum ante pedes Apostolorũ ponebant, ut ero-
garetur prout cuiq; opus erat. Videte sanctorum uirorum fidem, quemadmodum pro-
pter Christum toto se expoliabant patrimonio, & nihil sibi reliqui faciebant. Non enim
uerebantur ne esurirent ipsi, dum timebant ne alius esuriret. Hæc igitur sub Apostolis
fuit in plebe deuotio: modo quid simile reperimus? Et certe idẽ Christus in nobis. Idem
quidem Christus in nobis, sed non idem animus est in nobis. Eadem in plebe fides, sed
non in plebe est ipsa largitio. Ita alter de alterius inopia non cogitat, ut illud sit quod di-
1. Corint. 11 cit Apostolus: Alius quidem esurit, alius ebrius est. Nam pleriq; Christiani non solum
propria non distribuunt, sed etiam diripiunt aliena. Non solum inquam colligentes pe-
cunias suas, ad pedes Apostolorum non deferunt, sed etiam confugientes fratres suos
protrahunt à pedibus sacerdotum. Nunc est illud tempus quod describit beatus Apo-
Matth. 24 stolus dicens: In nouissimis diebus abundabit iniquitas multorum, & refrigescet chari-
tas. Modo enim abundat auaritiæ iniquitas, quæ antè largitatis bonitate cessabat: & re-
frigescit fraternitatis charitas, quæ prius Christi amore feruebat. Tunc enim sub Apo-
stolis fraternitatis dilectio fuit, ut tunc in conuentu suo non aduenerit indigentia: tanta
autem modo Christianitatis dissimulatio est, ut in cœtu nostro uix inuenias locupletẽ.
Locupletem autem uix inueniri dico, non tam facultatibus, sed operibus. Ait enim A-
1. Tim. 6 postolus: Diuites sint in operibus bonis. Locupletem autem illum in Ecclesia intelligi
uoluit, qui diues est in Christo. Nam & ibi quod ait sub Apostolis, neminem indigen-
tem fuisse, ostendit utiq; tanta eos gratia fidei fuisse præditos, ut omnes cœlestium diui-
tiarum abundauerint largitate. Raro igitur hoc tempore inuenimus in Christiano popu
lo locupletem. Et si pleriq; in domibus auro sint diuites, tamen in Ecclesia iustitia sunt
mendici. Dum enim circa pauperes non pro eo quod præualent, operãtur, nec hoc est
gratum quod offerũt, nec illud est satiabile quod reseruãt. Dixit dominus ad Cain cùm
Genes. 2 offerret munera: Si aũt recte offeras, recte aũt nõ diuidas: peccasti, quiesce. Sic et tu Chri
stianę nõ recte diuidis, qui de tanto auro tuo maiorẽ partem mãmonæ reseruas, quàm
Act. 5 domino largiaris. Sic nanq; Ananias in actibus Apostolorũ dũ putat se recte offerre &
nõ recte diuidit: pecuniã quã obtulit, perdidit: & quã domi reseruauit, amisit. Pecuniã
inquã pariter perdidit & salutem. Dum enim ex eo quod promiserat, partẽ subtrahit, sa-
crilegij simul cõdemnatur & fraudis. Sacrilegij, quod Deum in pollicitatione fefellerit:
Fraudis, quod de integris muneribus portionẽ quandã putauerit subtrahẽdã. Ait enim
Ibidem Apostolus Petrus: Nõ es mentitus hominibus, sed Deo. Si ergo, fratres, Ananias con-
dẽnatur quod nõ totũ dederit q̃ de suo ipse promiserat, quid cẽsemus de eo qui nõ uult
reddere q̃ alijs repromisit? Videte ergo & uos fratres quid ꝓmiseritis Deo, cùm primũ
gratiã fidei percepistis. Ecce abundãt in ciuitate nostra hospites siue peregrini: facite q̃
polliciti estis, ne dicat & uobis q̃ Ananię dictũ est: Non mẽtiti estis homĩib. sed Deo.

De eo quod scriptum est: Quis maior est in regno cœlorum. Sermo x.

Sermo beati Maximi epi scopi. S I diligenter audistis Euangelicam lectionem, intelligere potestis quæ mi-
nistris ac sacerdotibus Dei reuerentia debeatur, uel qua ipsos clericos in-
uicem humilitatis sedulitate se oporteat præuenire. Ait enim dominus

percontantibus

percontantibus discipulis quis eorum in regno cœlorum maior esset futurus, statuto coram omnibus puerulo: Quicunq; humiliauerit se sicut puer iste, hic maior erit in regno cœlorum. Vnde intelligimus quòd humilitate peruenitur ad regnum, simplicitate penetratur ad cœlum. Quisquis ergo cupit diuinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur. Quicunq; uult fratrem præuenire regnando, prius præueniat obsequendo, sicut ait Apostolus: Honore inuicem præuenientes. Vincat eum officijs, ut possit uincere sanctate. Si enim te non læsit frater, obsequium meretur ut diligas. Quòd si forsitan læsit, magis obsequium meretur ut uincas. Hæc enim nostræ Christianitatis summa est: ut amantibus uicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus. Qui ergo fuerit patientior ad iniuriam, potentior constituetur in regno. Non enim ad imperium cœlorum peruenitur superbia, diuitijs, præfectura: sed humilitate, pauperie, lenitate. Arcta enim & angusta uia est quæ ducit ad regnum. Quisquis ergo honoribus inflatus fuerit, & auri thesauris dilatatus, tanquam onustum & impeditum animal per angustum regni iter transire non poterit. Simul etiam ut se existimat peruenisse, sarcinam eius exigua porta non capiens, repercusso limine retrorsum redire cogit. Tam enim angusta est diuiti porta cœlestis, quàm est camelo acus foramen exiguum. Vnde ait dominus: Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Sicut enim cameli animal tortuosum atq; deforme exigua acus cauerna præterire non patitur: ita & diuitem auarum atq; mẽdacem arcta cœli ianua minimè intrare permittit. Nam ideo nudi in seculi nascimur, nudi etiam accedimus ad lauacrum: ut nudi quoq; & expediti ad cœli ianuam properemus. Quàm autem incongruum & absurdum est ut quem nudum mater genuit, nudum suscipit Ecclesia: diues intrare uelit in cœlum? Propterea adolescenti illi diuiti in Euangelio à saluatore dicitur, qui sibi iustus uidebatur & sanctus, & omnia legis mandata complesse: Si uis perfectus esse, uende omnia tua, & da pauperibus. Vsq; adeo enim nuda uirtus apta cœlo est, ut quanuis iustus, quanuis sanctus, aurũ uel diuitias possidens, non possit esse perfectus. Talem enim uoluit adolescentem illum dominus ad paradisum redire, qualis Adam fuerat de paradisi sublimitate deiectus. Nudus enim Adam incola paradisi fuit. Denicq; post peccatum nuditatem suam uidens, folio pudenda contexit. Prius enim quàm peccaret, honestatis erat colore uestitus: atq; ideo nuditatem inhonestam nõ natura instituit, sed delicti reatus inuenit. Nam & sancti Angeli in splendidissimo habitu constituti, nõ quòd tunicis operiuntur & pallijs, sed cùm sit in illis natiuitatis suæ nuda substantia, uestiti uidentur esse quod sancti sunt. Sic igitur & Adam custodiens honestatis angelicæ dignitatem, erat quidem nudus mundanis uestibus, sed immortalitatis erat splendore uestitus. Nihil prauum respiciebant eius oculi, non cor eius turpe aliquid cogitabat, erat apud honestas mentes nuditas ipsa uestita. Sicut enim apud nequam homines turpis cogitatio à concupiscentia uestibus non arcetur, ita apud sanctos uiros honesta simplicitas ad concupiscendum nuditate non trahitur: sed sicut uitiosis ad corruptelam nuda sunt omnia, ita religiosis ad castimoniam operta sunt uniuersa. Quid autem ait Euangelica lectio? Qui scandalizauerit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & mergatur in profundum maris. Pusillos hic non ætate pueros, sed malitia paruulos dicit, sicut Apostolus ait: Malitia paruuli estote, ut sensibus perfecti sitis. Qui sunt isti, nisi clerici idonei, & monachi religiosi uel laici? Quisquis igitur his irreuerens aut contumeliosus extiterit, hac beluina pœna plectetur, ut informi saxo religato illi ad collum, præcipitetur in mare. Sed uideamus cur scandalizantibus Christianis ista pœna decreta sit, aut quid sibi uelit ipsa sentẽtia. Puto enim illa aliquod mysterium contineri. Quasi uerò non sufficeret in mare homini demergendo saxum qualecunq; non magnum aut enorme, sed molæ asinariæ lapis ei religetur ad collum, ut cum perituro homine pereat res usui necessaria. Sed puto hoc magis esse quod in scripturis asini figura populus Gentilium nuncupatur, qui clausis oculis circa ignorantiæ molam erroris sui gyro pertrahitur, & sine ulla cursus directione uestigijs in se sæpe redeuntibus inuitus usui laborat alieno. Nónne enim tibi uidetur molam asinariam uoluere Gentilis populus, quandiu imperitiæ suæ labore uersatur? Naturæ quidem uinculis alligatus ut uerbum Dei molat, Deum cœli quærat, sed opertæ mentis

Matth. 18

Roman. 12

Matth. 7

Ibidem 19

Matth. 18

1. Cor. 14

tis cæcitate ſuffuſus, ut uultus animi erigere ad Deum, cordis oculos leuare non poſſit ad cœlum. Sed quoniam molam aſinariam ſaxum eſſe conſtat, uideamus ſi & paganorum talis eſt mola. Talis plane eſt. Saxea enim mola eſt paganorum Iupiter Herculeſq; lapideus, circa quos cæcis oculis frequenti errore circumeunt. Cæcos inquam dixerim eorum oculos qui putant ſe uidere quod non uident. Aſpicientes enim ſaxum, Deum ſe uidere confingunt. Attamen qui molam uoluit, conſummandi aliquando finem operis habet, exeundi ſpem gerit laboris. Cui uerò mola aſinaria ad colum ſuſpẽditur, portat lapidem, qui portare debuerat iugum domini. Aſinus ergo ad molam, cæcus ad lapidem, Gentilis ad ſaxum, qui adorat eũ quem non uidet nec agnoſcit. Deus enim non in manufactis habitat, nec in metallo aut ſaxo cognoſcitur. Hic ergo Gentilis populus cùm perſecutionem Chriſtiano intulerit, hac pœna plectitur: ut cùm ſua ſacrilega mola iudicandi ſeculi fluctibus demergatur.

De mirabilibus. Sermo XI

QVantorum mirabiliũ operator ſit dominus Ieſus Chriſtus intelligere poſſumus ex hac Euangelica lectione, qua deſcribitur tanta per eum beneficia in populum fuiſſe collata, ut prouocatæ hominum turbæ ad audiendum illum magis irruerent quàm rogarent, & medicinam ſalutis non ſperarent per humilitatis gratiam, ſed per importunitatis iniuriam, ita ut irruentes (ſicut ait Euãgelium) turbas à domino Ieſu non deſertum ſepararet, non ſynagoga repelleret, non reuerentia diuinitatis perarceret. Hæc eſt enim conſuetudo infirmantium, ut dum ſperant ſuis ægritudinibus medicinam, ab importuna petitione non loco prohibeantur, non tempore: ſed quanto plus medetur ille qui ſanat, tanto amplius ille importunus eſt qui laborat.

Luc. 5 Ergo cùm dominus illis ab irruentibus turbis ſemotus in terra eſſe non poſſet, aſpiciens in mari duas nauiculas, unam nauem Petri omni feſtinatione conſcendit, ut importunitatis iniuriam uel aquarum natura depelleret: quia eam doctoris reuerentia minime coercebat, atq; exinde cœpit de nauicula Petri ad homines doctrinæ ſuæ uerba profundere. Videte miſericordiam ſaluatoris: ſeparatur quidem ab hominibus corpore, doctrinæ tamen ijs utilitate coniungitur. Vbiq; miſeretur, ubiq; prodeſt. In terra poſitus per tactum languores corporum ſanat: in mari conſtitutus, per doctrinam uulnera curat animarum. Sed uideamus quę ſit iſta nauicula Simonis Petri, quam adducendam de duabus magis opportunam dominus iudicauit, quæ & tutum ſaluatorem præſtet ab iniuria, & credulitatis hominibus largiatur eloquia. Inuenimus enim iam dominum na-

Exod. 12 uigaſſe in alia naui, & grauibus iniurijs laceſſitum. Nauigauit enim cum Moyſe in mari rubro, quando populum Iſrael per undarum fluenta tranſuexit. Sed grauibus eſt affe-

Ioan. 5 ctus iniurijs, ſicut ipſe ait in Euangelio ad Iudæos: Si crederetis Moyſi, & mihi crederetis. Iniuria autem ſaluatoris eſt incredulitas ſynagogæ. Ergo Petri nauẽ eligit, Moyſi deſerit: hoc eſt ſpernit ſynagogam perfidam, fidelem aſſumit Eccleſiã. Duæ enim quaſi nauiculæ à deo deſtinatæ ſunt, quæ in hoc, tanquam in mari, mundo ſalutem homini-

Matth. 4 bus piſcarentur, ſicut ait dominus Apoſtolis: Venite faciam uos piſcatores hominum. Ex his ergo duabus nauiculis una relinquitur ad terram inanis & uacua, altera producitur in altum onuſta uel plena. Vacua enim ſynagoga relinquitur in littore, quia Chriſtum cum Prophetarũ amiſit oraculis. Onuſta autem Eccleſia in altum aſſumitur, quia dominum cum Apoſtolorum doctrina ſuſcipit. Synagoga inquam remanet ad terras quaſi terrenis inhærens operationibus: Eccleſia autem in altitudinem reuocatur, tanquam cœlorum profunda ſacramenta diſcutiens, in illam ſcilicet altitudinem: de qua

Roman. 11 Apoſtolus ait: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Propterea dicitur Pe-

Luc. 5 tro: Duc in altum, hoc eſt in profundum diſputationũ generationis diuinæ. Quid enim

Matth. 16 tam profundum quàm quod ait Petrus ad dominum: Tu es Chriſtus filius Dei uiui?

Luc. 4 Quid tam terrenum, quàm quod de domino dixerunt Iudæi? Non ne hic eſt filius Ioſeph fabri? Ille altiore conſilio natiuitatem Chriſti diuinitus approbauit, hi mente uipe-

Matth. 16 & 12 rea generationem cœleſtem carnaliter æſtimant. Vnde ait ſaluator Petro Quia non caro & ſanguis tibi hoc reuelauit, ſed pater meus qui in cœlis eſt. Phariſæis autem dicit: Quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis nequam? Hanc igitur ſolam Eccleſiæ nauem aſcendit dominus, in qua Petrus magiſter eſt conſtitutus, dicente domino: Super hanc

petram

petram ædificabo Ecclesiam meam. Quæ nauis in altum seculi istius ita natat, ut pereun te mundo, omnes quos suscipit, seruet illesos. Cuius figuram iam in Veteri uidemus testamento. Sicut enim Noe arca naufragante mundo cunctos quos susceperat, incolumes reseruauit: ita & Petri Ecclesia conflagrante seculo, omnes quos amplectitur, repræsentabit illæsos. Et sicut tunc transacto diluuio ad arcam Noe columba signum pacis detulit: ita & transacto iudicio ad Ecclesiam Petri Christus gaudium pacis referet, quia ipse columba uel pax est, sicut promisit dicens: Iterum autem uidebo uos, & gaudebit cor uestrum. Sed quoniam hanc eandem nauiculam Petri de qua nunc dominus cœlestis doctrinæ suæ sacramenta depromit, legimus in Matthæo dormiente in eadem domino uentis insurgentibus perturbatam, ita ut cuncti Apostoli mortis periculum formidarent: uideamus quæ causa est quòd una eademq; nauicula hic in tranquillitate doctrinam populis tribuit, ibi in tempestate discipulis metum mortis inducit, præsertim cùm ibi etiam cum cæteris Apostolis Simon Petrus esset. Hæc autem est causa periculi. Erat ibi Simon Petrus, sed erat pariter & proditor Iudas. Quanuis illius fides fundaret nauiculam, huius tamen eam perfidia cõturbabat. Tranquillitas est ubi solus Petrus nauigat, tempestas ubi Iudas adiungitur. Licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Metuentibus igitur discipulis, anxiante Petro dormiebat dominus. Durum forte uideatur quod anxiante Petro dormiebat. dormiebat Petro, nauigabat Iudæ. Vnius igitur delicto cunctorum merita quatiuntur. Obdormit Christus, uentorum spiramina concitantur. Quisquis enim peccatum admittit, statim & dormire sibi facit dominum, & procellam sibi spirituum suscitat immundorum. Necesse est autem diabolica insurgat tempestas, cùm dominica serenitas conquiescit. Igitur si unius Iudæ peccato cuncti periclitãtur Apostoli, hoc exemplo caueamus perfidum, caueamus proditorem, ne per unum plures fluctuemus. Quinetiam huiusmodi abijciamus de nostra nauicula, ut non obdormiat, sed uigilet in nobis dominus, atque eo uigilante nulla nos spiritualis nequitiæ procella concutiat. Vbi enim fides integra est, ibi saluator docet, uigilat, & exultat: ibi requies, ibi tranquillitas, ibi cunctorum est medicina. Vbi autem fidei est admixta perfidia, ibi Christus torpet, dormit, & peior est ibi metus, ibi tempestas, ibi omnium est discrimen. Pro actibus enim nostris dominus nobis obdormit aut uigilat.

Matth. 16

Genes. 7

Ibidem 8

Ioann. 16

Matth. 8

De Natali domini. Sermo XII

Verum est quod ait sanctus Ioannes Baptista de domino saluatore dicens: Illum autem oportet crescere, me autem minui. Siquidem hoc primum etiam ipsis temporibus approbetur. Ecce enim in natiuitate Christi dies crescit, & Ioannis natiuitate decrescit. Illo oriente lux proficit, hoc nascente minuitur. Ipsa enim quodammodo tempora famulantia partibus suis, cùm detrimentum faciunt, seruus gignitur: cùm autem dominus nascitur, consequitur augmentum. Profectum planè facit dies cùm mundi saluator oritur: defectum patitur cùm ultimus Propheta generatur. Scriptum est enim: Lex & Prophetæ usq; ad Ioannem. Atq; ideo necesse erat ut obscuraretur legis obseruatio, ubi euocatio, ubi Euangelij gratia refulgebat: & cessaret prophetia Veteris testamenti, cùm Noui testamenti gratia succedebat. Ergo in natiuitate domini proficit dies. Non mirum si proficit dies, quam splendidissima lux ueritatis illuminat. Ait enim Euangelista de Christo domino: Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem. Cur non illuminaret mundum? Atq; ideo dies quæ lucem humano generi peperit, prius ipsa eiusdem lucis fulgore resplenduit, & concluſa iam spatia sua noctium tenebras dominicæ lucis nitore discussit. Occupauerat enim totam diem noctium longitudo, nisi in ipsa dierum breuitate Christi refulsisset aduentus. Qui sicut ortu suo humani generis peccatorum tenebras discussit, ita & die natiuitatis suæ caliginum tenebras amputauit, & uno eodemq; ortu lucem pariter intulit & hominibus & diebus. Vnde non est mirum si crescit dies, quæ gemino fulgoris splendore uestitur. Sed uideamus adhuc quomodo dominus saluator crescat, Ioannes Baptista decrescat. Diximus in superioribus quòd Ioannes quidem figuram legis prophetarumq; gestauerit: necesse erat ergo ut deficeret lex Euangelio coruscante, & minueretur Iu-

Ioann. 3

Luc. 16

Ioann. 1

daícus populus populo Chriſtiano ſurgente. Quis enim dubitat de natiuitate domini ſynagogæ eſſe conuenticula uacuata, plebes multiplicatas Eccleſiæ, & mirũ in modum quotidie Chriſtum per Chriſtianos ſuos creſcere, Ioannem minui per Iudæos? Hos diei dominici ſplendore fulgere, illos obſcuritate noctium laborare? Nox enim ſuper
Matth. 27 Iudæos quodammodo maior incubuit, ex quo dixerunt de nece ſaluatoris: Sanguis huius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Maioribus planè ſunt noctium tenebris obſcurati, ex quo conati ſunt diem ueritatis occidere. Hoc autem quod dicimus, ut uerius appro-
Luc. 2 bare poſſimus, utriuſque natiuitatem breuiter exponamus. Ecce enim cùm naſcitur
Matt. 7 Chriſtus, exultant Angeli, paſtores peruigilant, magi adueniunt, ſtella præcedit, & cuncta quæ ſunt in cœlis terriſq; pulcherríma, ipſi domino deferuntur. Deferuntur enim illi, gloria per Angelos, claritas per ſtellam, religio per magos, ſimplicitas per paſtores. Et quòd apud ipſum ſolum futura eſſent hæc omnia, naſcenti illi uniuerſa famulantur.
Luc. 1 Cùm autem Ioannes concipitur, Zacharias obmuteſcit, ſolennis conceditur ſacerdos. Helizabet mater abſconditur, ſignificans poſt ortum ſuum legis ſilentium, amiſſionem ſacerdotij, latebras ſynagogæ. Dubium autem non eſt quòd Ioannes natus Phariſæis iuſtitiam legis abſtulerit, quod conceptus patri abſtulit uocis obſequium. Creſcit igitur dominus ſemper, Ioannes Baptiſta minuitur. Non ideo minuitur quod meritis aliquid derogetur, ſed quoniam ſaluatoris quotidie accumulatur gloria, illius minor
Ioann. 5 fieri uidetur. Lucerna deniq; uocatur Ioannes, dicente domino: Ille erat lucerna ardens. Lucernæ igitur obſcuratur lumen cum radius ſolis effulget, & defectionem quandam lampadæ ſuæ patitur, cum clarioris lucis ſplendore ſuperatur. Quis enim ſapiens lucernam requirat in ſole? Non quidem extinguitur, ſed neceſſaria non habetur, hoc eſt, quis ad Ioannis pœnitentiæ baptiſmum ueniat, cùm poſſit ſaluatoris baptiſmo ſaluari? Non quidem illud reprehenditur, ſed hoc magis utile & neceſſarium iudicatur, quia in eo remiſſio peccatorum tribuitur.

Item de Natali domini. Sermo XIII

Q Va gratia uel quibus laudibus hunc diem Natalis domini prædicemus, prorſus ignoro. In tanta enim feſtiuitate ad magnificandum Deum humana loquela non ſufficit. Nam ſi tunc cùm naſcebatur Chriſtus, Ange-
Luc. 2 lorum uoce laudatus eſt, nunc humana laudandus eſt uoce cùm regnat. Supergreditur enim illius temporis feſtiuitatem noſtra ſolennitas. Siquidem tunc ſtupuerunt illi tantum naſcentem dominum, nos illum ſuſcipimus naſcentem, reſurgentem pariter & regnantem. Tanto igitur facundior laudatio eſſe debet humani temporis, quãto ſunt maiora miracula. Sed quoniam dignam prædicationem exhibere non poteſt humana fragilitas, ad Angelorum nos præconia conferamus. Et quia merito eos æquiparare non poſſumus, deuotione comitemur, hoc eſt in ea feſtiuitate eadem qua illi lætitia, nos
Ibidem ſententia perſultemus dicentes: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Digna plane & iuſta ſententia quæ in natiuitate Chriſti & Deo honorem repræſentat in cœlis, & hominibus pacẽ præſentat in terris. Ante ſaluatoris enim ortum nec cœleſtia reuerentiam deferebant, nec terrena requiem poſſidebant. Sed uidete quid dicat ipſa ſententia: Pax in hominibus bonæ uoluntatis. Non in quibuſcunq; hominibus, ſed bonæ uoluntatis hominibus, ut intelligas pacem Chriſti nõ debiti eſſe, ſed meriti. Non enim eam meriti Angeli in ea nocte qua paſtores naſcẽtem dominum ſuper gregem ſuum uigilias obſeruantes primi præ omnibus didicerunt. Ipſi enim primi orta ſaluatoris ante omnes homines intimantibus Angelis cognouerunt. Vnde mirum eſt quòd prius redemptionem ſeculi potuerint ſcire quàm principes. Nõ enim Angeli annunciauerunt regibus, nõ iudicibus, ſed hominibus ruſticanis. Nõ ergo iam mirandum eſt ſi Chriſti gratiam ante ſcire meruerit innocentia quàm poteſtas, & prius cognoſcere ueritatem ſimplex ruſticatio, quàm ſuperba dominatio. Quod enim cogno-
1. Cor. 2 uerunt paſtores, principes cognoſcere nequiuerunt. Vnde & beatus Apoſtolus ait: Quam nemo principũ ſeculi huius cognouit, & reliqua. Ergo in natiuitate domini Angeli pariter cum paſtoribus ſunt lętati, excelſam uerò dicentes gloriã. Nam uicinis quodãmodo & iunctis choris Dei gloriam prædicauerunt. Vnde & credo eoſdem Angelos in eiuſdem domini eadem feſtiuitate ſimili nobiſcũ lætitiæ uicinitate gaudere. Nam

qui

qui solent propter Christi ortum alloqui pastores, non possunt propter eiusdem Christi gaudium non inquirere sacerdotes? Siquidem & quod tunc ad illos super gregem suum uigilias obseruantes nocte intempesta locuti sunt, huius temporis mysterium designabant. Nam illo facto hoc utiq; monstrabatur, gregem populum, noctem seculum, sacerdotes esse pastores, qui iugi super plebem solicitudine uigilantes propter Christum ab Angelis minimè deseruntur. Hodierna igitur die secundum carnem natus est dominus, ita secreto, ita silentio, ut ortum eius seculum penitus ignoraret. Ignorauit enim seculum, quia & extra conscientiam patris natus, & extra ordinem naturæ conceptus. Nam Ioseph conceptum suscepit filium quem non genuit: Maria partum edidit quem sexus consuetudine non creauit. Sic igitur natus est dominus, ut ortum eius nemo futurum suspicaretur, nemo crederet, nemo sentiret. Quemadmodum crederent hoc futurum, quod posteaquam factum est, factum esse uix credunt? Nam quòd ita latenter & secreto saluator descensurus esset in Virginem, iam ante Dauid propheta testatus est, dicens: Descendet sicut pluuia in uellus. Quid enim tam silenter & sine strepitu fit, quàm cùm imber in lanæ uellus infunditur? Nullius aures sono uerberat, nullius corpus humore repercussionis aspergit: sed sine inquietudine hominum totum imbrem per multiplices effusum partes toto corpore in se trahit, unius meatus scissuram nesciens, solida mollitiæ plures præbens meatus: & quod clausum uidetur per densitatem, est patulum per tenuitatem. Rectè ergo Maria uelleri comparatur, quæ ita concepit dominum, ut toto eum hauriret corpore, nec eius discissuram corporis pateretur: sed esset mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam. Rectè inquam Maria uelleri comparatur, de cuius fructu salutaria populis uestimenta texuntur. Vellus plane Maria est, siquidem de molli sinu eius agnus egressus est, qui & ipse matris lanicium, hoc est carnem gestans, molli uellere cunctorum operit uulnera populorum. Omne enim peccati uulnus Christi lana suffunditur, Christi fouetur sanguine, & ut sanitatem recipiat, Christi indumento uestitur. Luc. 2 Psal. 71

Item de Natali domini. Sermo XIIII

Sermo Maximi episcopi, in uigilijs natalis dominici.

LAetitia quanta sit, quantusq; concursus cùm Imperatoris mundi istius natalis celebrãdus est, bene nostis: quemadmodum duces eius & principes, omnes etiam militantes accuratè sericis uestibus accincti, operosis cingulis auro fulgente preciosis ambiant solito nitidius in cõspectu regis incedere. Credunt enim maius esse Imperatoris gaudium, si uiderit maiorem suæ apparitionis ornatũ, tantoq; illum lætum futurum, quanto ipsi fuerint in eius festiuitate deuoti: ut quia Imperator tanquam homo corda non conspicit, affectum eorum circa se probet uel habitum contuendo: Ita fit ut splendidius se accuret, quisquis regem fidelius diligit. Deinde quia in die Natalis sui sciunt eum largum futurum ac donaturũ plurima uel ministris suis, uel ijs qui in domo eius abiecti putantur & uiles, tanta prius thesauros eius replere diuitiarum uarietate festinant, ut inquantũ prorogare uoluerit, intantũ prorogatio copiosa nõ desijt, & ante uolũtas donãdi deficiat, quàm substantia largiendi. Hæc autem ideo solicite faciunt, quia maiorem sibi remunerationem pro hac solicitudine sperant futurã. Si ergo fratres seculi istius homines propter præsentis honoris gloriam terreni regis sui natalis diem tanta apparitione suscipiunt, qua nos accuratione æterni regis nostri Iesu Christi Natalem suscipere debemus? qui pro deuotione nostra non nobis temporalem largietur gloriam, sed æternam, nec terreni honoris administrationem dabit quæ successore finitur, sed cœlestis imperij dignitatem, quæ non habet successorem. Qualis autem nostra remuneratio sit futura, dicit Propheta: Quæ oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Quibus indumẽtis nos exornari oportet? Quod autem diximus nos, hoc est animas nostras, quia rex noster Christus non tam nitorem uestium quàm animarum requirit affectum, nec inspicit ornamenta corporum, sed considerat corda meritorum, nec fragilis cinguli præcingentis lumbos operositatem miratur, sed fortis castimoniæ restringentis libidinem ad pudicitiam plus miratur. Ambiamus ergo inueniri ante ipsum probati fide, compti misericordia, moribus accurati: & qui fidelius Christum diligit, nitidius se mandatorum Esa. 64 1. Cor. 2

datorum eius obseruatione componat: ut uerè nos in se credere uideat, cùm ita in eius solennitate fulgemus, & magis lætus sit, quo nos perspexerit puriores. Atq; ideo ante complures dies castificemus corda nostra, mundemus conscientiam, purificemus spiritum, ac nitidi & sine macula immaculati domini suscipiamus aduentum: ut cuius natiuitas per immaculatam uirginem constitit, eius Natalis per immaculatos seruulos procuretur. Quisquis enim in illa die sordidus fuerit ac pollutus, natalem Christi ortumq; non curat: interest licet dominicæ festiuitati corpore, mente tamen longius à saluatore separatur, nec societatem habere poterunt immundus & sanctus, auarus & misericors, corruptus & uirgo: nisi quod magis ingerendo se indignus offensionem cõtrahit, cùm minimè se cognoscit. Dum enim uult officiosus esse, iniuriosus existit: sicut ille in Euan-
Matth. 22 gelio, qui in cœtu sanctorum inuitatus ad nuptias uenire ausus est uestem non habens nuptialem. & cùm alius niteret iustitia, alius luceret fide, alius castitate fulgeret, ille solus conscientiæ fœditate pollutus, cunctis splendentibus deformi horrore sordebat. Et quanto plus simul discumbentium beatorum candebat sanctitas, tanto magis peccatorum illius apparebat improbitas, qui potuerat minus displicuisse forsitan si in consortium iustorum minimè se dedisset. Propterea ergo sublatis manibus & pedibus in tenebras exteriores expellitur, non solum quod peccator erat, sed quia cùm peccator esset, sanctitatis sibi meritum uindicabat. Igitur fratres suscepturi Natalem domini, ab omni nos delictorum fæce purgemus: repleamus thesauros eius diuersorum munerum donis, ut in die sancta sit, unde peregrini accipiant, reficiantur uiduæ, pauperes uestiantur. Nam quale erit si in una eademq; domo inter seruulos unius domini, alter exultet in holosericis, alter consumatur in pannis: alius æstuet cibo, alius famen friguscq; sustineat: ille eructet hesternam indigestionis crapulam, hic hesternam ieiunij inediam nõ resoluat? Aut quis erit nostræ orationis effectus, si petimus ut liberemur ab inimico, qui non sumus liberales in fratres? Simus imitatores domini. Si enim ille pauperes in cœlesti gratia uoluit nobis esse consortes, cur nobis non sint in substantia terrena consortes? Nec extranei sint alimonijs, qui fratres sunt sacramentis: nisi quòd rectius apud dominum per ipsos agimus causam nostram, ut nostris eos alamus sumptibus qui illi gratias agant. Quicquid autem pauper dominum benedicit, illi proficit, quo faciente dominum be-
Roman. 2 nedicit: & sicut scriptum est de illo: Væ illi homini per quem nomen domini blasphe-
Matth. 10 matur: ita & de isto scribitur: Pax huic homini, per quem nomen domini benedicitur sal-
Luc. 10 uatoris. Quale autem est meritum largientis, ut solus quis operetur in domo, & per multos Ecclesia dominum deprecetur? Et quod ille fortassis petere de diuinitate non audeat, plurimorum interpellantium orationibus, etiã quod nõ sperabat accipiat? Quod adiutorium nostrum cõmemorans beatus Apostolus ait: Vt per multos gratiarũ actio referatur pro nobis. Et iterũ: Vt fiat oblatio nostra accepta sanctificata in spiritu sancto.

Item de Natali domini. Sermo XV

Eiusdẽ Maximi episcopi,

S Atis abundeq; dixisse me credo superiore dominica quemadmodũ compti uel nitidi Natalem domini suscipere debeamus, & superuenientem festiuitatem eius ambitione retinere. Retinere inquam, ut si dies solennitatis transeat, apud nos sanctificationis eius beatitudo permaneat. Hęc enim gratia Natalis est domini saluatoris, ut in futurum ad prædestinatos transeat, in præteritum remaneat ad deuotos. Oportet ergo esse nos sanctitate puros, mundos pudicitia, nitidos honestate: ut quo diem festum aduenire propinquius cernimus, hoc accuratius incedamus. Si enim mulierculæ solent aliquas suscepturæ maculas uestium suarum aqua diluere, cur non magis nos accepturi Natalem domini maculas animarum nostrarum fletibus abluamus? Et illæ quidem si à Deo infectæ & obscuræ sordibus fuerint, ut maculas sola aqua non purget, adducunt mollitiem olei, saponis etiam acrimoniã: nos quoq; si tam graue peccatum fuerit, ut minime solis fletibus abluatur, addamus misericordiæ oleum acrimoniamq; ieiunij. Nullum enim tam graue delictum est, quod non purgetur abstinentia, eleemosynis extinguatur. Ait enim sanctus Propheta: Sicut aqua extin-
Eccl. 3 guit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatũ. Magna ergo est eleemosyna, quæ ardentium criminũ globos beneuolentiæ suæ fonte refrigerat, & quodã irriguo largitatis obruit

ruit incendia delictorũ:ut quanuis offensus Deus,quanuis criminibus prouocatus cogatur liberare eleemosynis, quem dispoſuerat punire peccatis. Cogitur enim à nobis quodammodo,dum compellitur pro actibus noſtris mutare ſententiam, & in uno eodemq; homine nunc ſeueritate iudicis permoueri, nunc patris pietate blandiri. Pater enim nobis Deus eſt,cùm bene agimus: iudex noſter eſt, cùm peccamus. Compellitur ergo operibus noſtris dominus,ut nobis ſuam miſericordiã largiatur: atq; ideo ipſe in Euangelio ſancto dicit: A diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cœlorum cogitur. Regnum cœlorum nõ niſi Chriſtus eſt dominus, qui regnat in cœlis. Cogi autem uerbum tunc ſolet dici,cùm res aliqua rarior aſſidua operatione denſatur. Ex quo ergo Ioannes Baptiſta ſaluatoris annũciauit aduentum, ex eo regnum cœlorum quod prius fluidum & remiſſum apud Iudæos iacebat,credentium populorum cœpit aſſiduitate denſari, & omnis illa regni raritas prædicationum frequentatione ſolidari. Tam enim rarum fuit apud Iudæos regnum:ut tranſiret ad gentes,tam fluidũ ut emanaret ad populos. Nunc autem tanta credentium cogitur denſitate, ut fixum & ſolidum maneat ſine fine, ſicut ſcriptura dicit:Et regni eius non erit finis. Cogimus ergo regnum cœlorũ,& uim quodammodo facimus,ſicut ait Euangelica lectio:Et uim facientes diripiunt illud. Vim inquam facimus domino non compellendo,ſed flendo:non prouocando iniurijs, ſed lachrymis exorando:non blaſphemando per ſuperbiam, ſed per humilitatem mœrendo. O beata uiolentia, quæ non indignatione percutitur,ſed miſericordia cõdonatur.Beata inquam uiolentia quæ uim patienti bonitatem elicit, & utilitatem tribuit inferenti. Mala res admittitur,& de iniuria nemo cauſatur:uis admittitur, & religio propagatur. Quiſquis enim uiolentior Chriſto fuerit, religioſior habebitur à Chriſto. Aggredimur ergo in itinere dominum,ſiquidem ipſe eſt uia, & more latronum ſuis eum ſpoliare nitimur,cupimus illi auferre regnum,theſauros, & uitam: ſed ille tam diues & largus eſt, ut non abnuat,non reſiſtat,& cùm omnia dederit, nihilominus omnia ipſe poſſideat. Aggredimur inquam illum non ferro,non fuſte,non ſaxo, ſed manſuetudine, bonis operibus,caſtitate.Hæc ſunt arma fidei noſtræ,quibus in congreſſione certamus. Vt autem his armis uti in ui inferenda poſſimus, antè corporibus noſtris uim quodammodo faciamus,expugnemus membrorum uitia,ut uirtutum præmia conſequamur. Prius enim ipſi regnare debemus in nobis, ut regnum poſſimus diripere ſaluatoris. Ait ergo Euangelium: Et uim facientes diripiunt illud. Raptores igitur ſumus: raptores autem non niſi diripiunt aliena. Agnoſco ueram eſſe ſententiam. Chriſtum enim Eccleſia rapuit ſynagogæ,& alienæ gentis regnũ uim faciendo poſſedit. Nam ſaluator miſſus ſub lege,natus in lege, nutritus iuxta legem, dum à Iudæis negligitur,à Gentibus occupatur:& dum à Sacerdotibus perditur,à peccatoribus inuenitur, ſicut ipſe ait: Publicani & peccatores præcedunt uos in regno cœlorum.Raptores igitur ſumus.Mirandũ non eſt,quippe qui à tali authore deſcendimus.Scriptũ eſt enim de Patriarcha noſtro Beniamin:Lupus rapax.Rapit enim quod ſuum non eſt. Ita & nos uelut filij rapacis lupi alienarum paſtorem ouium noſtra intentione præripimus,ſicut ipſe dicit:Non ſum miſſus niſi ad oues perditas domus Iſrael. Rapitur itaq; Chriſtus cùm à Iudæis dimittitur, & ab alijs prædicatur.Rapitur Chriſtus cùm occiditur à Iudæis,& ſepelitur à nobis. Rapitur Chriſtus à uigilantibus diſcipulis, à dormientibus perditur Phariſæis: ſicut mentiendo ipſi confeſſi ſunt, dum cuſtodias ponerent ſepulturæ, poſt reſurrectionem domini dicentes:Quia diſcipuli eius nocte uenerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus. Vnde ſpiritualiter intelligimus quia Chriſtum omnes dormientes perdunt, uigilantes inueniunt: Atq; ideo Apoſtolus dicit:Surge qui dormis, & exurge à mortuis,& illuminabit te Chriſtus. Vides ergo mortuum eſſe qui ita dormit, ut non cuſtodiat ſaluatorem.Et ideo illi Phariſæi uelut mortui non potuerunt ſeruare uiuentem.Propterea fratres non dormiamus, ſed uigilemus circa ipſum dominum noſtrum ſaluatorem, ut appoſitis iugiter cuſtodijs, nemo illum auferat de ſepultura pectoris noſtri, nec dicamus aliquando: Venerunt,& dormientibus nobis furati ſunt eum. Habemus enim inimicos,qui Chriſtum de cordibus noſtris ſi obdormierimus auferre nitãtur. Vnde peruigili cura ſeruemus eum in ſepulchro animarum noſtrarum. ibi perquieſcat, ibi dormiat, ibi cùm uoluerit & reſurgat.

Matt. 11

Luc. 1

Matth. 11

Ioann. 14

Matth. 11

Geneſ. 49

Matth. 25

Ibidem 28

Epheſ. 5

Item de

Item de Natali domini. Sermo XVI

Ene quodāmodo ſanctā hanc diem Natalis domini ſolem nouum uulgus
B appellat, & tanta ſui authoritate id confirmat, ut ludęi etiam atq; Gentiles
in hac uoce cōſentiant. Quod libenter amplectendum nobis eſt, quia ori-
ente ſaluatore nō ſolum humani generis ſalus, ſed etiam ſolis ipſius claritas innouatur,
Epheſ. 1 ſicut ait Apoſtolus: Vt per ipſum reſtauret omnia ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terra
ſunt. Si enim obſcuratur ſol cùm Chriſtus patitur, neceſſe eſt illum ſplendidius ſolito lu-
cere cùm naſcitur. Et ſi ludæis mortem operantibus offundit tenebras, cur non Mariæ
parturienti uitam exhibeat claritatem? Aut quare nō credamus quod naſcente Chriſto
Matth. 2 ſol ad obſequiū lucidior aduenerit, cùm Magos ad indiciū clarior ſtella præceſſerit? Et
ſi ſtella per diem alieni tēporis officiū miniſtrauit, cur nō credamus quòd ſol quoq; no-
cturnis horis aliquantulum aduentu maturiore decerpſerit? Ex eo denicq; factum puto
ut nox decreſceret, dum ſol feſtinus ob dominicæ natiuitatis obſequiū ante mundo lu-
cem protulit, quàm nox curſum ſui temporis cōſummaret. Quin potius ipſam noctem
Luc. 2 fuiſſe nō dico, nec aliquid obſcuritatis habuiſſe, in qua Paſtores peruigilāt, exultāt An-
geli, aſtra deſeruiunt. Nec mirari debemus quòd in natiuitate Chriſti noua omnia facta
ſunt, cùm nouū hoc ipſum fuerit quod Virgo peperit. Si autem prēter ſolitum natiuitas
extitit, & præter ſolitum obſequia ſunt delata. Ergo oriente domino Paſtores peruigi-
lant, exultāt Angeli, ſol obſequitur, ſtella famulatur. Et quidā Angeli uel Paſtores gau-
dia ſua uoce uel ſermonibus proſequuntur: elementa autem iſta gaudia ſua, quia uoce
nō poterant, officio proteſtantur. Sol igitur prēter conſuetudinem in hac feſtiuitate ma
Ioſuæ 19 tutinus illuxit: Nec mirum Si enim ad Ieſu Naue orationem defixus ſtetit in die, cur nō
ad Ieſu Chriſti natiuitatem feſtinus promoueret in noctem? Solem igitur nouum hanc
diem uulgus appellat: & cùm dicit nouū, utiq; & ueterem eſſe demonſtrat. Veterem au
tem dixerim huius mūdi ſolem, qui defectionem patitur, qui parietibus excluditur, qui
Iohel 19 nubibus obſcuratur. Veterem dixerim ſolem, qui uanitati ſubiacet, qui corruptionem
metuit, qui iudicium pertimeſcit. Scriptum eſt enim: Sol cōuertetur in tenebras, & luna
in ſanguinem. Veterem inquā, dixerim, qui ſceleribus intereſt hominum, adulteria nō
refugit, homicidium nō declinat. Et cùm omne genus hominum nolit eſſe mediū cùm
aliquod crimen admittitur, hic ſolus in cunctis facinoribus ſtat. Ergo quia hunc uete-
rem eſſe manifeſtum eſt, nouum quem niſi Chriſtū dominum reperimus? de quo ſcri-
Malath. 4 ptum eſt: Orietur uobis ſol iuſtitiæ. de quo etiam ex perſona peccatorum dicit prophe-
Sap. 5 ta: Sol non eſt ortus nobis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis. Hic enim ſol, cùm diaboli
tenebris uniuerſus mundus eſſet oppreſſus, & caligo referta criminibus ſeculorū poſſi-
deret, dignatus eſt ultimo tempore, hoc eſt incumbente iam nocte, ortū ſuæ natiuitatis
infundere. Primo quidem ante lucem, hoc eſt antequā illuminaret iuſtitiæ ſol, uelut ma-
Hierem. 7 tutinum quoddam prophetarum miſit oraculū, ſicut ſcriptum eſt: Mittebam Prophetas
meos ante lucem. Poſtea uerò ipſe cum ſuis radijs, hoc eſt cum Apoſtolorum ſuorū fulgore ſplenduit, ac tāta mundum ueritatis luce diſcuſſit, ut diaboli tenebra nullos offen
deret. Hic eſt igitur ſol nouus qui clauſtra penetrat, inferna reſerat, corda rimatur. Hic
nouus eſt ſol, qui ſpiritu ſuo uiuificat mortua, corrupta reparat, ſuſcitat iam defuncta:
uel qui calore ſuo purgat ſordida, exurit fluida, decoquit uitioſa. Ipſe inquam eſt qui in
cūctis actibus noſtris perſpicit omnia opera noſtra, & nō tam cōdemnat crimina, quàm
emendat. Hic planè eſt ſol iuſtus & ſapiens, qui non ſine diſcretione ſicut iſtius ſol mun
di bonis ac malis ſimiliter circunfertur, ſed quodam iudicio ueritatis, ſancto lucet, oc-
cidit peccatori. Hoc autem inter utrunq; intereſt ſolem: quòd ille iudiciū metuit, hic iu-
diciū cōminatur: quòd ille corruptionis miniſter eſt, hic æternitatis eſt dominus: quòd
ille creatura eſt, hic creator. Tamen iſtum mundi ſolem, priuſquam oritur, adhuc ante
lucem propter neceſſarios uſus hominū ſolet lucerna præcedere. Habet autem & Chri
Pſal. 131 ſtus ſol lucernam ſuam quæ eius ortum præceſſit: ſicut dicit Propheta: Parauī lucernam
Chriſto meo. Quæ autem iſta lucerna ſit, oſtendit dominus dicens de Ioanne Baptiſta:
Ioan. 5 Ille erat lucerna ardens. Ipſe autem Ioannes, ut præcedens lucernæ lumen exiguum, ait:
Ibidem 1 Ecce uenit poſt me, cuius nō ſum dignus ſoluere corrigiā calceamentorū eius, ipſe uos
baptizabit in ſpiritu ſancto & igni. Simul etiam intelligens lumen ſuū ſolis radijs offu-
ſcandum,

scandum,antè prędicit:Illum oportet crescere,me autem minui.Sicut enim lucernę claritas destruitur solis aduentu,ita & Ioannis pœnitentiæ baptismũ superueniente Christi gratia uacuatum est. Videamus igitur, hic sol noster nouus quo fonte nascatur: sicut est uerum, Deo oritur authore. Diuinitatis ergo est filius. Diuinitatis, inquam, incorruptæ, integræ, illibatæ, intelligo planè mysterium. Ideo enim secunda natiuitas per immaculatam Mariam, quia prior per diuinitatem constiterat illibata, ut cui prior natiuitas glorioſa extitit eius secunda contumelioſa non fieret, hoc est, ut quemadmodum uirgo diuinitas ediderat, ita eum & uirgo Maria generaret. Habere etiam apud homines patrem scribitur,sicut legimus in Euangelio dicentibus Pharisæis:Nonne hic est filius Ioseph fabri, & mater eius, Maria est? In hoc quoq; aduerte mysterium. Faber pater dicitur Christi.Et plane pater faber Deus, qui totius mundi opera fabricatus est. Et planè faber,sed qui in diluuio Noe arcam fabricare disposuit. Faber inquam est qui ordinauit Moysi tabernaculum, arcam testamenti instituit, templum Salomonis erexit.Fabrum dixerim, qui mentes rigidas expolit, cogitationes superbas recidit, humilia facta sublimat.Hic autem faber circa arbores curuo utitur ferramento:sicut in Euangelio legimus,dicente Ioanne:Iam securis ad radices arborum posita est. Omnis arbor non faciens fructum excidetur,& in ignem mittetur.Hoc enim agit totum,ut utiles cœlestis fabricæ arbores in futuro componat,infructuosas uerò euulsas,radicitus flammarum consumat incendio.

Ioann. 3

Matt. 13

Ibidem 7 & 3

Increpatio de kalendis Ianuarijs. Sermo XVII

Et mihi aduersus plerosq; de uestris fratres querela non modica, de his loquor qui nobiscum natalem domini celebrantes,Gentilium se ferijs dederunt,& post illud cœleste conuiuium superstitioſis sibi prandium parauerunt,ut qui antè lætificati fuerant sanctitate, inebriarentur postea uanitate, ignorantes quod qui uult regnare cum Christo,non possit gaudere cum seculo:& qui uult inuenire iustitiam,debeat declinare luxuriam.Alia enim ratio est uitæ æternæ, alia desperatio lasciuiæ temporalis.Ad illam uirtute ascenditur, ad istam perditione descenditur. Atq; ideo qui uult esse diuinorum particeps,non debet esse socius idolorum. Idoli enim portio est inebriare uino mentem,uentrem cibo distendere,saltationibus membra torquere,& ita prauis actibus occupari, ut cogaris ignorare quod Deus est. Vnde sanctus Apostolus hæc præuidens dicit: Quæ portio iustitiæ cum iniquitate,aut quæ societas luci cum tenebris,aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templo Dei cũ idolis? Ergo si nos sumus templum Dei,cur in templo Dei colitur festiuitas idolorum? Cur ubi Christus habitat,qui est abstinentia,tẽperantia,castitas,inducitur comesatio, ebrietas,atq; lasciuia? Dicit saluator: Nemo potest duobus dominis seruire, hoc est, Deo & mãmonę. Quomodo igitur potestis religioſè Epiphaniam domini procurare, qui iam kalendas, quantum in uobis est, deuotissime celebrastis? Ianus enim homo fuit unius conditor ciuitatis,quæ Ianiculum nuncupatur,in cuius honorem à Gentibus kalendæ sunt Ianuariæ nuncupatæ:unde qui kalendas Ianuarias colit, peccat: quoniam homini mortuo defert diuinitatis obsequium.Inde est quod ait Apostolus:Dies obseruatis, & menses,& tempora,& annos.timeo ne sine causa laborauerim in uobis. Obseruauit enim diem & mensem,qui his diebus aut non ieiunauit,aut ad Ecclesiam non processit. Obseruauit diem,qui hesterna die nõ processit ad Ecclesiam,processit ad campum. Ergo fratres omni studio Gentilium festiuitatem & ferias declinemus,ut quando illi epulantur & læti sunt,tunc nos simus sobrij atq; ieiuni, quo intelligant lætitiam suam nostra abstinentia condonari.Non solum autem Gentilium,sed & Iudæorum consortia uitare debemus,quorum etiam confabulatio est magna pollutio. Hi etenim arte insinuãt se hominibus,domos penetrant, ingrediuntur prætoria, aures iudicum & publica inquietant,& ideo magis pręualent,quo magis sunt impudentes.Hoc autem non recens in ipsis,sed inueteratum & originarium malum est.Nam olim iam & dominum saluatorem intra prætorium persecuti sunt, & præsidis eum iudicio condemnarunt. In prætorio ergo à Iudæis innocentia opprimitur,secretum proditur,religio cõdemnatur. Cùm enim Christus occiditur,omnis in eo ueritas & iustitia condemnatur, quoniam ipse est innocentia,religio sanctitatis,atq; mysterium.

2. Cor. 6

Matth. 6

Galat. 4

De sancta

De sancta Epiphania. Sermo XVIII

Matth. 3 Vangelia scriptura refert, sicut lectũ nuper audiuimus, dominũ ad Iordanem baptismi causa uenisse, & in eodẽ flumine mysterijs se cœlestibus cõsecrari uoluisse. Quod mirari nõ debemus, cur hoc baptismatis ipsius dominus & magister fecerit: quia ipse ait: Qui fecerit sic & docuerit, maximus uocabitur ibidem 5 in regno cœlorũ. Facere igitur prius uoluit, quod faciendũ omnibus imperabat: ut bonus magister doctrinã suã nõ tam uerbis insinuaret, quàm actibus exerceret, & ad finẽ nos gestu pariter cõfirmaret & sensu. Hoc autẽ totum hodierno die gestum esse manifestum est. Quod ita uerũ esse ipsa possumus colligere ratione. Ratio enim exigit, ut post diem natalis dominici, licet interpositis annis, eodem autẽ tempore hęc festiuitas sequeretur, quam & ipsam festiuitatem natalem appellandã puto. Tunc enim natus hominibus, hodie renatus est sacramẽtis: tunc per uirginem editus, hodie per mysteriũ generatus. Ita enim disposuit dominus nõ longe inter se hominũ uota distare, ut in uno tempore quem genitũ gratulabantur in terra, sanctificatũ lętarentur in cœlis: ut qui partũ Virginis Angelis annunciãtibus possidebãt, Dei filium cœlis testãtibus retinerent, certiq; essent homines quia ipse esset filius Dei, quẽ uirgo pepererat, diuinitas agnoscebat. Noui enim partus noua merẽtur obsequia. Ibi cùm secundũ hominem nascitur, mater eum Maria sinu circunfouet. Hic cùm secundum mysterium gignitur, pater eum Deus uoce
ibidem 3. & 17 complectitur. Ait enim: Hic est enim filius meus, in quo bene complacui, ipsum audite: Mater ergo partui molli blanditur gremio, pater filio pio testimonio fabulatur. Mater inquam, eum adorandũ Magis ingerit, pater colendum Gentibus manifestat. Sinu igitur retinetur à matre cùm nascitur, sed pater ei sinus sui fotum iugiter subministrat. Le-
Ioan. 1 gimus enim eum sine intermissione in patris gremio quiescentẽ, dicente Euangelista: Deum nemo uidit unquã nisi unigenitus filius, qui est in sinu patris. Libenter ergo in sinu sanctorũ quiescit dominus: unde & Ioãnis Euangelistæ sinum, ut in eo accumberet, libenter elegit. Sinus ergo in quo Christus requiescit, nõ corporis gremio præparatur, nõ uestimentorum ambitione cõponitur, sed cœlestium uirtutum operatione colligitur. Nam Christi sinus erat in Ioanne Euangelista fides, in Deo patre diuinitas, in Maria matre uirginitas. Ibi sinus Christi est ubi habitaculũ est uirtutum. Ibi reclinat caput suũ,
Matth. 8 ubi domicilium cœlestiũ inuenit prœceptorũ. Nam ideo peccatoribus & infidelibus dicit: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos: filius autem hominis nõ habet ubi caput reclinet. Igitur dominus Iesus hodie uenit ad baptismũ, & corpus suum sanctum uoluit aqua dilui. Dicat fortasse aliquis, Qui sanctus est, quare uoluit baptizari? Audi ergo. Ideo baptizatur Christus, nõ ut sanctificetur ab aquis, sed ut ipse aquas sanctificet, & purificatione sui purificet fluenta illa quæ tangit. Consecratio enim Christi, consecratio maior est elementi. Cùm enim saluator abluitur, iam tunc in nostrum baptismum tota aqua mundatur, & purificatur fons, ut secuturis postmodũ populis lauacri gratia mi-
Exod. 13 nistretur. Præcedit ergo Christus per baptismum, ut Christiani post eum cõfidenter populi subsequantur. Intelligo ergo mysteriũ. Ita enim & columna ignis præcessit per mare rubrum, ut intrepidum iter Israel filij sequerentur, & ipsa prius per aquas gressa est, ut uenientibus post se uiandi semitam præpararet. Quod factum, sicut Apostolus dicit, mysterium baptismi fuit. Baptismum plane quodãmodo fuit, ubi homines nubes operiebat, unda portabat. Sed hæc omnia operatus est Christus dominus idem qui & modo, qui sicut tunc per mare filios Israel in ignis columna præcessit, ita nunc per baptismum Christianos populos in corporis sui colũna præcedit. Ipsa inquã, est columna quæ tunc sequentiũ oculis præstitit, modo lucem credentiũ cordibus subministrat. Tũc in fluentis undarũ solidauit semitã, modo in lauacro fidei uestigia corroborat: per quam fidem, sicut filij Israel, qui intrepidus ambulauerit, persecutorem Aegyptiũ nõ timebit.

Item de sancta Epiphania. Sermo XIX

Sermo Maximi Episcopi. Xultandum nobis est fratres charissimi quòd uotis nostris uota succedũt, quod gaudijs gaudia cumulantur. Ecce enim adhuc natalis dominici solennitate corda nostra persultant, & iam festiuitate sanctæ Epiphaniæ gloriamur. Gratias igitur agere debemus domino, qui nos frequenter uisitat, ut sæpe lætificet: dentius repetit, ut numerosius benedicat. Quanuis igitur

igitur gentilis (licet uane) numerosa solennitate lætetur propter diuersitatem deorum suorum: tamen plures nobis festiuitates præstat unius dei uisitatio, quàm illis multorum dæmonum superstitiosa præsumptio. Nam sicut eos ueritate religionis uincimus: ita uotorum numero superamus. Epiphaniæ ergo hodie procuramus gaudia. Quærat aliquis quid interpretetur hoc uerbū, scilicet quia Epiphanein Græcè, Latinè dicitur apparere. Ergo quia tunc primum apparuit Saluator in mūdo, ipsa dies eodem uocabulo Epiphania nuncupata est. Quomodo autem apparuerit, requiramus, non in quod mundo antè non fuerit, cùm mundus per ipsum factus sit, sed quòd tunc primum signis atq; miraculis credentium cordibus deus Christus illuxerit, & in tenebrosas cōscientias hominum fidei splendor aduenerit. Cùm igitur deus ubiq; sit, & uniuersa possideat, tanquam non uisus antea, apparuisse dicitur. Apparuit autem non tam oculis hominum, quàm saluti. Nam etsi prius natus ex uirgine oculis carnalibus uidebatur, tamē non apparebat: quoniam uirtutē eius adhuc fidei acies ignorabat. Vnde Iudæis per prophetam dicitur: Videntes uidebitis, & non uidebitis: hoc est saluatorē quem cernerēt oculis corporalibus spirituali lumine non uiderent. Postea enim quàm diuinitatem suam mirabilibus declarauit, humanis mentibus tanquam nouus & inopinatus apparens, oculis quorundā cordis infudit, ut cognosceret sensus quem non cognouit aspectus. Vnde fit ut nos Christū dominum per fidem, quem nunquam uidimus, contemplemur: Iudæi quem perspexerunt oculis, palpauerunt manibus, hodieq; non uideant. Requiramus igitur quod signū operatus sit, ut diuinitatem suam hominibus declararet. Dicitur hoc primum fecisse miraculum, ut aquam mutaret in uinum. Magnum plane signum, & ad dei credendum sufficiens maiestatem. Quis enim non miretur in aliud quàm erant elementa translata? Nemo enim potest mutare naturam, nisi qui dominus est naturæ. Credendū est iam ex hoc mortalem hominem in immortalitatem posse conuerti, quando uilis substantia in pretiosam est conuersa substantiam. Nolo enim auditor nomina tantum perspicias uini & aquæ: sed si uis potentiam comprobare, uirtutē rerum aspice. Facto enim hoc altius nescio quid demonstratur. Nam cùm dominus aquam uertit in uinum, non tantū hoc operatur ne discumbentibus desit ebrietas, sed ut credentibus abundet æternitas. Siquidem propterea in mundum uenerit Christus, non ut conuiuarum cellaria procuraret, sed ut saluti hominū prouideret: nec ut hydrias substantia boni odoris impleret, sed ut animas gratia sancti spiritus irrigaret. Et cùm ille ex uili aqua uini optimi saporem uoluit gustare conuiuas, magis uoluit ex hac uili carne resurrectionis cœlestis sapientiā gustare credentes. Nam hoc signo totum utiq; resurrectionis mysterium continetur. Aqua enim uilis, pallens, & frigida, in uinum uersa, scilicet pretiosum rubrum, uel ignitum, hoc significat, hominis substantiam conditione uilem, imbecilitate pallentem, morte frigentem in resurrectionis gloriā cōmutandam, quæ est æternitate pretiosa gloria colorata, spiritu immortalitatis ignita. Hoc igitur dignum est credere dominum operari uoluisse, ut per hoc terrenum signum, futurum iam tunc à sapiētibus cœleste mysterium uideretur. Nam si mirabile est utiq; quæ defecerant conuiuijs uina suppleſſe, quanto est mirabilius uitam quæ est exhausta, hominibus reparasse? Et si gloriosum est aquam in uinum mutare, quanto est gloriosius peccata in iustitiam commutare, & mores potius temperare, quàm pocula? Ausim dicere illas hydrias non solum illi conuiuio, sed uniuerso mundo pretiosam illam ministrare substantiā, nisi quod nobis melius administrant. Constat enim ex ipsis uasculis illos hausisse ebrietatem, nos haurire iustitiam: Illos percepisse uini poculum, nos calicem salutis accipere: & si dici fas est, apud illos pertransisse quod biberant, apud nos uero permanere quod sumpsimus.

Ioan. 2

Esa. 6

Item de eodem. Sermo. XX

MEminit sanctitas uestra fratres superioris prædicationis nostræ, qua descripsimus beatos Apostolos uno uiso miraculo, hoc est aqua in uinū à Saluatore conuersa, in eum protinus credidisse. Ita enim ait Euangelista de domino: Et manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius. Quod factū non ideo tantum scriptum est, ut illorum sub quibus factū est fidei gloria monstraretur, sed & propter nos, qui eodē deuotionis exemplo credulitatis gloria prouocamur. Christus enim quod operatus est non illis tantū operatus est quos habebat tūc præsentes, sed & nobis

Ioann. 2

postea secutures: ut licet maioris nostri tempore nos præcederent, tamen signorũ gratia non pręirent. Quæ enim illis exhibita est præsentia rerũ in mirabilib. uirtus, eadẽ uirtus nobis literarũ thesauro conseruata: ut nobis præstaret pagina, quod illis gerebat historia: immo in nobis geritur quicquid nobis ingeritur, quicquid nobis insinuatur, ut scripturarũ speculo dictaretur: & potentiã domini quam illi carnalibus oculis cernerẽt, nos spirituali lumine uideremus. Et crediderunt in eum, & manifestauit gloriam suã discipulis suis. Quàm bene potentiam domini subsequitur deuotio seruulorum: & quod magister docet opere, discipuli in corde describũt. Ecce cui manifestatur uirtus operantis, & fides prædicatur manifesta credentiũ. Prædicanda plane Apostolorum fides, quæ uiso uno signo credidit in omnipotentiam saluatoris: & Apostoli dum mirantur aquã in uinum uersam, ipsi ex omni fæce peccatorum similiter sunt conuersi, & instar facti miraculi ex uili superstitione gentilium in preciosam deuotionẽ credentium sunt translati. Et ut aqua in uinum uersa, sapore, rubore, calore conditur: ita scientiæ, quod erat in his insulsum, accepit saporem: quod pallens, gratiæ sumpsit colorẽ: quod frigidum, incaluit immortalitatis ardore. Magnificanda igitur Apostolorũ fides, quæ ideo Euangelico sermone descripta est, ut & illis esset ad laudẽ, & nobis proficeret ad exemplum. Sed quod peius est, his illis laus sua permanet, nos exempla non permouent. Nã quanto posteriores sumus tempore, tãto & inferiores merito. Illi enim uiso uno signo statim domino crediderũt, nos acceptis adhuc tot beneficiorũ mirabilibus dubitamus. Dubitamus inquã, quia pręsentia diligimus, dum futura non credimus: diuitias amamus in seculo, dum eas accipere cunctamur à Christo. Iracundia immoderate extollimur, dum retributionis iu-
Matth. 7 dicium nõ timemus. Cæterùm qui nouit scriptum esse: Quo iudicio iudicaueritis, eodẽ iudicabitur de uobis: absq; dubio lenis moderatus & mitis est, & plus bonitate cogit, quã seueritate compellit: amicus indulgentię, familiaris est ueniæ: ut dum eam frequenter impartit, à domino semper accipiat. Siquidem prudentis sit rectoris ita terrenos honores agere, ut honorificentiam cœlestis dignitatis acquirat. Et si interdum uigorem dicendi in nobis corporis obtundat infirmitas, tamen studio deuotionis uestræ fortiores efficimur. Nam quo uos studiosius auditis, eo nos libentius prędicamus, & uirtus nobis loquendi additur cum uos intelligendi accõmodatis auditũ. Quis non conetur illic uerbi cœlestis semen iacere, ubi illud puri cordis fœcunda terra susçipit? Quis inquam non illic uerbum saluatoris collocare uelit, ubi illud non secularium solicitudo præfocet, sed disciplinarum spiritualiũ uirtus enutriat? Ergo fratres quia in sancta Epiphania exultauimus uidentes miracula saluatoris, debemus facere quod illius temporis discipuli tunc fecerunt. Quod autem dixi uidisse nos modo quod olim gestum est, uidemus plane, uidemusq; quotidie. Ea enim sunt Christi miracula, ut non iniquitate prætereant, sed gratia conualescant: non obliuione sepeliantur, sed uirtutibus innouentur. Apud potentiã enim dei nihil est abolitum nihil præteritum, sed pro sui magnitudine omnia illi in præ-
Psalm. 89 senti sunt, totum illi tempus est hodie. Vnde & sanctus propheta dicit: Mille anni ante oculos tuos tanquam dies una. Quod si omne seculi tempus una dies est domino, eadẽ quæ mirabilia saluator patribus operatus est, operatus & nobis est. Vidimus igitur & nos sicut maiores nostri mirabilia domini, cũ pari ea cũ illis stupore suspeximus. Gustauimus & nos sicut illi de ipsis hydrijs. Siquidem illi de his poculũ uini biberunt, nos salutis calicẽ sumpserimus. Debemus ergo facere uiso signo domini quod nostri fecere priores. Si enim eadem in nobis diuinitatis refulsit gratia, eadem & fidei apud nos debet esse
Ioann. 2 deuotio. Dicit enim Euangelista de domino hoc miraculo perpetrato: Et manifestauit gloriam suam, & crediderunt discipuli in eum. Credere ergo debemus, sicut tunc Apostoli crediderunt. Dicit autem & alius: Et nos Christiani sumus, credimus in dominum saluatorem. Sed credere opus est opere, non sermone, non lingua, sed corde, ne & nobis
Esa. 29 dicatur: Plebs hæc labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me.

Item de die sancto Epiphaniæ. Sermo. XXI

Lericq; in hac sancta Epiphaniæ die hactenus à domino mirabilia facta esse commemorant, ut rogatus ad nuptias aquæ substantiam in uini speciẽ com-
Ioann. 2 mutaret, ac liquorem fontium in meliorem usum sui benedictione trãsferret ministros hausisse aquam de puteis, uinum in hydrijs inuenisse: atq; utiliore dispendio perdidisse

perdidisse quod impleuerant, reperisse quod deerat, tuncq; primum hoc mirabili signo diuinitatis suæ declarasse uirtutem. Nonnulli autem in hac sancta die ab Ioanne baptizatum eum in Iordane testantur, atq; in lauacri eius gratia interfuisse loquendo deũ patrem, sanctum quoq; spiritum descendisse. Nec mirum si in domini lauacro mysterium non defuit trinitatis, cum nostrum lauacrum trinitatis compleat sacramentum. Neq; enim poterat dominus non primum circa se exhibere, quod erat postea humano generi præcepturus, cum omnia non sui caussa, sed nostræ gratia salutis efficeret. Aut nunquid propter se baptizari uoluit, cum peccatum non haberet, sicut dicit propheta: Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius? Sed propter nos utiq;, qui multorũ criminũ peccatis obnoxij opus habeamus ut in Christi baptismo purgaremur, atq; ideo uenit dominus ad lauacrum, non ut purificetur ipse aquis, sed ut nobis aquarum fluenta purificet. Ex quo enim ille in aquis se mersit, ex eo omnium credentium peccata deleuit. Necesse est autem ut omnium peccata deleuerit qui omnium peccata susceptit, sicut ait Euangelista: Hic est agnus dei, hic est qui tollit peccatum mundi. Mirum ergo in modum unus mergitur, & salus omnium reparatur. Adest ergo deus pater cum baptizatur dominus, adest Spiritus sanctus. Videte saluatoris beneuolentiã, qua solus se in passione contumelijs subdidit, in lauacro solus gratiam nõ quæsiuit, uult participes esse gloriæ. Adest ergo, sicut dixi, pater, adest & spiritus sanctus, & quia deus uideri non potest, spiritus in columba, pater descendit in uoce: quodq; solum ad astruendam fidem hominibus necessarium erat, exhibet saluatorẽ. Fides enim nostra nisi auditu non constat & uisu: ideo se spiritus in columba oculis subdit, pater in uoce se auribus subministrat. Nã nisi propter nostram credulitatem ista fieri oportuisset, potuit pater & spiritus tanquam inuisibilis deus ad uerbum filium inuisibili prolapsione descendere. Igitur propter nostram fidem aperto cœlo spiritus ad Christum, pater ad filium, uox descendit ad uerbum. Verbum enim Christus est, de quo scribitur: In principio erat uerbum. Bene inquã pater uox, & filius uerbum dicitur, quia uerbum non nisi de uoce procedit. Conueniunt itaq; sibi uox & uerbum, & saluti hominum prouident societate mysterij. Qua autem ratione spiritus sanctus ad Christum in specie columbæ descenderit, uideamus utrum sit aliqua similitudo columbæ uel domini, sicut est uocis & uerbi. Et plane non parua. Columbam enim etiam ipsum dominum dixerim, quia est alacer, mitis & simplex. Columba est, quia sanctos suos esse præcipit ut columbas, dicens: Estote simplices sicut columbæ. Quod autem columba Christus sit, propheta dicit ex persona ipsius, describens post passionem reditum eius ad cœlum: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & uolabo, & requiescam? Cum ergo Christus dominus initiaret ecclesiæ sacramenta, cœlo superuenit columba. Intelligo mysterium, agnosco etiam sacramentum. Columba enim ipsa est quæ nunc ad ecclesiam Christi in baptismo uenit, quæ quondam ad arcam Noe in diluuio properauit, tunc illi securitatem annuncians oliuæ ramo, modo huic æternitatem conferens diuinitatis indicio. Tunc signum pacis ore afferens, modo ipsa pacem Christũ sui substantia superfundens. In Iordane igitur baptizatus est dominus. Multa mirabilia in hoc flumine sepius facta esse scriptura commemorat, inter cætera dicens: Et Iordanis cõuersus est retrorsum. Puto autem esse mirabilius quod domino Iesu Christo ibi posito factum est. Antè enim retrorsum aquæ conuersæ fuerant, modo retrorsum peccata conuersa sunt. Et sicut tunc impetus fluminis alueum sui cursus perdidit: ita & nunc impetus peccatorum dominium sui erroris amisit. Quod quidem in propheta Helia iam illo in tempore factum puto. Sicut enim Helias in Iordane diuisionem fecit undarum: ita & spiritus domini in eodem Iordane separationẽ operatus est peccatorũ. Ille stare fluenta præcepit, hic crimina. Et sicut sub Helia fluctus primordia fontium de quibus exierant petiuerunt: ita & sub Christo domino homines ad originis suæ infantiam, de qua fuerant exorti, sunt reuersi.

Esa.53 *1.Pet.2* *Ioann.1* *Ioann.1* *Matth.10* *Psalm.54* *Geneſ.8* *Psalm.113* *4.Reg.2*

Post Epiphaniam. Sermo. XXII

A Omnes uos fratres prædicationem meam in die sancta Epiphaniæ peruenisse credo, & ad uos præcipue catechumenos: in qua descripsimus tũc, nonnullis asserentibus, aquam in uinum fuisse conuersam: pleriscq; autem testantibus, illa die in Iordane dominum baptizatum. Quod licet à diuersis alterutrum factũ

esse credatur: ego tamen utrumq; factum esse confirmo, & aliud signum de alio contineri. Vtrumq; enim factum est. Nam cum baptizatus est dominus, & mysterium lauacri instituit, & humanum genus uelut uilem aquam in æternam substantiam diuinitatis sapore conuertit. Similiter & cũ hydrias plenas liquore fontium uertit in uinum, utrumq; operatus est, & speciem magis necessariam nuptijs præstitit, & demonstrauit corpora hominum per lauacrum spiritus sancti replenda esse substantia. Quod alibi ipse dominus manifestius declarauit dicens in utres nouos uinũ nouum esse condendum. In nouitate enim utrium lauacri puritas, spiritus sancti gratia significatur in uino. Igitur catechumenos diligentius oportuit hoc audisse, quibus magis est necessarium, ut sensus uester, qui ignorantia trinitatis ut aqua nunc friget, agnitione mysterij incalescat ut uinum, & animarum uestrarum liquor uilis & tenuis in preciosam & fortem gratiam transfundatur, ut uini uice sapiamus quod bonum est, redoleamus quod suaue est, & possimus dicere illud Apostoli: Quoniã Christi bonus odor sumus deo. Catechumenus enim priusquam baptizetur, sicut aqua iacet, riget & pallet. Fidelis autem sicut uinum fortis & ruber est. Catechumenus inquam sicut aqua nullius saporis, nullius odoris, nullius est precij, nec sufficiens ad usum, nec delectabilis ad reficiendum, nec tolerabilis ad seruandum. Nam sicut aqua cum seruatur diutius, in deterius uersa intra semet putrescit & fœtet, ita & catechumenus cũ diutius catechumenus permanet, in deterius conuersus intra semet uilescit & deperit. Ait enim dominus: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum. Qui autem non intrat regnũ necessario remanet in inferno. Rectè autem uino comparatur fidelis. Sicut enim ex cunctarũ creaturarum substantia omnis res uetustate deperit, solum uinum proficit uetustate: ita ex omni genere hominum cunctis antiquitate pereuntibus, solus Christianus proficit uetustate. Et sicut uinum in dies singulos asperitatẽ suam decoquens, saporis dulcedinem, suauitatẽ odoris acquirit, ita & Christianus successu temporis delictorum suorũ asperitatem decoquẽs, sapientiam sibi diuinitatis beneuolentia trinitatis assumit. Ergo in hac sancta die baptizatus est dominus. Videte quàm bene ordinauerit ut & in natali suo natus sit, & in Epiphania sit renatus, ut nec longe à se salutis humanæ uota distarent, & æternas saluatori iugiter gratias ageremus: tunc & uota nostra celebrata sunt, quo Christo ecclesia copulata est, sicut ait Ioannes: Qui habet sponsam, sponsus est. Propter has ergo nuptias salta re nos conuenit. Siquidem & Dauid rex pariter & propheta cũ multa cecinerit, & ante arcam saltasse dicatur: Elatus enim gaudio in saltationem prorupit. Præuidebat enim in spiritu per Mariam de germine suo ecclesiam Christi thalamo sociandam, de quo ait: Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Atq; ideo præ cæteris prophetarum authoribus plus cantauit, quia lætior cunctis per hæc gaudia suos posteros cõiungebat, & ad propria uota omnes gentes solito dulcius inuitabat: nos quoq; docuit quid ipsis facere deberemus in nuptijs, cum ille ante nuptias tota exultatione lætatus sit.

Matth. 9

2. Cor. 2

Ioann. 3

Ioan. 3

2. Reg. 6

Psalm. 18

De quadragesima. Sermo. XXIII

Sanctæ quadragesimæ rationem, cuius hodie initium celebramus, frequenter edidimus, & cur tot dierum numero ieiunemus, sæpe docuimus. Diximus enim quòd dominus Iesus Christus hunc eundẽ numerum ieiunij consecrauit, & continuatis diebus noctibusq; non capiens cibum, unum ieiunij corpus effecerit, hoc est, licet diei ordo noctis interrumperetur aduentu, non tamen interruptus est ordo ieiunij. Vnde erant apud eum plura temporum curricula, sed abstinentiæ dies una ostendens nobis ita nos hunc numerum integrum ieiunare debere, ut quia totam quadragesimam complecti non possumus solido & uno ieiunio, uel quotidianis eandem sine intermissione ieiunijs celebremus: ut si quisquam unam diem abstinendo prætermiserit, totã quadragesimam uiolarit, & propter modici temporis cibum magni fructum laboris amiserit. Sed dicit aliquis, Quadragesimæ aliquotiens accepimus rationẽ, & eam consecratã à domino frequenter audiuimus: sed cur eadẽ quadragesima quadraginta & duos dies habeat, audire gestimus. Legimus in Veteri testamento cum sanctus Moyses filios Israel de iugo Aegyptię captiuitatis erueret, ut in terrã eos repromissionis induceret, quadraginta & duorũ dierum eum ad memoratã terrã mansionibus peruenisse, tantoq; illum temporũ numero potitũ esse promissis, quanto & nos promissis nobis à

bis à saluatore perfrui gratulamur. Eodem inquam numero Moyses per mansiones peruenit ad requiem, quo & nos per ieiunia properamus ad cœlũ. Ieiunia enim nostra mansiones quædam sunt, per quæ iter spiritualiter facientes animæ uirtutibus ambulamus, & diurno profectu repromissæ nobis terræ uiciniores efficimur, ita ut citius perueniat qui deuotius ieiunarit. Pedes enim quidam animæ pernices sunt fides atque ieiunium, qui cito de humilibus ad altiora conscendunt, cito de terrenis ad cœlestia gradiũtur. De his pedibus dicit Apostolus: Quàm speciosi pedes Euangelizantiũ bona. Hos pedes lauari præcepit dominus, sicut Apostolus ait de uidua: Si sanctorum pedes lauit. Digni enim honore Euangelizantium pacẽ pedes sunt, qui spirituales ac nitidi doctrina super hominum corda gradiuntur. Quadraginta etiam & duorum dierum numero Israel populus peruenit ad fluenta Iordanis: Eodemq; dierũ circulo Christianus populus peruenit ad fluenta baptismatis. Et sicut ait propheta: Iordanis cõuersus est retrorsum, illic introeũte Israelita in aquam fluminis, unda superfugit, hic descendẽte in fontem Christiano criminum peccata diffugiunt. Et mirũ in modum illic retrorsum cõuersus fluuius in originẽ suam reuertitur: hic in posterum reuocatus homo in originis suæ infantiam reparatur. Ibi fontẽ suum de quo egressa fuerat unda perquirit, hic hominẽ suum à quo exierat innocentia recognoscit. Ibi exinanitur alueus fluctibus, hic euacuãtur corda criminibus. Ibi ut seruos dei illic aqua cœnosa non madidet, hic famulos dei conscientia tetra non polluat. Iordanis enim quidam est fons lauacri per quem qui transiuerit, relictis sordibus paradisum repromissionis ingreditur. In hoc ergo quadragenario & duali numero Israel populus relinquens Aegyptum rubri maris fluenta transcẽdit: & nos quoq; in ipso numero relinquentes mundi Aegyptũ gehennæ ardentis stagna transimus. Illos in fluctibus unda sustentat, nos ignis flamma non urit. Illis solidatur aqua, nobis refrigescit incendiũ. Et cõtra naturæ usum per ęstum siccatur mare, per fontẽ baptismi gehenna mitescit. In hoc inquam mystico numero filij Israel perueniẽtes ad myrrhã, cum prę amaritudine aquã haurire non possent, (habebat enim fons aquam, sed dulcedinem non habebat: erat delectabilis ad uisionẽ, sed syncerus non erat ad saporem) iniecto in eam per Moysen ligno, dulcedinem suauiter potarunt: austeritatem quam noxia unda gestabat, ligni abstulit sacramentum. Quod quidem in figura factum puto. Aquam enim amarã myrrha, legem esse arbitror Veteris testamenti, quę lex prius quàm cruce temperaretur domini, erat immitis. Iubebat enim oculum pro oculo, dentẽ pro dente dari, & uelut austeris nullum misericordię refrigerium porrigebat. At uero ubi ligno Euangelicę passionis est temperata, statim amaritudinem suam suauitate commutans, dulcẽ se cunctis prę stitit ad potãdum, sicut ait propheta: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & fauum ori meo. Dulcia enim sunt eloquia quæ iubent, Si quis te percusserit in maxillam, præbe ei & alterã. Si quis tibi aufert tunicam, relinque illi & pallium. Hæc est ergo illa amaritudo quæ dulcedine commutata est, id est austeritas legis Euangelij gratia temperata est. Amara enim est legis litera sine crucis mysterio, de qua ait Apostolus: Litera occidit. At ubi passionis illi sacramenta iunguntur, omnis eius spiritualiter amaritudo conditur. Et de ea dicit Apostolus: Spiritus autem uiuificat.

Rom.10
1.Timot.5
Psalm.113
Leuit.24
Psalm.118
Matth.5
2.Cor.3

Item de quadragesima. Sermo. XXIIII

R Etinent adhuc sensus uestri fratres, nos hoc superiore dominica prædicasse quod huius quadragesimæ nostræ figuram illæ quadraginta & duæ mansiones habuerint, per quas populus Israel exiens de Aegypto, diurno profectu terram repromissionis intrauit, & quasi quibusdam salutis gradibus post iugum seruitutis ascendit ad regnum. Figura inquam fuit in illis mansionibus ieiuniorum nostrorum, non solum in quantitate numeri, sed etiam in obseruatione uirtutum. Nõ enim tantum filij Israel in itinere deserti corporeis gressibus ambularunt, quantum in uia domini religiosis actibus profecerunt. In uia plane ambulauerunt domini, quæ illos potauit in fluctibus, & pauit è cœlo. Esurientibus enim in eremo manna nõ defuit, periclitantibus in mari terra non fugit. Ibi mare in semitam sternitur, hic cœlum ad pabulum referatur. Propter gratiam famulorum dei Iordanis fluenta sua retinet, aquam suam myrrha commutat. Illic retrorsum conuersa, quæ sequebatur unda præcedit. Hic in melius temperata quæ amarum stillabat uena dulcescit. Et mirum in modum fluuius cursum perdidit,

fons saporem. Sed quoniam diximus filios Israel uenientes ad myrrham, aquę amaritudine laborasse, eamq; non nisi ligni iniectione potare potuisse, typum quoq; in illa fuisse Veteris testamenti, uideamus quo exinde proficiscens populus ipse peruenerit. Peruenit in locum qui dicitur Elim, in quo erant duodecim fontes purissimi, & septuaginta uirentium multitudo palmarum. Videte mysterium dei quemadmodum post amaritudinem Legis, fluenta Euangelicæ pietatis exuberēt. Ibi fons unus austerus est ad bibendū, hic plures, omnes dulces sunt ad potandum. Ibi post fatigationē nulla refectio, hic post laborem refrigerium atq; uictoria. Sitientibus enim fontes ministrantur, palmæ uincentibus offeruntur. Palmæ inquā offeruntur uincentibus, quia post Legis duritiam ad Euangelij gratiam peruenisse, uicisse est. Præmium enim quoddā uictoris est os uiuo fonte diluere, dexteram triumphali palma munire. Per fontem enim lingua confessoris purificatur, per palmam dextera martyris honoratur. Illa quia Christi exaltauit gloriā, hæc quia aram sacrilegij recusauit. Præmium enim quoddam est palma martyrij, quæ contenti linguæ dulcem fructum tribuit, & uictrici dexterę glorioſum præstat ornatum. Est plane palma martyribus suauis ad cibum, umbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper uirens, semper uestita foliis, semper parata uictoriæ. Atq; ideo non marcescit palma, quia martyrum uictoria non marcescit. Ipsæ denique palmę sedenti super asinam & uenienti ad templum domino à populis offeruntur. Cum enim discipuli uestimenta sua sternerent, & iter Christo suis amictibus communirent, nō habuit maius præmium nisi palmas quod ei deuotio plebis offerret, significans stratis in itinere uestibus impollutam uiam esse in mundo, oblatis palmis ipsum mundi esse uictorem. Ipse inquā uictor est, de quo ait scriptura: Vicit leo de tribu Iudæ. Ipse plane uictor, qui destruxit diabolicam mortem, uitam illuminauit æternā. Palmæ igitur aduenienti eriguntur Christo. Scriptum est: Iustus sicut palma florebit. Rectè ergo aduenienti iusto eriguntur uexilla iustitiæ, & authori suorū obsequuntur tituli triumphorū. Prius autem quam tollantur palmæ, iter domini usq; ad templū discipulorū uestibus operitur, & ut impolluta sit semita saluatoris, apostolorum amictibus communitur. Quod quidē in mysterium factū puto. Via enim Christi quæ ducit ad templū, fides eius est atq; doctrina. Hanc igitur uiam discipuli, ut nos sine offensione gradiamur, amictus proprij corporis exuentes suo strauere martyrio, ut inter diuersarum gentiū turbas iustitię semitā membrorū suorū uestimenta substernant, & cœnosam myrrhaginem mundi operiant, & impollutam uiam saluatoris ostendant. Ad duodecim ergo fontes post myrrham uenit populus Israel. Legimus in propheta: Benedicite domino de fontibus Israel. Dominus Christus est qui non nisi per apostolorum ora dicitur discipulorumq; doctrinam. Apostoli dicendi sunt fontes, quia uelut omnes purissimi gratia prædicationis exuberant, & post amaritudinem legis, uenarum suarum larga sapientia sacramenta poculi dulcedinem stillant. Nec mirū si potus dulcis est fontium, in quorū sinu cibus dulcior est palmarū. Apostoli ergo sunt fontes, qui totius terrę faciem doctrinæ suæ flumine rigauerunt, & fatigatis gentium populis potum diuini mysterij propinarunt. Septuaginta autē palmas iuxta fontes apostolicos generatas, septuaginta illos discipulos dixerim, qui secūdo ab apostolis gradu propter salutem hominum à domino dirigūtur, quos Lucas Euangelista describens binos & binos asserit destinatos. Qui uere uelut palmæ post curas hominum cum exultatione redeuntes gloriantur apud dominū sibi & dæmonia esse subiecta. Rectè igitur comparantur palmis, qui palmarum prę̄mio diaboli extitere uictores.

Exod. 15

Matth. 21

Apoc. 5

Psalm. 91

Psalm. 97

Luc. 10

Item de quadragesima. Sermo. XXV

INtellexisse uos credo fratres cur hic nostra ieiunia illis mansionibus comparauerim, in quibus populus Israel tanquam in procinctu quodam positus Pharaonem regem quotidiano labore superauit, & ab inimicis suis quasi quibusdam castris mansionum sese statione defenderit, ita ut quicunq; ex illo comitantium numero diurnæ stationis spatia non confecit, aut Pharao illum occupauit, aut solitudo peruasit. Sic ergo & nos propositum nobis quadraginta dierum iter debemus omni labore conficere, & quibusdā quasi castris nos ieiuniorū deuotione munire. Castra enim nobis sunt nostra ieiunia, quæ nos à diabolica oppugnatione defendunt. Deniq; stationes uocantur, quòd stantes & commorantes in eis inimicos insidiantes repellamus. Castra pla-

ſtra plane ſunt ieiunia Chriſtianis, à quibus ſi quis aberrauerit, à ſpirituali Pharaone inuaditur, aut peccatorum ſolitudine deuoratur. Peccatorũ autem ſolitudinẽ patitur qui deſeritur ſocietate ſanctorum. Murus igitur quidam eſt Chriſtiano ieiuniũ inexpugnabilis diabolo, intranſgreſſibilis inimico. Quis enim unquam Chriſtianorũ ieiunauit, & captus eſt? Quis ſobrius manſit, & uictus eſt? Temulentũ aggreditur diabolus, luxurioſum oppugnat inimicus. Vbi autem ieiunum uiderit, fugit, metuit, pertimeſcit, terretur pallore eius, debilitatur inedia, infirmitate proſternitur. Proſternitur inquã infirmitate, quia Chriſtiana infirmitas fortitudo eſt. Vnde ait Apoſtolus, Cum infirmor, tũc fortior ſum. Sed requirit aliquis, quemadmodũ fortis infirmitas? Tũc eſt fortis infirmitas, quando caro tabeſcit ieiunijs, anima puritate pingueſcit. Quantũ enim illi ciborũ ſuccus ſubtrahitur, tantũ huic iuſtitiæ uirtus augetur. Tunc igitur homo imbecillis quidẽ eſt ad ſecularia, ſed fortis eſt ad diuina opera. Tunc enim magis de deo cogitat, tunc iudiciũ metuit, tunc uincit inimicũ. Ait enim ſaluator de diabolo: Hoc genus nõ ejicitur niſi in ieiunio & orationibus. Dicit utiq; à diabolo energumenũ nõ niſi ieiunijs poſſe purgari. Videre ergo quæ ieiunij uirtus ſit, quantam homini ſuo præſtet gratiam, quòd tantã præſtet alteri medicinam: quemadmodũ propriũ ſanctificet hominẽ, quòd ita purificet alienum. Mira enim res eſt, alter ieiunat, & alteri prodeſt ieiunantis utilitas. Ergo fratres abſtinentiæ arma minime deponamus, & quadraginta dierũ ieiunia ſine intermiſſione curemus. Hic eſt enim perfectus numerus ad uincendũ. Dominus enim diabolum poſtea quàm quadraginta dies ieiunauit, euicit, non quòd non & ante ieiunia eum uincere potuiſſet, ſed ut oſtenderet nobis tũc nos diaboli poſſe eſſe uictores, cum per quadraginta dies uictores ieiunando deſideriorũ carnaliũ fuiſſemus. Eum autem qui hunc numerum conſecratum gulæ intemperantia uiolaſſet, tanquam imbecillẽ & miſerũ facilè eũ ab inimico poſſe ſuperari. Quomodo enim poteſt in altero diaboli improbitatẽ uincere qui gulæ intẽperantiã in ſeipſo nõ uincit? Prius ergo homo tui uictor eſto, ut poſſis eſſe uictor alterius. Sunt enim intra te proprij tibi hoſtes, qui quotidie te oppugnant. Ecce enim auaritia te diuitiarũ ambitione circũuenit, luxuria epularũ ſuauitate captiuat, hæreſis ſcientiæ peruerſitate peruertit. Vince ergo inimicos proprios, ut uincere poſſis alienos. Nõ enim fratres leue peccatũ eſt, fidelibus indictã quadrageſimã à domino ieiunare, & ieiunia conſecrata uentris uoracitate diſſoluere. Scriptũ eſt: Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Si uis ergo Chriſtianus eſſe, debes quod Chriſtus, facere. Ille qui peccatũ non habebat, quadrageſimã ieiunauit, tu non uis quadrageſimã ieiunare qui peccas? Ille inquã peccatũ non habebat, ſed pro noſtris ieiunauit peccatis. Qualis ergo apud conſcientiã tuã Chriſtianus es, cũ Chriſto pro te eſuriente tu prandes? Cum ſaluatore pro te ieiunante tu reficeris? Nõ igitur, ſicut dixi, leue peccatũ eſt, indictũ uiolare ieiuniũ. Nam ut hoc exẽplis breuiter approbemus, legimus in libris Regnorũ, cum Saul rex Iſrael bellũ cõtra Allophylos gereret, uniuerſo eum exercitui indixiſſe ieiunium, & abſtinentibus cunctis eum cõtra aduerſarios pugnare cœpiſſe. Bonus plane rex, qui hoſtes ſuos nõ tam armis quã deuotione uincebat, & plus dimicabat religione quã telis. Cum ergo Saul abſtinentiã diei ſuis omnibus indixiſſet, & Ionathas eius filius præcepti neſcius inter medias hoſtiũ acies uictor incedens fauũ mellis intincta ſceptri ſummitate guſtaſſet, tãta indignatio repẽte cõmota eſt, ut & differretur uictoria, & diuinitas læderet. Deniq; nec bello finis imponitur, nec regi reſponſum propheticum datur. Vnde intelligimus quòd Saul hoſtes non tam uirtute militũ, quàm militum abſtinentia ſuperabat. Deniq; unius culpa cunctis confertur ignauia, & unius delicto omnibus generatur infirmitas. Deficit enim uirtus in exercitu, ut deficit in obſeruatione ieiunium. Quod ut peccatum Saul ex ipſa diuinitatis offenſione cognouit, ſtatim Ionathæ dixit nõ eſſe parcendum, ſed peccatum admiſſum effuſione eius ſanguinis expiandum. Videte quãta apud Saul regẽ fuerit religionis obſeruãtia, qui offenſum deum optauit etiã parricidio mitigare. Et quanta ſit reſoluti culpa ieiunij, quæ non niſi ſanguinis effuſione punitur. Et ſi ignorãs Ionathas indictũ à patre ieiuniũ quia reſoluerit, morti addicitur: qui ſciens indictũ à Chriſto reſoluit ieiuniũ, quid meretur? Ergo fratres ſtatutum nobis cuſtodiamus obſeruatione ieiuniũ, ut hoſtes noſtros ſpirituales carnalesq; uincamus. Habemus enim, ſicut noſtis, carnales hoſtes. Ieiunemus igitur ut eos

2. Corin. 2

Matth. 17

1. Ioan. 2

1. Reg. 14

& exercitus noſter & Saul ſuperet & obtineat. Nec in abſtinentia poſiti declinemus ad fauum. Fauus enim quidam mundi eſt uoluptas ſeu uitia, quæ ſicut ſcriptum eſt, ad tem-
Prouer. 5 pus quidem impinguant fauces, nouiſſima amariora ſunt felle.

Item de quadrageſima. Sermo. XXVI

ON uſq; adeò cõtriſtari debemus fratres, quod in his quadrageſimæ diebus tentatio nobis tribulationis aduenit, quoniam & ſaluatorem noſtrum propter ipſam quadrageſimam uidemus eſſe tentatum. Minus ergo dolere debemus ſeruuli, quia domini habemus exemplũ. Vbi enim eſt ſimilis cum Chriſto deuotio, ſimilis eſt & cum Chriſto tentatio. Conditionem enim nobis tolerandi imponit conditio ieiunandi. Credimus autem, ſicut Saluator noſter diabolum cum tentaretur obtinuit: ita & nos hoſtes noſtros cum tribulamur poſſe deuincere. Ieiunia enim Chriſti tentari poſſunt, non poſſunt, ſuperari. Anguſtias quidem in obſeruatione habent, ſed proſperitatem tribuunt & ſalutem. Videamus igitur inter cæteras tentationes qua domi-
Matth. 4 num diabolus arte laceſſat. Cum enim ſuper pinnam ſtaret templi ſaluator, ait diabolus. Si filius dei es, mitte te deorſum, & reliqua. Verè diabolicæ fraudis aſtutia conſuetudinis ſuæ nititur argumento. Semper enim religioſos de ſuperioribus deĳcere ad inferiora conatur, & de ſanctis ac uenerandis actibus deducere ad terrena & cœnoſa feſtinat: ut qui ſtat puritate mentis in ſummitate templi, proĳciat ſe in profundum inferum contagione peccati. Nam cum dominum de pinna templi deĳcere nititur, utiq; de perfecto religionis cultu eum remouere conatur. Pinna enim loci ſancti, perfectio cœleſtis eſt ſacramenti. Rectè autem dominus ſuper pinnam templi ſtare dicitur, quia de ipſo ſcriptũ
Pſalm. 103 eſt: Qui ambulat ſuper pennas uentorum. Super pennas enim uentorum quodammodo ambulat dominus, cum ſuper morum noſtrorum alacri conuerſatione uolatu incedit. Pennæ enim nobis ſunt boni mores, qui nos alleuatos à terræ humilibus in cœli altiora tollunt, & uolatu quodam mentis de tartari tenebris educunt, & ad paradiſi amœ-
Pſalm. 54 na perducunt. Quorum morum pennas habere propheta deſiderans ait: Quis dabit mihi pennas columbæ, & uolabo & requieſcam? Super hanc ergo pinnã templi ſaluator ſtare dicitur, hoc eſt quaſi in quodam templo fidei noſtræ conſiſtere. Vnde ait Apoſto-
1. Corin. 3 lus: Vos eſtis templum dei, & ſpiritus dei habitat in uobis. In hoc igitur templo ſtans
Deut. 6 dominus nec recedens increpat diabolum dicens: Scriptũ eſt, Non tentabis dominum
Matth. 4 deum tuum. Hoc eſt, non tentabis eum quem putas tanquam hominem ad inferiora pellendum, ſed magis tanquam deum & dominum ipſum noueris adorandum. In his ergo ieiuniorum diebus tentamur ad ſimilitudinẽ ſaluatoris. Similiter enim & nos hoſtes noſtri de pinna templi, hoc eſt de obſeruatione quadrageſimæ turbare conantur. Dum enim terrores ingerunt, dum inſidias parant, cupiunt nos de arce religionis abducere. Dicitur autem ei à domino: Non tentabis ſanctos uiros & famulos dei. Quos enim tanquam humiles conculcandos putatis, ſentietis tanquam ſtrenuos honorandos. Sunt enim, ſicut dixi, pleriq; fratres quos hoſtes noſtri de perfectione religionis abducunt: qui dum præſens malum metuunt, putant deum noſtræ ſalutis immemorẽ, neſcientes quòd deus nullius eſt immemor, ſed immemorẽ illum noſtri tũc nos facimus, cum peccamus. Cum enim mala operamur, auertit faciem: cum nephanda loquimur, aurem obſtruit: & ideo bonitatem ſuam à nobis deus non tam ipſe retrahit, quàm noſtra illum delicta reĳciunt. Ait enim idem dominus per prophetam ad eos qui erant in tribulationibus con-
Eſa. 50 ſtituti, Nunquid non ualet manus dei eruere uos? & reliqua. Vides ergo quoniam inter deum & hominem peccata ſeparant. Tolle igitur peccata de medio, & deum tibi proximum tu feciſti. Quomodo enim poteſt fratres obliuiſci noſtri deus, qui etiã capillos ca-
Luc. 12 pitis noſtri in Euangelio apud ſe dicit eſſe numeratos? Si enim capillorũ noſtrorum meminit, multo magis noſtrarum animarum meminit. Per numerũ enim curam circa nos ſolicitudinemq; cognoſcimus. Nemo enim numerat, niſi quod uult diligentius cuſtodire: nemo numerat, niſi qui ueretur ne fraudem abſq; numero patiatur. Paſtor ut ſaluum
Luc. 15 gregem habeat, eum frequenter annumerat. Denicq; dominus qui eſt bonus paſtor, cum una ouicula de centum ouibus aberraſſet, recurrens ad numerum proprĳs eam ad gregem humeris reportauit. Vſq; adeò ergo habet ſub tutela qui habetur in numero, ut errans proprĳs apportetur humeris, ne quid de numero minuatur. Nolite ergo putare fratres

tres quòd uel minimi cuiuſquam obliuiſcatur. Deus enim omnium meminit, omnium recordatur, tantum ut non noſtris interuenientibus peccatis ei inferatur obliuio.

De ieiunijs. Sermo. XXVII

TEſtimonium perhibet ſanctus Apoſtolus de prophetis dicens, Tempore, in quit, acceptabili exaudiui te, & in die ſalutis adiuui. Et ſubſequitur ipſe, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nũc dies ſalutis. Vnde & ego teſtificor uobis hos eſſe dies redemptionis, hoc eſſe tempus cœleſtis quodãmodo medicinæ, in quo omnium uitiorum noſtrorum labem & uniuerſa uulnera peccatorũ ſanare poterimus, ſi medicum animarum noſtrarum fideliter exoremus ut præcepta eius tanquam ſuſcepti idonei minime diſpernamus. Tunc enim languidus ægritudinis ſuæ inuenit medicinam, ſi omni ſolicitudine medici mãdata ſeruauerit. quòd ſi aliud faciat cũ aliud iubetur, increſcẽte morbo nõ medicus, ſed præuaricator in culpa eſt. Medicus autẽ eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ait: Ego occidã, & uiuificabo: percutiam, & ſanabo. Occidit enim quodammodo antequam uiuificet dominus. Occidit enim primũ in nobis homicidia, adulteria, ſcelera, furta, per baptiſmum: & ſic nos tanquam nouos homines æternitatis immortalitate uiuificat. Morimur ergo peccatis, uidelicet per lauacrum: regeneramur autem uitæ per ſpiritum, ſicut ait ſanctus Apoſtolus: Quoniam mortui eſtis delictis ueſtris, & uita ueſtra abſcondita eſt cum Chriſto. Conſepulti enim eſtis cum illo per baptiſmum in mortem. Occidimur enim quodammodo, cum deſinimus eſſe quod fuimus. Nouo enim pietatis genere in uno eodemq; homine mors operatur & uita. Moritur enim concupiſcentia peccatorum, uiuificatur ordo uirtutum. In uno nanq; eodem homine impius & adulter occiditur: ut miſericors renaſcatur & caſtus. Interimitur idololatria, ut religio propagetur. Fornicator & ebrioſus extinguitur, ut continens & ſobrius procreetur. Sic ergo mortificat dominus, ut uiuificare faciat: ſic occidit, ut proſit: ſic uerberat, ut emendet. Hæc eſt igitur circa homines ſuos eius tota ſeuerĩtas, ut in his peccata puniantur, anima conſeruet̃: auferantur deteſtanda uitia, uirtutes optimæ nutriantur. Vſqueadeo autem hac pia occaſione domini cernimus pleroſq; conuerſos in tantum ad melius profeciſſe, ſic de peſſimis optimos factos: ut cum uideas eos, credas renatos homines, cũ non uideas mutatas eſſe perſonas. In tantũ enim in nobis id quod prius eramus interimitur, auferẽ, extinguitur, ut id quod poſtea ſumus, denuo natum eſſe credamus: unde natiuitas hæc ſecũda, prioris uitæ finem iam fuiſſe ſignificat. Quod autem ait, Ego percutiam, & ſanabo: Percutit plane præceptis ſuis peccatores ut ſanet, mandatis uerberat ut emendet, ieiunia præcipit, indicit continentiã, iudicium cõminatur: & triſtem gehennę metum excutiens adhibet medicinam, ut dum futura pertimeſcimus, preſentia corrigamus. Sic nanq; Paulum Apoſtolum percutiendo ſanũ reddidit. Cum enim eſſet perſecutor, impius & blaſphemus, & quidẽ ad deuaſtãdas eccleſias Damaſcũ properaret: ſubito fulgoris cœleſtis eum terrore percuſſit, ut Euangelici ſplendoris eum luce perfunderet: Et carnalium luminum orbem mutauit, ut ſpiritualium oculorũ illuminaret aſpectũ. Corporis eum debilitate perterruit, ut fidei deuotione ſaluaret. Surgẽs ergo à terra Paulus, exterioribus quidem oculis nõ uidebat homines, non aerem, ſed mentis luminibus Chriſtum uidebat de cœlo. Deniq; in tantũ profuit domini iſta percuſſio, ut de ludæo Chriſtianus, de blaſphemo Apoſtolus, de Saulo Paulus exiſteret: & eo uſq; mutauit ueterem cum moribus hominem, ut etiã mutaret & nomen. Habẽtes igitur huiuſmodi medicum qui percutiendo ſanat, mortificando uiuificat, ſubdamur ei cum omni patientia ad curandum: ut quicquid ulceribus fœtidum eſſe perſpexerit, incidat, amputet, execet: ut reſectis omnibus diaboli uulneribus, hoc ſolum in nobis faciat remanere quod dei eſt. Iſtud autem præceptum eius eſt primum, ut his quadraginta diebus ieiunijs, orationibus, uigilijs opera cõmodemus. Ieiunijs enim laſciuia corporis caſtigatur, orationibus deuota ſaginatur anima: uigilijs diaboli inſidiæ depelluntur. Deinde cum iſtis mandatorum obſeruationibus fuerit hoc tempus impletum, tunc purgata & fatigata tot obſeruationibus anima, ad baptiſmum ueniens ſpiritus ſancti inundatione reficitur, & quicquid in ea diuerſarum ægritudinum ardor exiccauerat, cœleſtis gratiæ rore perfunditur, unde ponens ueteris hominis corruptelam, nouæ indolem iuuentutis acquirat. Et mirum in modũ in uno eodemq; homine delictis ſanctitas, iniquitati iuſtitia, ſenectu-

Deut. 32 — 2. Cor. 6 — Deut. 32 — Coloſ. 3 — Rom. 6 — Deut. 32 — Act. 9

senectuti succedit infantia, nouoq; natiuitatis genere alter est qui renascitur, cum ipse sit
3.Reg.9 qui peccauit. Sic nanq; Helias quadraginta dierum ac noctium curriculo continuato ie
iunio, totius mundi longam ac nimiam siccitatem meruit imbriũ rore restinguere, & ar
dentẽ terrarũ sitim cœlestis pluuiæ largitate perfundere. Quod quidẽ in figuram nostri
factum esse cognoscimus, ut nos quoq; horum quadraginta curriculo dierum ieiunan
tes, spiritualem baptismatis pluuiam tribubus nostris iam diu aridã terram cœlestis de
super imber infundat, & longam gentilium siccitatem lauacri inundatio salutaris irro
ret. Siccitatem enim & ardorem animæ suæ patitur, quisquis baptismi gratia non riga
tur. Horum ergo dierum noctiumq; ieiunio Moyses sanctus meruit cum deo loqui, sta
re & cõsistere, & de manu eius legis præcepta suscipere. Quamuis enim illũ ab obtuti
bus dei conditio humana subtraheret, ieiuniorum tamen gratia proximum illum diuini
tatis consortio faciebat. Hæc enim in nobis uirtutũ portio dei est, ut ieiunemus frequen
ter, quoniam semper deus ipse ieiunat. In quocunq; igitur plus operum suorum inesse
Exod.33 perspexerit, ipsi magis familiaris intimus & amicus est, sicut scriptura dicit: Et Moyses
loquebatur cum deo facie ad faciẽ, sicut quis loquitur cum amico suo. Vnde dominus
Iesus Christus resurrectiõis gloriam præcepturus, uirtutes suas quadraginta dierum no
ctiumq; ieiunio dedicauit, ut ostenderet non panem esse uitam hominum. His itaq; die
rum quadraginta ieiunijs reconciliatur deus, aperiuntur cœli, inferna reserantur. Igitur
& nos fratres dilectissimi ieiunemus continuè & deuotè hoc spatio temporis, ut propi
tietur nobis dominus: pateant nobis cœli, inferna contra nos non ualeant.

Exhortatio ad plebem, & de eo quod scriptũ est in Euãgelio: Sicut fulgur coruscãs
de cœlo, ita erit aduentus filij hominis. & de duobus in lecto uno. Sermo. XXVIII.

Aucorum admodum dierum occupatione detentus cœtui uestro uideor de
p fuisse, & alterius ecclesiæ necessitatibus euocatus, minime uobis studium so
litum depẽdisse. Sed quãuis uobis nõ affuerim corpore, tamen à uobis amo
re non defui: & peregrinatus sum licet cõuersatione membrorum, tamen uestri spiritus
non fui peregrinus, nisi quod maiore intra me desiderio uos tenebam, ut quos aspectus
mihi subtraheret, dilectio præsentaret: uel quos obtutibus non uidebam, corde comple
cterer. Eram enim solicitus in dies singulos quemadmodum festinanter quotidie ad ec
clesiam ueniretis: & quanquã essem de uestra deuotione securus, trepidabã tamen, quia
hoc ipsum quod in uobis noueram, non uidebã. Hic enim affectus paternæ pietatis est,
ut de absentibus liberis nõ tam certa spe gaudeat, quàm solicita cogitatione desperet: &
simul ac eos uidere desierit, amare plus nouerit: ac per hoc intelligimus quod amor in
ter præsentes gratus sit, inter absentes molestus. Erã ergo de uobis anxius, mœstus & tre
pidus, ne quis me absente per negligentiã caderet, ne quis diaboli insidijs laberetur. Me
mineram enim luporum rabiẽ, absentibus plus præualere pastoribus. Sed domino gra
tias, quod & uos illęsos custodiuit, & paruitatẽ meã reuocauit incolumem. Igitur quo
niam post tẽpus spiritualibus epulis reficere nos debemus, uideamus quid Euãgelica le
ctio prosequatur. Ait enim dominus, sicut nuper audiuimus, de aduentus sui rempore:
Luc.17 Sicut fulgur coruscans de cœlo, ita erit aduentus filij hominis. Et addidit in consequen
tibus: In illa nocte erunt duo in lecto uno, unus assumetur, & unus relinquetur: duę mo
lentes in pistrino, una assumetur, & una relinquetur. Mouet fortasse uos fratres, cur do
minus aduentum suum indicãs, noctis se tempore ostenderit aduenturũ cum utiq; eius
aduentum magna cum claritate diei, magno cum nitore & timore suscipi deberet à cun
ctis. Frequenter nanq; audiuimus sacris literis prædicatum priusquã dominus Christus
adueniat, Antichristum regnaturũ, qui ita tenebras humano generi suæ prauitatis infun
det, ut lucem ueritatis nemo pene respiciat, & caligine propria operiens mentes homi
num, cæcitatem quandam spiritualibus oculis exhibebit. Nec mirũ si diabolus emittat
iniquitatis tenebras, cum ipse nox sit omnium peccatorum. Ad huius igitur tetram cali
ginem depellendam uelut fulgur quoddã Christus adueniet. Et sicut lucescẽte die nox
subuertitur, ita coruscãte Saluatore Antichristus effugatur, nec ulterius poterit dissemi
nare iniquitatis suæ tenebras, cum lumen ueritatis effulserit. Quod autem ait: Illa nocte
erunt duo in lecto uno, unus assumetur, & unus relinquet: hic iam resurrectiõis meritũ
demonstratur, quod pro qualitate uiuendi sit gratia resurgendi: ac tantam in singulis

quibusq;

quibuſcꝫ reſurrectionis eſſe diſtantiã,ut duobus etiam pariter dormiẽtibus,& in una ſede quieſcentibus,æqualis non poſſit eſſe aſſumptio. Quamuis enim eodem conſortij lectulo teneantur:pro meritis tamen alter eorum rapietur ad cœlum, alter relinquetur in terris.Lectus enim quidam noſter cõmunis eſt terræ huius ampliſſimum ſolum,in quo corpora noſtra depoſita tutiſſima ſede requieſcunt. In hoc autẽ lectulo ille mollius dormit,quiſquis durius in uita ſe geſſerit. Poſſumus enim ipſa membra noſtra lectulos noſtros proprios nuncupare, in quibus animæ noſtræ ueluti in quodam ſtrato ſuauiſſime demorãtur.Quod quidem ſanctum prophetam ſenſiſſe arbitror cum dicit: Vniuerſum ſtratum eius uerſaſti in infirmitate eius.Beatus enim eſt ille cuius ſtratum dominus in ipſius infirmitate conuertit,ut qui fuerat paulò antè adulter,iracundus & petulans,& cunctorum ſcelerum infirmitatibus plenus,aſſuetũ corpus eius malo uerſans dominus, fiat caſtus,humilis & modeſtus.De quo ſtrato ſpiritualiter ad paralyticũ dictum eſt à domino:Surge,tolle lectum tuum,& ambula. Non enim tam in eo admirationis aliquid erat ut confracti lecturi ligneã cratem portaret paralyticus,quàm ut reſoluti corporis membra & debilitate confracti uelut animæ ſuæ neceſſarium lectulum paralyticus ipſe geſtaret, & coram poſitis Iudæis proprijs abiret pedibus, qui manibus allatus fuerat alienis. In hoc plane,ſicut dixi,completa eſt prophetica illa ſententia: Verſaſti ſtratũ eius in infirmitate eius:ut uerſa uice portaret lectum,in quo fuerat paulò antè portatus:& anima illius quæ prius uaſculo corporis ferebatur,poſtea corpus ſuum ipſa utilius circunferret Poteſt etiam accipi quod ait:Erunt duo in lecto uno,unus aſſumetur,& unus relinquetur:Chriſtianorũ plebs,& populus Iudæorũ,qui uelut uno lectulo,hoc eſt una mãdatorum lege tenentur,& uelut ſimili reſurrectiõis ſpe gloriantur. Tunc igitur Chriſtianorũ beatus populus aſſumetur in gloriã,Iudęorũ autem execrabilis conuentus relinquetur in terra.

Pſalm.40

Marc.2

Luc.17

Item de eodem. Sermo.XXIX

S Vperiore dominica capitulum Euangelicum differentes, partem quandam ex illo perſtrinximus,ſupereſt ut ſequentia decurramus.Deſcripſimus enim quid eſſet quod ait dominus: In illa nocte erunt duo in lecto uno,& reliqua. Nunc ergo uideamus quod reliquum eſt. Dicit enim eadem diuina ſentẽtia:Erunt duæ molentes in piſtrino,una aſſumetur,& una relinquetur.Primum igitur conſiderandum eſt quomodo conſtet molẽtis officiũ:Deinde quæ ſint duæ quæ molere dicũtur: Tertio quid piſtrinum ſit,quiue molitionis effectus. Nulli dubiũ eſt quod molere aliter nõ conſtat,niſi duobus lapidibus apparatis & cõueniẽtibus ſibi,ut alteri ex ijs magnitudo alterius imponatur,& illum quidem lapidẽ qui prior ſolo ſternitur, eſſe pigrum & tardum, & pene,ut ita dixerim,ocioſum,ac niſi ſuperioris participatione lapidis ornaretur, forſitan neceſſarius non uideretur.Ita dum ille operatur, etiã iſte utilis inuenitur.Ille autẽ,id eſt ſuperior lapis,tanta uelocitate operis circunfertur,ut fallens oculos in ipſa celeritate ſtare credatur,& putetur immobilis eſſe dum currat,qui quanto uiolentius actus fuerit, tanto opus perfectius cõſummatur. Ita ergo prior lapis ſtat,iacet,& pene nihil prodeſt: ille uero alter quæ inferuntur cuncta ſuſcipit quæ ueniunt, uniuerſa cõplectitur,& per cauernulas quaſdam uterꝫ quod operetur acquirit.Qui molit autẽ,hoc habere uidetur officij,ut peruigili cura granorũ aſperitate confracta,ex intimis eorum occultisꝫ uiſceribus ſimilaginem medullamꝫ producat,& ſordium leuitate diſcuſſa,in apertum profe rat omne quod purum eſt, ex quo mũdiſſimum panem conficiens gratiam domini conſequatur.Hos igitur duos molares lapides, duo eſſe arbitror Teſtamenta,hoc eſt legem Moyſi,& Euangeliũ domini,quæ ita ſunt diſpoſita uel parata, ut ſibi teſtamentũ utrũꝫ cõueniat,ſicut ait ſaluator:Nõ ueni legẽ ſoluere,ſed adimplere. Et ad uicẽ molarũ aliud prius ſolo poſitũ,aliud inſuper collocatũ: Hoc eſt Legẽ primũ hominibus cõſtitutã,deinde ad perfectũ Euangeliũ. Quæ lex uelut inferioris molæ ſaxũ ita erat tarda,pigra,et penitus ocioſa, ut quicquid operando acceperat,id omne perdiderit,dicente de Iudęis propheta:Omnes declinauerunt,ſimul inutiles facti ſunt,non eſt qui faciat bonũ,nõ eſt uſqꝫ ad unũ.Ergo niſi Euangeliũ ſuperpoſitũ fuiſſet adhuc Lex ueluti tarda & grauis iaceret in terra Iudaica,& unius prouinciæ cooperiretur anguſtijs. Niſi Euãgeliũ inquã datum eſſet,Lex neceſſaria omnino nõ eſſet.Hoc autẽ Lex operabatur ſine Euãgelio,quod uno ſaxo fieri poteſt.Confringere poterat,nõ prodeſſe,ſicut ait beatus Apoſtolus: Lex autem

Matth.5

Pſalm.13

Rom.4

autem iram operatur, gratiam uero non præstat. Stante ergo lege Euangelium datum est, quod Veteri superpositum testamẽto utrunq; condecorat, ac tanta uelocitate operis circunfertur, ut uolubilitate sui seculum omne circumeat: hoc est inferna uisitet, cœlestia penetret, terrena colluστret. Quod Euangelium tanquam superior mola cunctos credentes suscipit, omnes aduenientes accipit, & uelut per quasdam cauernulas præceptorum ad interiora transmittit: ut ibi hincinde duorum testamẽtorum salutaribus man-
Ezech. 1 datis gentilitatis asperitate molita perducat omne quod purum est. Quam similitudinẽ testamentorum Ezechielem prophetam arbitror perstrinxisse, cum dicit rotam in medio rotæ esse connexam. Harum igitur molarum operatione, id est Noui ac Veteris testamenti, hoc agit sancta Ecclesia cura perui gili, ut peccatorũ asperitate discussa, ex occultis cogitationibus medullam mundi cordis eliciat, & cœlestibus mãdatis mundata,
1. Co. 3 ex intimis spiritualia alimẽta producat. De quibus alimentis Paulus Apostolus ait: Lac
Hebr. 5 uobis potum dedi, non escam. Et iterum: Perfectorum autem est solida esca, qui propter habitum sensus exercitatos habent, & reliqua: ac spiritũ nostrum omni humanitate purificans, uelut similaginem deo offerre contendit, sicut Dauid sanctus ait: Sacrificiũ deo
Psalm. 50 spiritus contribulatus. Tanta autem uelocitate circunfertur Euangelium, ut non nisi sapientes cursum eius intelligant, quem beatus Paulus intelligens ait: Vt sermo dei currat
2. Thes. 3 & clarificetur in nobis. Insipientium autem oculis uidetur Euangelium stare cum non uident. Stare inquam illud putant, cum mandata eius negligunt, cùm non credunt euentura esse quæ scripta sunt. Molit autem & synagoga, sed inutiliter molit, quippe quæ uno saxo, hoc est solo Veteri testamento nititur laborare, atque ideo non tam molit illa quàm dissipat & cõfringit. Propterea enim opus eius displicet, & ad Iudæos dicitur per prophetam: Et si offeratis similaginem, uanum est.

De eleemosyna. Sermo. XXX

Eccles. 3 Dicit scriptura diuina: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Magna plane & cunctis ambienda sententia, quæ hominibus pene iam mortuis & peccatorum suorum incendio arefactis rediuiuum quoddam beneficium pollicetur, ut interueniente eleemosyna, sicut aqua intermortuis, succus refrigerium arescentibus infundatur, hoc est ut miseri homines qui in mortem peccatis aruerant, ad uitam eleemosynis reuiuiscant, sitq; illis misericordia fons salutis, quibus auaritia fuerat mortis incendium, ut flammas quas sibi peccando incenderant, largiendo restinguant, atq; utiliore commercio qui pecuniam quondam dederat ut adulterium perpetraret, nunc pecuniam eroget ut adulter esse iam desinat, & emat sibi quodammodo innocentiam, qui sibi emerat aliquando peccatum. Dicit enim dominus ad
Luc. 11 discipulos suos: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt uobis. Quanuis ergo pollutus, quanuis multis criminibus circunseptus, si eleemosynas feceris, innocens esse cœpisti. Abstergit enim eleemosyna quod auaritia polluebat, & maculã quam res alienas diripiendo contraxeras, tuas erogando purificas. Vide ergo quæ sit misericordiæ gratia, quæ una & sola uirtus cunctorum est redemptio peccatorum. Videamus nanq; interpretationem ipsius diuinæ sententiæ, ut intelligamus cui rei eleemosyna compa-
Eccles. 3 retur. Ait enim: Sicut aqua extinguit ignẽ, ita eleemosyna extinguit delictũ. Aqua ergo misericordię cõparatur, sed aquã inuenio de fonte procedere, necesse mihi est misericor-
Psalm. 35 diæ fontẽ quærere. Inuenio plane fontẽ misericordiæ, fons de quo dicit ꝓpheta: Quoniã apud te est fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumen. Ipse inquã est fons qui in Euangelio à Samaritana muliere, sicut lectũ nuper audiuimus, aquã postulat, sed peccata con-
Ioann. 4 donat: aquam putei reprobat, sed fontẽ uitæ perennis indulget. Ait enim: Omnis qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo illi, non sitiet in æternum. Aquam ergo Saluator à muliere postulat, & sitire se simulat: ut sitiẽtibus ęternam gratiam largiatur. Neq; enim poterat fons sitire, neq; in quo est aqua uiua, poterat undam terrenæ fæcis haurire. Sitiebat ergo Christus? Sitiebat plane, non potum hominum, sed salutem sitiebat: non aquam mũdi, sed redemptionem generis humani. Mirum igitur in modum fons super puteum sedens misericordiæ ibidem fluenta producit, & mulierem sexto iam non uiro sed adultero fornicantem, uiui meatus unda purificat, nouoq; admirationis genere mulier quæ ad puteũ Samariæ meretrix aduenerat, à Chri-

sti

sti fonte casta regreditur, & quæ aquam petere uenerat, pudicitiam reportauit. Statim etiam indicante domino sua peccata recognoscens, confitetur Christum, annunciat saluatorem, & relinquens aquæ uasculum ad ciuitatem non fert hydriam, sed refert gratiã. Vacua quidem uidetur reuerti onere, sed plena reuertitur sanctitate. Plena inquam redit, quia quæ peccatrix aduenerat, reuertitur prædicatrix. Et quæ hydriæ uasculum amiserat, Christi plenitudinem reportabat, in nullo ciuitati suæ inferẽs detrimentũ. Etenim si aquam ciuibus non intulit, tamen fontem salutis inuexit. Sanctificata ergo per fidem Christi mulier domum rediit. De hac igitur dixisse prophetã puto: Eiusmodi est iniqua uia mulieris meretricis, quæ cum se abluerit, nihil se dicit fecisse prauũ. De hac plane dictum est, quæ postea quàm est fonte abluta saluatoris, delictorum uitia nõ meminit, uirtutem prædicationis assumit, & uiua aqua abstergens maculas suas ad Euangelizandũ non conscientia peccati retrahitur, sed fidei calore cõpellitur. Nihil enim se dicit fecisse prauitatis, dum sit nũcia ueritatis: & obliuione abnegat impudicitiam, dum deuotione prædicat castitatẽ. Hæc enim uirtus Christi est domini, ut quamuis peccator qui eius unda se lauerit, denuo in uirginem reparatus non meminerit ante quod fecerit, & rediuiua natiuitate infantiæ innocentiam præferat, iuuentutis scelera non agnoscat, sitq; uirgo fide Christi, qui fuerat adulter corruptione peccati. Prouer. 30

Item de eleemosyna, & de muliere Samaritana. Sermo XXXI

R Etinet uestra dilectio ante dies aliquot cum sermonem ad uos de eleemosynis faceremus primitus, nos originem misericordiarum quærere uoluisse, & reperto earum fonte uirtutum ostendisse quod mulieris Samaritanæ sordes melius Christi unda diluerit, quàm Samariæ aqua purgarit, & quòd mundius misericordia detersérit peccata quàm puteus. Mundius plane misericordia quàm puteus detergit maculas, quia putei aqua tantũ corporis cutem abluit misericordiæ autem bonitas animæ interna purificat. Hoc etiam demonstrasse quod huic Euangelicæ mulieri illa prophetica meretrix cõueniret, quæ postea quàm uiua aqua se lauit, obliuione possessa pra uitatis, nitore puritatis exultat. Neq; enim de meretrice huius mundi talem sententiam propheta diceret, cuius pollutio non solũ aqua non diluitur, sed etiam polluit ipsa quod tangit, dicente Apostolo: Qui autem se iungit meretrici, unum corpus est. Quod si unũ corpus tactu suo efficit, & in cohærentem sibi ignominiæ suę membra transfundit, quo modo potest purificari ipsa, cum polluat? Quæ ergo sit ista meretrix, quæ ista Samaritana mulier, cuius adulterij sordes fons Christi detersérit, solicitius requiramus. Ego hanc mulierem ecclesiam esse puto de gentibus congregatam, quæ & transactis annis quinq; milibus, cum in sexto millesimo anno idolorum fornicationibus subiaceret, omnem ignominiam suam adueniente Christi fonte purgauit, & maculas quas adulterinis sacrilegijs contraxerat, fide saluatoris absterserit, ac relinquens sicut inanem hydriam priorẽ patrium cursum uniuerso orbi domini annunciauit aduentum. Hæc inquam illa est meretrix quæ posteaquã lota est, nihil se dicit fecisse prauũ. Postea quàm enim Ecclesia baptismi nitore purgata est, diabolicæ impietatis non meminit, religione ueritatis exultat factaq; de meretrice uirgo non recordatur priorum, sed gloriatur in integritate. Ait ergo propheta: Sicut aqua extinguit ignẽ, ita eleemosyna extinguit peccatum. Sæpe quidem uidemus hoc fieri, ut aqua effusa flammarum restinguat incendia, sed & econtrario interdum uidemus quòd immensi ignium globi aquarũ fluenta cõsumant, & ueluti ab aquis accepta esca uehementius rediuiuis ardoribus conualescant, ita ut uideatur aqua non extinxisse incendia, sed auxisse. Quænam est illa aqua quæ consumit flammas, nec ipsa consumitur à peccatoribus, sed gehennæ consumit incendia? Quę dum per baptismum infunditur, & ipsa in hominibus & tartari restinguit ardorẽ. Viuit plane in hominibus, sicut ait dominus: Aqua autẽ quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis, & reliqua. Mirum ergo in modũ aqua Christus una eademq; operatione & uiuificat & extinguit. Viuificat enim animas, delicta rẽstinguit, has lauacri sui refrigerio reparat, illas gurgitis sui unda consumit. Et quod ad maiorem baptismatis pertinet gratiam, apud superos mysterium celebratur, & apud inferos gehenna restinguitur, hic fluunt aquæ, & illic tepescit incendiũ: hic in fonte homo mergitur, & illic de tartaro liberatur. Sed nec mirum si in baptismi sacramento aperiatur infernum, cum tunc quoq; reseretur & cœlũ. Ecclef. 3 Ioann. 4

Aperiuntur enim hæc elementa, ut ad lauacrum Christi conueniat libertas & gratia. Libertas enim resurrecturis tribuitur, gratia regnaturis. Illi eruuntur de pœna, hi assumuntur in gloria. Illi qui erant serui peccati, liberi fiunt iustitiæ: hi qui angustijs seculi tenebantur, paradisi amœna percipiunt. In baptismo ergo Christi aperiuntur cœli, aperiuntur & tartara. Inde ut spiritus sanctus adueniat, illuc ut misericordia saluatoris accedat: deferatur de cœlo uita, mors à tartaro destruatur. Ita igitur eleemosyna extinguit peccata sicut aqua baptismi gehennæ extinguit incendium. Ergo eleemosyna quodammodo animarum aliud est lauacrum, ut si quis forte post baptismum humana fragilitate delinquerit, superest ei ut iterum eleemosynis emundetur, sicut ait dominus: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt uobis. Nisi, quod salua fide dixerim, indulgentior est eleemosyna quàm lauacrum. Lauacrũ enim semel datur, & semel ueniam pollicetur. Eleemosynam autem quotiẽs feceris, totiens ueniam promereris. Hi ergo duo misericordiarum fontes sunt, qui & uitam tribuunt, & peccata condonant. Qui utrumq; custodierit, regni cœlestis honore ditabitur. Qui autem maculato fonte uiuo, ad misericordiæ sefluenta contulerit, & ipse misericordiam consequetur.

Luc. 11

De hospitalitate in Euangelio. Sermo XXXII

A Duertit sanctitas uestra fratres Euangelicam lectionem, quemadmodum dominus discipulis suis inter cæteras exequendas uirtutes etiam hospitalitatis iura præscripserit. Ait enim: In quamcunq; ciuitatem introieritis, interrogate quis in ea dignus est, & ibi manete, donec exeatis: & reliqua. Sancta plane & diuina sentẽtia, quę & discipulis eligendi optionem primitus detulit, & facilitatem penitus amputauit. Prouidit enim modũ statuendo, ne uir sanctus aut citus esset in iudicãdo, aut leuis in hospite commutando: Sicut enim nobis permisit arbitrium, ita & uoluit nos tenere constantiam. Quàm enim reprehensibile est ut uir qui Euangelium annunciat, & docet errandum non esse, ipse per diuersos incipiat oberrare, & domũ cui pacem dixerat, deserere: hospitem cui benedictionem intulerat, cõtristare? Magna enim hospitalitatis est gratia, nec facile uiolãda, omnibus aperta est, omnibus parata est, & sanctos libenter susçipit, & peccatores tolerat patienter. Sed repetamus sanctã ipsam diuinamq; sententiam. Si enim in litera placet, & in mysterio forsitan plus placebit. Ait igitur, ut cũ intramus in ciuitatẽ, interrogemus quis in ea uel hospes dignus, uel idonea domus sit, & ibi maneamus donec dies profectionis adueniat. Quæ sententia altiorem nobis tribuit intellectum. Non enim mihi uidetur de huius seculi hospite uel domo iussisse, nec tam diligenter inquirere, sed de illo magis qui nos usq; ad diẽ exitus nostri possit inoffensos, sospites, illæsosq; seruare. Nam huius seculi hospitẽ cito lædimus, cito offendimus, interdum ei & post triduum displicemus. Fidelis igitur domus, & hospes dignus inquiri iussus est. Quæ domus fidelior Ecclesia? quis hospes dignior saluatore? Iste peregrinos ut filios susçipit, illa susceptos refouet ut infantes. Iste hospitibus, sicut experti sumus, pedes lauare gestit, illa mensam parare festinat. Quos enim saluator uiua aqua refrigerat, hos reficit cœlestibus cibis Ecclesia. Hũc igitur hospitẽ Euãgelista inquiri iussit, & usq; ad diẽ exitus nostri cũ hoc habitare prẽcepit, ne aliqua leuitate medio tẽpore aliorsum forsitan emigremus, hoc est, qui semel in Christũ credidimus, nõ iterũ uelut transgressores ad idola recurramus. Scriptũ est enim: Nemo potest duobus dominis seruire. Dum enim uni placere gestit, alterũ sentit iratũ. Christũ igitur hospitẽ deserere nõ debemus, quemadmodũ & Petrus Apostolus cum suis similibus, deserentibus alijs dominũ nõ reliquit. Sed dicamus quod ille ad saluatorẽ dixit: Domine, ad quẽ ibimus? Verba uitæ ęternę tu habes, & nos credimus. Ecce executor cœlestiũ præceptorũ, qui quoniã Christi non mutauit hospitium, meruit cum Christo regni cœlestis habere consortium.

Matth. 10

Matth. 6

Ioann. 6

In tempore ieiunij non luxuriandum esse. Sermo XXXIII

Iximus superiore dominica hoc esse fidei nostræ opus primum, ut horum D quadraginta dierum curriculo deuotissime ieiunemus, & istam esse causam salutis nostræ, si hoc tempore abstinentiæ operam cõmodemus. Atque ideo fratres dilectissimi inspicere debemus quæ sit huius forma ieiunij, ut respiciamus quanta sit eius utilitas. Est enim interdum inutile & inane ieiunium, quod licet uentrem & omnia uiscera succo saturitatis exhaurit, non tamen acceptum est deo, quia mentem

& intimos

& intimos sensus minime uinculo iniquitatis euacuat. Quid enim prodest ieiunare uisceribus, & luxuriare uenatibus? abstinere cibis, errare peccatis? castigare corpus inedia, mentẽ exercere nequitia? uinũ forte non bibere, & ebriũ cogitatione malignitatis incedere? nisi quod facilior causa est saturi siue temulenti, quã iniqui pariter & ieiuni. Ille enim peccare aliquando desinet qui ebrius aliquãdo obdormit, hic autẽ errare nõ cessat qui exercitatus malis ieiunijs semper inuigilat. Vnde iuutile & inane est tale ieiuniũ quod inedia membra debilitat, & animã à perditione non liberat. De quo ieiunio dicit sanctus propheta ex persona domini: Vt quid mihi ieiunastis? non tale ieiunium elegi, dicit dominus. An putatis illum ieiunare fratres qui primo diluculo nõ ad ecclesiam uigilat, non beatorum martyrũ loca sancta perquirit, sed surgens cõgregat seruulos, disponit retia, canes producit, saltus syluasq; perlustrat? Seruulos inquã secum pertrahit, fortasse magis ad ecclesiam festinantes: & uoluptatibus suis peccata accumulat aliena, nescíens reum se futurũ tam de suo delicto, quàm de perditione seruorum. Tota igitur die uenatibus immoratur, nunc clamorẽ immoderatũ effert, nũc silentium latenter indicit, lætus si aliquid ceperit, iratus si id quod non habebat amiserit, & tanto studio gerit, quasi ideo indictũ ieiunium fuerit ut uenetur. In his ergo luxurijs fratres dicite quis cultus sit dei, quæ mentis possit esse deuotio: qui propterea ieiunat, nõ ut deo atq; orationibus uacet, sed ut tota die ociosus & liber proprias exerceat uoluptates? Quamuis igitur qui eiusmodi es frater uespere ad domum redeas, quamuis declinante iam sole manduces, potes uideri tardius te refecisse, non tamen domino ieiunasse, non enim potes uideri uoluptatem tuam exercens, fecisse domini uoluntatem. Hæc enim uoluntas est domini, ut ieiunemus à cibis pariter & à peccatis. Abstinentiã indicamus corpori, ut à uitijs magis animam abstinere possimus. Frenum enim quoddam est luxuriantis animæ corpus exhaustum. Quisquis enim ieiunat & peccat, lucrum escarum fecisse uidetur, nõ salutis: & parcendo copijs, replesse cellarium, non mentem saginasse uirtutibus. Nonnulli autẽ dominorum immemores præceptorum, ita circa seruos suos & subditos sibi potestatem dominationis exercent, ut in his diebus non dubitent flagris eos cædere, pœnis afficere, compedibus præpedire. Et si forte cum ad reficiẽdum uenitur, tardius minister affuerit, statim eum uerberibus laniare, & prius se satiare seruuli sanguine, quàm cõuiuij uoluptate. Horũ tale ieiunium est, quod ideo ieiunatum est, non ut diuinitatis misericordiã prouocaret, sed ut clamorem familiæ ingemiscentis effunderet. Quisquis autẽ cupit de deo misericordiam promereri, ipse debet prior esse misericors. Scriptũ est enim: Qua mensura mensi fueritis, eadem mensura remetietur uobis. Et quod magis dolendum est, Christianus dominus Christiano in his diebus seruo non parcit, minime respiciens quod etsi seruus est conditione, gratia tamen frater est. Etenim similiter Christum induit, ijsdem participat sacramentis, eodem quo & tu utitur deo patre, cur te non utatur ut fratre? Sunt enim plerique qui de uenatibus reduntes, magis canum quàm seruorum curam gerunt, & faciunt eos iuxta se uel recumbere uel dormire, quotidianum illis cibum sui præsentia ministrantes: qui utrum serui eius fame moriantur ignorant, & quod est grauius, nisi diligenter his præparatum fuerit, pro cane seruus afficitur. Vides enim in nonnullorum domibus nitidos & crassos canes discurrere, homines autẽ pallentes & titubantes incedere. Isti ergo miserebuntur aliquando pauperibus, qui minime suis famulis & domibus miserentur? Scire igitur debemus fratres hoc acceptum deo esse ieiunium, nõ solum ut abstinentia castigemus corpora, sed etiam humilitate animas induamus. Simus ad seruulos mites, blandi ad extraneos, misericordes ad pauperes. Surgentes primo diluculo ad ecclesiam festinemus, referamus deo gratias, peccatis ueniam postulemus, rogantes præteritis delictis indulgentiam, cautelam futuris. Tota die sit nobis uel oratio uel lectio. Qui literas nescit, sanctum uirum perquirens eius confabulatione pascatur, nulli actus seculi actus diuinitatis impediant, non ludus tabulæ mentem auocet, non uoluptas canum sensus abducat, non negotij compendium animam auiditate peruertat. Quicquid enim aliud præter mandatum dei feceris, quamuis abstineas, non ieiunas. Hoc est enim salutare ieiunium, ut sicut abstinetur corpus ab epulis, ita & anima refrænetur à uitijs. Illud etiam fratres ad perfectionem ieiunij tacendum non est, utqui abstinemus & minime prandemus, hoc tempore prandia nostra pauperibus prerogemus.

Esa. 58

Luc. 6

Hæc enim est uera iustitia, si te esuriente de cibo tuo alius satietur, & tu prædictis tuis ieiunijs dominum roges, & ille pro te satiatus exoret. Vtrunq; tibi proficiens, & tua fames & saturitas mendicorum. Cæterùm qui sic abstinet, ut nihil pauperibus de suis epulis largiatur, uidetur quæstum sibi suũ fecisse ieiunium, & negociationem parcendo. Ad hoc enim abstinuit, non ut placeret deo, sed ne amplius erogaret. Atq; ideo bona eleemosyna cum ieiunio, quasi nõ quoddam negociationis genus, ut tam parce uiuat, ut abstinentia sua monachos clericosq; præcedat. Nisi hoc interest, quod illi hoc quæstus caussa faciunt, nos salutis: illi pecuniæ compendio animas macerant, nos propter animarum lucrum nostra corpora castigamus.

De quadragesima. Sermo XXXIIII

N Onnulli Christianorum fratres existimantes se diuinitatis præcepta religiosius obseruare, prætermissa deuotione quadragesimæ, cuius hodie curamus exordium, quinquagesimam se facere mentiuntur: cum id neq; diuinis literis iubeatur, neq; traditum sit authoritate maiorum. Sola igitur hoc faciunt animi præsumptione: & dum putant se deuotius agere, superstitiosius conuersantur. Dicit se obseruare quinquagesimam qui forte quadragesimam implere uix possit. Bonum est quidẽ cunctis temporibus ieiunare, sed melius quadragesimã ieiunare cum Christo. Hanc enim quadragesimam nobis dominus suo ieiunio consecrauit. Quod dixi ieiunio, non ieiunijs. Vnum enim ieiunium domini fuit, quia continuatis quadraginta diebus & noctibus cibum omnino non sumpsit. Quisquis ergo Christianus consecratam ieiunando nõ impleuerit quadragesimam, præuaricationis & contumaciæ reus tenebitur, quòd legẽ diuinitus pro salute sua datam prandendo ipse rescindit. Rescindis enim legem, qui exemplum ieiunij dominici nõ custodis. Qualis autem Christianus es, cùm domino ieiunante tu prandes? Qualis Christianus es, cùm Christo esuriente tu reficeris? Ille pro salute tua famem sustinet, tu pro peccatis tuis ieiunare formidas? Dicite enim mihi, interrogo uos qui in quadragesima prandetis, si non in conscientijs uestris rei estis, quod abstinente toto populo uos soli contra præceptum domini deuoratis: si non uobis rubor est cum exitis in publicum, ne quis uobis ieiunus occurrat: aut si non cogitatis cũ ad ecclesiam proceditis, quemadmodum pacẽ episcopo porrigatis, ne forte ipso spiritu oscvli uestri uos reprobet? Quod si hæc non cogitatis forsitan, uehemẽter erratis. Scire enim debetis, cum in quadragesimę diebus ieiuno pransus occurrit, non bene de illo iudicat qui ieiunat. Hoc enim ideo dico, quia audio complures, quod grauius est, fideles, alternis in quadragesima hebdomadis abstinere, & consecratum illum dierum numerũ gula intemperanti uiolare, hoc est prandere septẽ dierum curriculo, & septẽ dierum spatio ieiunare. Quibus hoc dico, cur etiam per illos septem dies fraudem sibi faciant ieiunando cum illis ieiunium tale non profit? Quamuis enim abstineat quis certis diebus, quamuis ciborum dulciora alimenta non sumat, non tamen illi accepto fertur quadragesimæ ieiunium, quod non diebus quadraginta ieiunat. Pudet dicere, senes & aniculæ quadragesimam faciunt, iuuenes & iuuenculæ non faciunt. Omni igitur solicitudine tempus sacratissimum celebremus, non prætereat nos dies absq; ieiunio, non nos transeat una hebdomada absq; uigilijs. Ille enim facit quadragesimam, qui ieiunando & uigilando ascendit ad pascha. Nam sicut reliquo anno ieiunare prẽmium est, ita in quadragesima non ieiunare peccatum est. Illa enim uoluntaria sunt ieiunia, ista necessaria: illa de arbitrio ueniunt, ista de lege: ad illa inuitamur, ad ista compellimur. Sed uideamus iste quadraginta dierum sacratissimus numerus unde habere cœpit exordium. Legimus primum in Veteri testamento Noe temporibus, cum omne genus humanum scelerata iniquitas occupasset, tot dierum numero patefactis cataractis cœli aquarum pluuias deflu xisse, & mysterio quodam quadragesimæ inundatione orbi terrarum facta, non tam diluuium quàm baptismum contigisse. Baptismum plane fuit, per quod in peccatoribus iniquitas sublata est, Noe iustitia cõseruata. Ita ergo & modo nobis dominus illius tẽpo ris quadragesimam dedit, ut constituto dierum numero, patefactis cœlis pluuia nos misericordiæ cœlestis irroret, & inundatione facta per baptismũ lauacri salutaris nos imber illuminet, & sicut tunc factum est, aquarum fluctibus extinguatur in nobis delictorum iniquitas, uirtutum iustitia conseruetur. Ipsa enim quæ sub Noe, & modo uertitur

Genes. 7

ratio.

ratio. Baptiſmum enim peccatori diluuium eſt, conſecratio eſt fideli. Per lauacrũ enim domini ſaluatur iuſtitia, necatur iniuſtitia. Quod in uno eodemq; factum uidemus Apoſtolo Paulo, qui priuſquam præceptis ſpiritualibus lauaretur, erat blaſphemus, perſecutor, & Saulus. At ubi pluuia ſuper eum lauacri cœleſtis influxit, necatur blaſphemus, necatur perſecutor, necatur & Saulus, uiuificatur Apoſtolus, uiuificatur iuſtus, uiuificatur & Paulus. Vſq; adeò autem perdidit ueterem cum actibus hominem, ut cum moribus mutaret & nomen. Quiſquis ergo in hac deuotione quadrageſimæ dominica mandata ſeruauerit, necabitur in eo diabolica impietas, Apoſtolica autem reſeruabitur gratia, & ſuccedens quodammodo ſibi moritur ea parte qua peccator eſt, uiuificatur ex illa parte qua iuſtus eſt. Videamus etiam ſi alibi in ſcripturis hunc myſticum quadrageſimæ numerum poſſimus inuenire. Legimus quòd ſanctus Moyſes in eremo quadraginta annorum curriculo filios Iſrael cœleſti manna nutrierit. Bonus ergo numerus, qui ſemper cœlum aperit. Bonus inquam numerus, per quem iuſtitia Noe ſaluatur, & Iſrael filij ſaginantur. Vnde & nos obſeruemus hunc numerum ut aperiantur nobis cœli, quatenus & pluuia nos gratiæ ſpiritualis irroret, & ſpiritualium ſacramentorum manna reficiat. Inſtar enim patrum noſtrorum hac obſeruatione quadrageſimæ & iuſtificamur & paſcimur. Iuſtificamur lauacro, paſcimur ſacramentis. Sed dicet aliquis, filios Iſrael in eremo quando manna ſaturati ſunt, minime ieiunaſſe. Ego autem dico illos non niſi abſtinentiæ tunc uacaſſe, atq; ideo cœleſtis alimoniæ gratiam meruiſſe. Primum quia deſertum omne ieiunium eſt, quia anxietas ſolitudinis concupiſcentiam repellit eſcarum, deinde in eremo unde accuratæ epulæ: unde uina precioſa: unde quadraginta annorũ tempore qualiſcunq; ſubſtantia? Intelligimus ergo ieiunaſſe filios Iſrael, quia cognoſcimus illis eſcarum copiam defuiſſe, & tunc ſumpſiſſe cibum, quando largiẽti domino placuiſſet. Satis autem diu ieiunat qui cum Chriſti uoluntate ſe reficit. Vſq; adeò uero abſtinentia filiorum Iſrael in eremo placuit ſaluatori, ut quorundam etiam inter ipſos intemperantia notaretur: ita ut quiſquis auidior duplum mannę cibum ſibi collegerat, hic hac iniuria feriretur, ut non tam cibum ſibi inueniretur ſeruaſſe quàm uermes, ſcilicet ut quia ſupra moderatam refectionem concupierat, uelut ſtimulis quibuſdam conſcientiæ in morem uermium urgeretur. Igitur & nos fratres obſeruantes quadrageſimæ quotidiana & moderata ieiunia, & tanquam in eremo conſtituti, nihil deliciarum ſecularium cogitemus, nulla nos cupiditatum coporalium dulcedo ſolicitet. Simus ſobrij, ſimus caſti, habentes quidem conuerſationem in urbibus, poſſideamus mente deſertum. Si ita abſtinentes egerimus, erit ut cœleſtis mannæ reficiamur alimonia, & nullis uermium ſtimulis compungamur.

De ieiunio domini in deſerto, & quomodo nõ in ſolo pane uiuit homo. Serm. XXXV.

Eminiſſe debet ueſtra dilectio, hoc me anteriore dominica prędicaſſe, & dediſſe rationem cur dominus quadrageſimã ieiunauerit, uel cur ipſa ieiunia in deſerto tranſegerit. Diximus enim hæc omnia obſeruaſſe eum non iuſtificationis ſuæ cauſſa, qui erat uirgo per omnia, ſed noſtræ ſalutis gratia: ut quorum generatio per intemperatiam peccauerat, per abſtinentiam ſanaretur. Videamus igitur quid illo in tempore uel in ipſa ſolitudine geſtum ſit. Dicit enim Euangeliſta affuiſſe ibi diabolum, & ſaluatorem eius uerſutia fuiſſe tentatum. Ait nanq; ſacra lectio, eſuriſſe dominum, & dixiſſe illi diabolum: Si filius dei es, dic lapidi huic, ut fiat panis. Videte artem domini qua aduerſarium fraude circumuenit. Poſt multa ieiunia eſurire ſe ſimulat: ut diabolum quem ieiunando iam uicerat, iterum eſuriendo ſolicitet. Spem enim illi congrediendi ex infirmitate famis quodammodo tribuit, ut dum ueluti contra imbecillem congreditur, glorioſius ſuperetur. Hæc enim eſt uera uictoria: ut quia Adam immortalem glorioſum & epulantem ſubuerterat, nunc ab homine mortali humili atq; eſuriente uincatur. Cernens enim eſurientem diabolus dominum, hominem putat, dubitat ſaluatorem, & ideo ait: Si filius dei es, dic lapidi huic, ut fiat panis. O miſera ſatanæ & extrema congreſſio, diabolus in deſerto tentationis ſolida arma non inuenit, deeſt illi de paradiſo amœnitas arborum, deeſt illi conſiliatrix Eua, deeſt illi pomorum ſpecioſa deceptio, & quia non inuenit cibum quem offerret eſurienti, poſtulat in cibum ſaxa mutari. Vndiq; excluſus, undiq; defraudatus, ad pauimẽta ſe confert. Satis enim manifeſte oſtendit

Act. 9

Coloſ. 3

Exod. 16

Matth. 4

Matth. 4

uastitatem sibi eremi restitisse, cum putat propter inopiam rerum etiam elementa posse
Exod.17. conuerti. Postulat igitur in panem lapides commutari. Versutus & callidus scit quid pe
Num.20 tat, nouit factum esse quod dicit. Meminit enim in Veteri testamento sitientibus aquam
de lapide profluxisse, uult etiam hic esurienti cibum de lapide ministrare. Retinet enim
duritiam petræ in liquorem fontium resolutam. Cupit etiam hic asperitatem saxi in pa-
nis dulcedinem transformari. Suspicatur enim ipsum esse Christum, qui hæc operari so-
1.Corin.10 leat de natura saxorum, sicut ait Apostolus Paulus: Bibebant de spirituali consequen
ti petra, Petra autem erat Christus. Suspicabatur inquam ipsum esse Christum, cum po-
stulabat ut de lapide panem faceret, sed putabat tantummodo solum hominem, cum
esurientem uidebat. Saluator autem uersutiam eius mira responsione condemnat: Nec
facit quod dicit diabolus, ne uideatur pro arbitrio aduersarij uirtutis suæ gloriam decla-
rare. Nec tamen respondit non posse fieri, qui negare non poterat quod sæpe iam fece-
rat. Igitur nec aquiescit petenti, nec denegat exploranti: ac per hoc & potentiam uirtu-
tis suæ suo reseruat arbitrio, & uersutiam aduersarij diuino confutat eloquio. Respondit
Matth.4 ergo illi: Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo dei. In quo sunt uitæ alimenta
Ioann.1 cœlestis. Verbum autem dei Christus est dominus, sicut Euangelista dicit: In principio
erat uerbum, & uerbum erat apud deum. Quisquis ergo uerbo Christi pascitur, terre-
num pabulum non requirit. Nec enim potest seculi panem cupere, qui pane reficitur sal
uatoris. Habet enim dominus suum panem, imò panis ipse saluator est, sicut docuit di-
Ioann.6 cens: Ego sum panis qui de cœlo descendit. De quo pane dicit propheta: Et panis cor
Psalm.103 hominis confirmat. Quo ergo mihi panem quem offert diabolus, cum habeam panem
quem Christus impartit? Quo mihi cibum per quem protoplastum deiectũ memini, E-
Genes.3 sau primitiuis fraudatum uidi, Iudam Scarioth proditionis scelere denotatum? Adam e-
Genes.25 nim per escam paradisum perdidit, Esau per lentem honorẽ primatus amisit, Iudas per
buccellam apostolatus sublime deposuit, ex quo enim buccellam sumpsit, non iam apo
Ioan.13 stolus cœpit esse, sed proditor. Sic enim scriptũ habes, dicente domino: Cui intinctũ pa-
nem dedero, ipse me tradet. Et continuo post buccellam introiuit in illum satanas. Non
bonus cibus post quẽ negatur dominus, post quẽ ingreditur inimicus. Nõ bonus cibus
post quẽ Christus respuitur, deuorat Antichristus. Non bonus cibus qui benedictione
caret, maledictione completur. Illa ergo esca nobis necessaria est quę uitam præstat quę
animam pascit, post quam sequitur Christus, inimicus excluditur. Illam escam accipere
debemus quam saluator non diabolus subsequatur, quæ perceptione sui confessorem
faciat, non proditorem. Quàm bene autẽ ieiuniorum tempore uerbũ dei dixit, eò quòd
reficit, ut ostenderet ieiunia nostra non debere seculi actibus occupari, sed sacris literis
exerceri. Neglígit enim famem corporis qui pabula lectionis intendit, nec uentris curã
habere poterit, qui alimentum uerbi cœlestis acquirit. Ipsa est enim refectio quæ saginat
animam, quæ impinguit uiscera, cum de diuinis scripturis cibum eloquij perennis acci-
pimus. Ipsa est esca quæ uitam æternam tribuit, & insidias à nobis diabolicæ tentationis
excludit. Quòd autem sacrarum literarum lectio uita sit, dominus testatur dicens: Ver-
Ioann9. ba quæ ego locutus sum uobis, spiritus & uita est.

Item de quadragesima. Sermo XXXVI

A Nte dies deuotionem sanctæ quadragesimæ prædicantes, sacrarum litera-
rum exempla protulimus, quibus approbaremus hunc quadragenarium nu
merum non esse ab hominibus constitutũ, sed diuinitus cõsecratum: nec ter-
rena cogitatione inuentum, sed cœlesti maiestate præceptum. Atq; ideo qui constitutũ
numerum una die manducando præterit, non ut unius diei uiolator accusatur, sed ut to-
tius quadragesimæ trangressor arguitur. Vnde bonum est homini ut dictũ numerũ sine
labore ieiunet, & totius quadragesimæ consequatur pariter sanctitatem. Hæc autem nõ
tam sacerdotum præcepta quã dei sunt. Atq; ideo qui spernit, nõ sacerdotem spernit, sed
Christum qui in suo loquitur sacerdote. Videamus igitur quo tempore hanc obseruan-
tiam nobis indixerit dominus, si non ueluti per istam deuotionẽ cuncta elementa uolue
rit habere profectum. Ecce enim indicta quadragesima, cõstricta hyemali gelu terra re-
soluitur, & aquarum fluenta meatus suos glacie liquefacta recipiunt, sic quoq; corpo-
rum nostrorum hoc eodem tempore contracta sceleribus peccata soluuntur, & uitæ no
stræ

ſtræ pristior cursus liquefacto rigore diaboli meatum suum pristinum recognoscit. Terra inquam indicta quadragesima asperitatem deponit hyemis, ego indicta quadragesima asperitatem reiicio dilectorũ. Illa terra aratris scinditur, ut mundanis sit congrua frugibus: mea terra ieiunijs exaratur, ut cœlestibus sit apta seminibus. Sicut enim reditum uberiorem capit qui frequentius uexando excercet campum, ita maiorem gratiam percipit qui exercet corporis sui campum sæpius ieiunando. Ecce enim abstinentiæ tempore herba segetũ reuiuiscit in messem, surculus arboris conaſ in fruticẽ, palmes uineę pubescit in gemmã, & omnia de inferioribus ad altiora se subrigũt: ita hoc eodemq; tẽpore hominum spes intermortua reuiuiscit in posterũ, fides perdita reparaſ in gloriã, temporalis uita proficit in æternũ, & omne genus humanũ ad cœlestia se subrigẽs, ab inferis ad altiora cõsurgit. Modo ferrũ gestãs agricola sarmẽta deputat uinearũ. Ita & nunc Euangelium tractans episcopus sordes amputat populorũ, & isto quadragenario curriculo uniuersę hoc agũt creaturę, quatenus depositis superfluis ornatę uel comptę in Pascha procedant. Modo omnia sunt in partu, ut tunc reperiãtur in fructu. Tunc enim cõtra naturę speciẽ spina profert rosam, calamus fragrat lilijũ, suauitatẽ arida uirgulta depromũt, & ita cuncta floribus adornantur, ut festiuitatem diei magni creatura ipsa nitore sui celebrare credatur. Igitur & nos hoc eodem ieiuniorum tempore producamus de spinis nostris rosas, hoc est de peccatis iustitiã, de seueritate misericordiã, de auaritia largitatem. Istæ enim spinæ sunt corporis nostri, quæ præfocãt animam, de quibus ait scriptura: Spinas & tribulos tibi germinabit terra. Germinat enim mihi terra mea spinas, si me corporalis libidinis titillatione compungit. Generat mihi tribulos, cum me diuitiarum secularium cupiditate discruciat. Spina enim Christiano, auaritiæ suæ radix est. Spina uiro bono, honoris ambitio est. Videntur enim specie apud suos grata esse, sed lędunt. His ergo nisi uigilando & ieiunando carere non possumus, quin potius per abstinentiam ipsę spinæ uertentur in rosam. Producit enim ieiunando libido castimoniam, superbia humilitatem, sobrietas parcitatem. Hi enim sunt flores uitæ nostræ, qui suaue Christo redolẽt. qui odorem bonũ deo spirant. Vnde ait Apostolus: Quonã Christi bonus odor sumus deo. Hãc ergo quadragesimam largitus est nobis dominus, ut huius temporis spatio in morem totius creaturæ nunc concipiamus uirtutum germina, ut in die paschæ fructum iustitiæ proferamus. Hoc autem quadragenario numero se ipse dominus Christus exercuit, non ut profectum ipse caperet, sed ut profectum salutis nobis ostẽderet. Nec enim erat in illo spina peccati, quæ uerteretur in florem. Ipse enim erat flos natus non de spina sed de uirga, sicut ait propheta: Exibit uirga de radice Iesse & flos de radice eius ascendet. Virga enim erat Maria, nitida, subtilis & uirgo, quæ Christum uelut florem integritate sui corporis germinauit. Continuatis ergo quadraginta diebus hæc ieiunia non esuriens dominus procurauit, sed dicit illum Euangelista esuriisse postea. Quomodo ergo potest fieri ut qui tot dierum numero famem sitimq; non senserit, postea esurierit? Esuriebat plane, nec negare possumus quod esurierit. Esurijt enim non cibum hominum, sed salutem, nec escarum secularium epulas concupiuit, sed animarum desiderauit cœlestium sanctitatem. Cibus enim Christi est redemptio populorum, cibus Christi est paternæ uoluntatis effectus, sicut ipse ait: Meus cibus est ut faciam uoluntatem patris qui me misit. Vnde & nos esuriamus cibum non qui terrenis epulis apparatur, sed qui diuinarum scripturarum lectione collígitur. Ille enim corpus ad tempus nutrit, hic autem animam reficit in æternum.

Genes. 3

2. Cor. 2

Esaiæ 11

Matth. 4

Ioann. 4

Item de quadragesima. Sermo XXXVII

IBene retinet fratres uestra dilectio, hac superiore dominica prædicauimus quod sanctam quadragesimam abstinendo ipse dominus consecrauerit, & tot dierum noctiumque curriculo cibum omnino non capiens, unum ac solidum ieiunij corpus effecerit, quod in totum non obseruare, sacrilegum est: ex parte uiolare, peccatum est. Hoc enim fecit causſa salutis nostræ, ut rem utilem non solum doceret uerbis, sed etiam exemplis instrueret, ut ijsdem uestigijs quibus ad fidem currimus, ad abstinentiam graderemur. Sed uideamus quæ causſa steterit ut ieiunia saluator indiceret, & ipse sibi primum ut bonus humani generis medicus ieiunaret. Bonus enim medicus poculum quod ægro daturus est, prior gustat, ut peritiã artis suæ antè in se

ipſe demonſtret, & experimentum æger accipiens ſecurus ſit de poculo, ſecurior de ſalute. Deinde quo loci hoc ipſum tempus ieiunij procurarit. Dicit enim Euangeliſta
Matth. 4 abſtinuiſſe dominũ quadraginta diebus & noctibus in deſerto. Arbitror itaq; cauſſam hanc eſſe ieiunij, ut quia primus Adam in paradiſo conſtitutus per intemperantiam gulæ gloriã immortalitatis amiſerat, eandem immortalitatẽ ſecundus Adam Chriſtus per abſtinentiam repararet. Et quia contra mandatum dei guſtans de interdicta arbore peccatum mortis inciderat, nunc ſecundũ mandatum domini ieiunãs, uitæ iuſtitiam mereretur. Hoc enim agit ſaluator, ut ijſdem ueſtigijs quibus admiſſa fuerint delicta, purgẽtur, hoc eſt, ut quia homo manducãdo deliquerat, corrigat abſtinendo: uel quia epulando mulierem cognouerat, nunc eandẽ ieiunando deſpiciat. Adam enim Euam non niſi intemperantia prouocante cognouit. Quamdiu aũt manſit in illis intemerata parcitas, manſit & impolluta uirginitas: & quamdiu ieiunauerunt ab interdictis epulis, tamdiu & à pudendis ieiunauere peccatis. Fames em̃ amica uirginitatis eſt, inimica laſciuię. Saturitas uero caſtitatẽ prodigit, nutrit illecebrã. Igitur, ſicut dixi, hoc agit dominus, ut ijs præiudicijs quibus homo obnoxius peccato fuerat, liberetur. Propterea nanq; per omnia ſecundum ſimilitudinem Adæ naſci uoluit, ut ſecundũ ſimilitudinem omnia hominis peccata diſſolueret. Adam enim de terra uirgine natus eſt, et Chriſtus de Maria uirgine procreatus. Illius maternum ſolum necdum ſciſſum fuerat, iſtius maternum ſecretũ nunquã concupiſcentia uiolatum. Adã dei manibus plaſmatur è limo, Chriſtus dei ſpiritu formatur in utero. Vterq; ergo oritur cum patre, uterq; uirgine utitur matre, uterq;, ſicut Euangeliſta dicit, filius dei eſt, ſed Adam creatura eſt, filius Chriſtus uero ſubſtan-
Luc. 3 tia. Hoc ergo agit dominus ſicut Adam ſecundus, ut quod prior homo manducando perdiderat, hoc alter ieiunando recipiat, ac legẽ in paradiſo abſtinentiæ datam in deſerto cuſtodit. Sciebat enim præceptum dei non unius loci legẽ eſſe, ſed mundi. Non enim intereſt, diuinitatis mandatum utrum domi an in agro cuſtodias, cũ ubique ſit qui præcepit. In deſerto itaq; ſaluator implet mandatum dei, ut ibi Adam ſaluaret errantem, ubi fuerat de paradiſi poſſeſſione proiectus. Adam enim expulſus de paradiſo, inculti mũdi deſerta ſuſtinuit. In deſerto ergo primum homini ſalus refunditur, ubi non ſunt epulæ, ubi deſunt delicíæ, ubi (quod eſt omnium malorum cauſſa) deeſt & mulier. Potuerat enim Adã inter illas paradiſi incõcuſſus ſtare delicias, ſi Eua ibidem cum diabolicis illecebris non fuiſſet. Conueniens ergo eſt deſertum ſaluti, ubi non eſt Eua quæ perſuadet, non eſt mulier quæ blanditur. Videte rem miram, in paradiſo cum Adam diabolus dimicat, ubique inſidiatur homini, ubiq; congreditur: ſed ubi mulierem inuenit, uincit: ubi mulierem non inuenit, uictus abſcedit. Formam igitur dedit nobis deus in hoc facto, ut ieiuniorum tempore tanquam deſertum habitantes abſtineamus epulis, uoluptate, mulíere, nec coniungatur nobis Eua, ne nos à caſta obſeruatione illecebroſa perſuaſione ſubuertat. In deſerto enim quodammodo uidetur habitare qui quadrigeſimæ tempore ieiunus & caſtus eſt. Deſertum plane quoddam ipſum corpus eſt Chriſtiani cum non repletur cibis, non poculis irrigatur, ſed arentis inediæ ſqualore negligitur. Deſertum inquam eſt corpus noſtrum cùm abſtinentia marceſcit caro, ſiti pallor obducitur, & contemptu rerum totius hominis ſpecies inculta ſordeſcit. Tunc Chriſtus dominus habitat deſertum pectoris noſtri, cum noſtram terram fame ſqualidam ac ſiti aridam eſſe re-
Pſalm. 62 perit, ſecundum quod ait propheta Dauid: Sicut in terra deſerta & inuia & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi. Aliter enim ſicut in ſancto ei apparere nõ poſſumus, niſi terra corporis noſtri fuerit deſerta mundanis delicijs, inuia diabolicis concupiſcentijs, & inaquoſa libidinoſis illecebris. Tunc habitans ſaluator hoc deſertum corporis noſtri, omnes ibi diaboli factiones exuperat, & ſecretum ac ſecurum à cogitationibus ſeculi eſſe ſuum facit habitaculum, ut deinceps nos intra noſmetipſos ueluti in ſolitudine conſtituti, non niſi cœlum reſpiciamus & terram, hoc eſt, non cogitemus alium niſi cœleſtis regni dominum, & terrenæ reſurrectionis authorem.

Item de ieiunijs, & quadrageſima. Sermo XXXVIII

Ropitia diuinitate ecce iam penè tranſegimus quadrageſimæ indicta ieiu-
P nia, & præcepta Chriſti domini abſtinẽtiæ deuotione compleuimus. Supereſt nunc ut quemadmodũ famuli eius Moyſes & Helias hunc ſacratiſſimum numerum

numerum obseruando, gratiam meruerunt: ita & nos hoc ipsum tẽpus custodiendo mereamur, sitq; similis remuneratio in perceptione præmij, quorum similis labor est in obseruatione ieiunij. Helias enim cum esset clausum humanis iniquitatibus cœlum, & nulla mundanis rebus desuper pluuiarum stillaret ubertas, atq; omnia longæ siccitatis squalore languerent, & esset fames magna uniuerso generi humano (quoniam enim cœlum pluuiam non dabat, nec terra pabulum germinabat) tunc Helias sanctus reserauit ieiunijs suis cœlum, terram orationibus fœcundauit. Illius enim siccitatem conuertit in pluuiam, huius sterilitatem resoluit in partum. Tanta enim eius precibus orbem terrarum imbrium largitas irrigauit, ut arida reuiuiscerent, mortua resurgerent, languentia sanarentur. Et ita rebus cunctis fontium quidã meatus infusus est, ut purificatione facta per pluuiam, omnia creaturarum uitia lauarentur, atq; inundationis illius beneficio totius mundi species innouata consurgeret. Igitur & nos eadem quæ Helias obseruantes ieiunia, adhibitis precibus clausum cœlum nostris competentibus reseremus, quatenus illos lauacri salutaris imber illuminet. Clausum enim illis est cœlum, quamdiu nondum de cœlo spiritus sanctus aduenies eorum corda uiuificat, siccitatem quodammodo patiuntur, quia nondum gratia baptismatis irrigantur. Laborant etiam fame magna, quoniam uelut esurientes cœlestia sacramenta desiderant. Reseremus ergo illis cœlum, ut aduenient desuper spirituali pluuia, eorum terra lauacri irriguo satietur, & delictorum sterilitate deposita incipiant fructus germinare uirtutum. Etenim cœlestis imber uitia peccatorum diluit, iustitiæ incrementa producit, discutit aridum concupiscentiæ pulue rem, lætificat utilem castimoniæ puritatem, obruit auaritiæ sordidam fœcem, nutrit æternam misericordiæ largitatem. Sicut enim superueniente Heliæ pluuia omne pabulum terra produxit, ita & superueniente Christi lauacro omnem iustitiam anima germinauit. Et sicut illic pluuiarum fontes irrigauerunt orbem, ut uiuificarentur herbarum mortificata iam semina, ita & fons baptismatis irrigat genus hominum, ut animarum mortificata corda uiuificet. Hoc ergo obseruantium ista ieiunia est meritum, ut orationibus eorum aut innouetur mundus, aut fratres denuo renascantur. Reserandum igitur competentibus nostris est cœlum, quoniam adhuc clausum est apud illos. Clausum est enim cœlum, quoniam mysterium nondum peruident trinitatis. Clauso enim sibi cœlo, super cœlum quid agitur ignorant, nec scire possunt quæ sit filij patrisq; substantia, nisi prius mundi elementa transcenderint. Tunc enim poterit quis trinitatis aspicere diuina mysteria, cum cœlos sua uirtute habuerit apertos, sicut beatus Stephanus martyr reserauit sibi martyrio suo cœlos, & stantem uidit ad patris dexteram saluatorem, secũdum quod ipse ait: Ecce uideo cœlos apertos, & stãtem Iesum ad dexteram dei. Ergo cui clausi sunt cœli, agendũ est, ut aperiantur illi, quatenus super cœlos Christum possit aspicere. Nam quamdiu clausi sunt homini, Christum non potest uidere regnantem. Quemadmodum autem clausi cœli aperiendi sunt, inquirere nos oportet. Puto autem aliter eos aperiri non posse, nisi claues Petri Apostoli sumpserimus, quas domino largiente suscepit, sicut ipse dixit: Tibi dabo claues regni cœlorum. Imò rogemus Petrũ ut ipse nobis tanquam bonus ianitor regiæ cœlestis aperiat. Quæ autem ista clauis sit, diligentius requiramus. Clauem Petri fidem esse dixerim Petri, per quam cœlos aperuit, penetrauit inferna securus, maria calcauit intrepidus. Tanta enim Apostolicæ fidei uirtus est, ut cuncta illi elementa pateant, hoc est non illi Angelicæ claudantur ianuæ, non portæ præualeant tartari, non aquarum fluenta subsidant. Ista autem ipsa clauis quam fidem dicimus, uideamus quemadmodum constet, quemadmodum solida sit. Arbitror illam duodecim artificum operatione conflatam. Duodecim enim Apostolorum symbolo fides sancta concepta est, qui uelut periti artifices in unum conuenientes, clauem suo consilio conflauerunt. Clauem enim quandam ipsum symbolum dixerim, per quod reserantur diaboli tenebræ, ut lux Christi aduenial: aperiuntur conscientiæ clausa peccata, ut iustitiæ fulgeant opera manifesta. Igitur hæc clauis ostendenda est fratribus nostris, ut & ipsi tanquam discipuli Petri inferna sibi reserare, cœlos aperire consuescant.

3. Reg. 18. & 19

Act. 7

Matth. 16

De

De ieiunijs, & eleemosynis. Sermo XXXIX

NOn dubito fratres contristari uos quotienscunq; absentem me à uobis necessitas facit. Dum enim quem diligitis non uidetis, tanquam boni filij pietatis stimulis laboratis. Sed ego quamuis corpore uos interdum deseram, tamen uos spiritu non relinquo. Quocũq; enim iero, dilectio uestra me sequitur, ubicunq; fuero, ibi mecum uestra fraternitas commoratur. Quisquis enim in Christi mãdatis permanet, necesse est ut Christi adhæreat sacerdoti: & licet longe positus uideatur, fit tamen proximus dum illum unius fidei gratia repręsentat. Ille se sane separatum à sacerdotibus putet, qui actibus malis separatus à Christo est. Atq; ideo fratres uos qui mandatum saluatoris facitis, quamuis absentes à me fueritis corpore, dilectione tamen mihi minime defuistis. Ita quos separabat longitudo terrarũ, Christi gratia connectebat. Sunt autem nonnulli inter uos fratres, quorum licet uultus in ecclesia uideamus, cor tamen in agris esse cognoscimus: & præsentiam quidem eorum consideramus in plebe, sed conuersationem eorum inuenimus in rure. De terra enim semper cogitant, de terra tractant, quæ
Genes. 3 terrena sunt sapiunt. His conuenit diuina illa sententia: Quia terra es, & in terram ibis. Qui ideo aliquando ad ecclesiam ueniunt, non quia ex fide Christiani sunt, sed ne Christiani ab hominibus non putentur. Quibus cum ieiuniũ indicitur, de intemperie se temporis semper excusant. Dicunt enim æstiuis mensibus, dies longa est, torrentior sol est, sitim ferre non possumus, poculis nos refrigerare debemus. Hyemis uerò tempore graue frigus est, rigores sunt pessimi, algorem tolerare nequimus, escis calefieri nos oportet. Ita homines quorum animus semper est in prandio, prãdendi sibi caussas inquirunt: & dum se à ieiunijs excusant, tempora creatoris accusant. Dic mihi ô delicate Christiane, qui æstum solis ieiunando ferre non potes, nunquid æstus quem sustentaturus es, tor
Matth. 8 rentior est gehenna? Nunquid hyems cui retrudendus es, horridior est tenebris? In exteriores enim tenebras abijcientur peccatores. ibi erit fletus, & stridor dentiũ: sicut ait dominus. Stridor inquam dentium instar hyberni temporis erit in illis tenebris. Ergo sicut penetrante algore hyemis, toto homines corpore contremiscunt, ita & interueniente conscientia frigida delictorum, graui peccatores dentium stridore quatientur. Ita miser peccator dum hic hyberni rigorem metuit, ibi tenebrarum frigus incurrit. Dum hic æstum solis euitat, ibi gehennæ sustinebit ardorem. His autem ipsis hominibus cum dixeris ut aliquid pauperibus largiantur, statim tibi obijciunt, necessitates infinitæ sunt, tributa sunt grauia, fiscalia explicare non possumus. Et tanta tibi ingerunt, ut quasi reum te statuant cur hoc ipsum illos uolueris commonere. Non intelligentes quòd omnibus necessitatibus, salutis sit necessitas præferenda, & quòd tributum reddere, alij prodest: eleemosynam facere, ipsi proficiat qui largitur. Tributi enim redditio illi præstat beneficium qui accipit, eleemosynæ autem operatio sibi confert meritum qui ministrat. Tributi inquam redditio detrimentum infert soluenti, eleemosynæ erogatio lucrum tribuit erogãti. Ditior enim fit uir misericors postea quàm minus habere incipit pauperibus largiendo. Beata igitur est eleemosyna, quæ & accipientem reficit, & lætificat erogantem.
2. Cor. 9 Hilarem enim datorem diligit deus. Atq; ideo melius est illi prius dare. Lętus ergo & hilaris est qui pauperibus subministrat. Rectè planè lætus est, quia per numulos paucos, æternos thesauros sibi cœlestes acquirit. Et contra semper tristis est & mœstus qui tributa dissoluit. Nec immerito tristis est, qui ad solutionem non dilectione adducitur, sed terrore constringitur. Christi enim debitor lętus, Cæsaris tristis est, quia hunc ad soluẽdum amor cogit, illum pœna compellit. Hic præmijs prouocatur, ille supplicijs coarctatur. Dicit sanctus Apostolus: Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere, & neque
2. Tim. 6 in incerto diuitiarum sperare. Vides ergo ô dives quia sunt tuæ incertæ diuitiæ. quid ergo aurum congregas, in quo nulla certa fiducia est? Auri tui auaritia cesset, & terra est: solidi tui cupiditas auferatur, & sordes sunt. Aurum enim & argentum uilis est & abiecta materies. ubi aurum increuit humana concupiscentia, tunc & his speciebus accreuit ambitio. Aurum enim & argentum non precio sum natura instituit, sed hominum uoluntas effecit.

De

De ieiunijs Niniuitarum. Sermo XL

Legimus in prophetis cum Niniuæ ciuitati subuersio diuinitus immineret, Ionæ.3
L & iuxta sententiam dei, destruendi illam tempus ingrueret, consistentes in ea aliud nō habuisse præsidium, nisi ut abiectis crapulosis epulis, ieiunia continuata susciperent, & diuitiarum ambitione sepositā, humilitate se paupertatis induerent: scilicet ut exinde remedium perciperent, unde his perditio contingebat, hoc est ut iram diuinitatis quam luxuriando prouocauerant, abstinendo lenirent: & offensam quam in eos superbia contraxerat, humilitas mitigaret. Dicitur enim in illa tribulatione ipse rex depositā imperiali purpura, regali ambitione submota, membra sua cilicio præcinxisse, atq; in facco & cinere se diebus ac noctibus uolutasse. Sapiens ergo rex, qui sciret quemadmodum aduersa sibi superare deberet. hostes enim uirtute superabat, deum autem humilitate uincebat. Sapiēs plane rex, qui intelligeret quibus armis uteretur pro temporis qualitate. Cum enim insidiantur illi homines, apprehendit arma bellica: cum irascitur ei deus, corripit arma iustitiæ. Sapiens inquam rex, qui pro salute ciuium peccatorem se magis confitetur esse quàm regem. Obliuiscitur enim se regem esse, ubi deum regem omnium pertimescit: nec potentiæ suæ meminit, ubi potentiam diuinitatis agnoscit. Obliuiscitur ergo se regem esse dum proijcit purpuram, dum diadema deponit, cilicio autem uestitur et facco, ieiunijs perseuerat, orationibus immoratur. Mira res: dum se regem hominum esse non meminit, rex incipit esse iustitiæ. Religiosus igitur princeps non perdidit imperium, sed mutauit. Principatum enim antè militaris disciplinę tenuit, nunc cœlestium disciplinarum obtinet principatum. Non inquam perdidit imperium, quia siue ferro siue iustitia pro ciuium salute primus inuigilat. Primus plane inuigilat, quia ut tota ciuitas ieiunaret, famē sibi rex primus indixit: & solus omnium caussa prior cœpit esurire quàm miles. Necesse enim erat ut qui potentior cunctis fuerat, deuotior fieret uniuersis: Exemplo ergo suo præparat religionis exercitum, non armis sed sola deuotione munitum: iubet omnem sexum, omnem ætatem à diurnis epulis abstinere. Additur religioso excercituí numerus, cum in tali deuotione etiā infantia militare compellitur. Pietas enim esse creditur in tali caussa, paruulis quoq; cibi substantiam denegare: Non enim sufficiebat ad placandum deum peccantiū satisfactio, nisi seniorum quoque peccata, paruulorum innocentia deploraret, & fletibus alienis delicta sua iuuentus ablueret. Ista autem fratres omnia in commonitionem nostri facta esse nemo est qui ne sciat, ut quotiescunq; tribulationibus perurgemur, adhæc præsidia concurramus: ut puta aduersarius imminet, inimicus in prōptu est: ieiunemus, & uincamus. Solent quidam homines quotiescunq; necessitatem arduam nimis patiuntur, ad proximas gentes auxilij caussa destinare legatos. Nos, quod est melius, legationē ad deum per ieiunia destinemus, ab ipso imploremus auxilia, ad ipsum nos corde & orationibus conferamus. Auxilium enim illi non aliunde rogando petiuerunt, sed de suis ieiunando uisceribus exegerunt. Cur enim petat ab altero, qui intra se potest inuenire quod quærit? Quāto eīm deo uiciniores fuerimus, tanto aduersarij nostra à nobis longius pellunt. Oportet igitur proximos nos fieri deo, quoniam dicit propheta: Ecce qui elongant se se à te, peribunt. Psalm.72
Quòd si à deo qui longe sunt, peribunt: utique qui sunt proximi, saluabuntur. Aliter ergo proximi deo esse non possumus, nisi ad eum ieiunijs & orationibus & eleemosynis propinquemus. deus enim ipse semper misericors, ieiunus & sanctus est. Atq; ideo qui uult proximus deo esse, debet imitari hoc esse quod est deus. Tota igitur in tribulatione Niniuitarum ciuitas ieiunauit. Bene dixi, tota: Non solum enim senes, iuuenes & infantes, sed etiam pecudes legimus ieiunasse. Mira res: ieiunant pro ciuitatis peccato, quæ peccati conditio non constringit. Vnde & nos fratres temporum angustias sustinentes omnes pariter ieiunare debemus, & misericordiam dei cunctorum abstinentia deplorare. Nam quale sit, hoc Christianum pro salute sua non facere, quod pecudes pro hominum salute fecerūt? nisi quod stolidior pecude est qui indicto pro se à sacerdote ieiunio non ieiunat. Nonne enim pecus est qui non intelligit quid illi immineat, quid incūbat? Et pecus quidem uidens declinat foueam, cauet præcipitia: tu autem non uis ieiunando periculū declinare quod cernis? Desperatiōis eīm genus est, tunc te māducare cū abstinere debeas: tūc gaudere, cū debeas deplorare. De hac desperatiōe Apostolus dicit,

quod

1.Cor.15 quod à nobis auertat deus: Manducemus & bibamus: Cras enim moriemur. Ieiunemus ergo fratres sine intermissione, ut hostes nostros orationibus & abstinẽtia superare possimus, per dominum nostrum Iesum Christum.

De gratia baptismi. Sermo XLI

Q Via constat, sicut ante dies prosecuti sumus, Iesum Christum non sui caussa baptizatum esse, sed nostri: debemus fratres dilectissimi, uobis (catechumenis loquor) gratiam baptismatis eius omni festinatiõe suscipere, & de fonte Iordanis quem ille benedixit, benedictionem consecrationis haurire, ut in eum gurgitem in quem se illius sanctitas mersit, nostra peccata mergantur, scilicet ut eadem aqua quę dominum circundedit, & seruulos circumpurget, quatenus ex uenerabili Christi lauacro nobis unda sancta proficiat, & ijsdem uestigijs atq; mysterijs quibus benedictionem à saluatore est mutuata, nos fœtu beatiore purificet, gratiamq; quam à Christo suscepit, in Christianos refundat. Ergo fratres tingi debemus eodem fonte quo Christus ut possimus esse quod Christus. Nam, quod salua fide dixerim, licet baptismum utrunq; sit domini, tamen gratius puto hoc baptismum esse quo nos abluimur, quàm illud quo saluator baptizatut. Hoc enim celebratur per Christum, illud celebratum est per Ioannem. In illo se magister excusat, in isto nos saluator inuitat. In illo iustitia semiplena, in isto trinitas est perfecta. Ad illud sanctus uenit, sanctus egressus: ad istud peccator uenit, & sanctus abscedit. In illo benedictio cõfertur mysterijs, in isto mysterijs delicta donantur. Baptizari ergo fratres debemus eodẽ gurgite quo saluator. sed ut eodem fonte mergamur, non nobis orientalis petẽda est regio, non fluuius terræ Iudaicę. Vbi enim nunc Christus, ibi quoq; Iordanis est. Eadem consecratio quæ orientis flumina benedixit, occidentis fluenta sanctificat. Vnde & si nomẽ forte fluuio aliud sit de seculo, inest tamen illi mysterium de Iordane. Denicq; ijsdem sacramentis res agitur quibus & tunc gesta est, nisi quod gratia pleniore. Tunc enim trinitatem carnalibus oculis uidimus, modo eandem trinitatem fidei oculis contemplamur. Tunc Christum uix humanus uultus aspexit, nunc eundem mens humana complectitur. Tunc spiritus sanctus uelut columbæ specie hominem circunfudit, modo se in interiora hominis ipsa uirtute diuinitatis infundit. Tunc pater à domino propter filium longo auditu uocis aduenit, modo autem descendit ad nos pariter ipse cũ filio. Plenior ergo gratia est ubi deus non assumpta specie descendit ad homines, sed propria substantia descendere dignatur ad filios. Ibi enim tanquam incredulis fidem uult signis corporalibus persuadere, hic tanquam fidelibus gratiam spirituali uirtute conferre. Plenioris ergo gratiæ est deũ uidere sicut est deus, quàm uidere eum sic ut requiras eum. Hic est perfecta trinitas, ibi adhuc scrutanda diuinitas. Plenior igitur est gratia deũ propria uirtute cognoscere, quàm in assumpta specie suspicari. Faciamus ergo ipsi pro nobis quod deum uidemus fecisse pro nobis, faciamus circa nos quod fieri circa se Ioannes optauit. Quanto magis peccatores nos humiles & ignari gratiam hanc debemus ambire. Videte misericordiam saluatoris. hoc nobis spon te defertur, quod propheta postulãs non meretur accipere. Quid autem caussæ sit quòd Ioannes petierit Christi baptismum, & non acceperit, debemus aduertere. Ait enim illi
Matth.3 dominus postulanti: Sine modo. sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Scimus autem quòd Ioannes baptista typũ legis gerebat. iustum ergo erat ut ipse baptizaret dominum, scilicet ut quemadmodum secundum carnem de Iudeis Saluator est genitus, ita & secundum spiritum de lege Euangelium nasceretur, ut unde successionẽ ducebat originis, exinde & traditionem consecrationis acciperet. Hoc est igitur quod ait: Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Iustum enim erat ut mandata legis quæ ipse condi
Matth.5 derat, ipse compleret, sicut alibi dicit: Non ueni legem soluere, sed adimplere.

De hostibus carnalibus non metuendis, & post cibum gratias deo referri debere. Sermo XLII

F Requenter admonui uos fratres, ut dum licet, dum tempus in spatio est, salutí uestræ omnibus modis consuleretis, & in hac uita breui, uitam uobis prouideretis æternam. Sapiens enim quisq; intelligit quòd hęc uita homini non ad quietem data sit, sed ad laborẽ: hoc est, ut hic laboret, & in posterum requiescat. Hic autem requies nulla est. Tantis enim malis hæc uita repleta est, ut comparatione eius

mors

mors remedio putetur esse, non pœna. Nam ideo breuem illam deus fecit, ut molestiæ eius, quia prosperitate non poterant, temporis exiguitate finirentur. Denique sanctus Iob dicit: Piraterium est uita hominis super terram: hoc est, siue quòd homines in hac ui ta omnia experiantur mala. Piraterium enim Latinè, experimentum dici potest. Seu cer te piraterium, quod in hac uita circa homines diabolus tanquam pirata desæuiat. Pirate rium enim habitaculum piratarũ est. Tamdiu ergo in piraterio sumus, quamdiu in hac carne positi prędonum spiritualium tentationibus subiacemus, quamuis in hac ipsa uita etiam carnales nobis, qui sunt barbari, piratæ non desunt, minus tamen eos timeo, qui & si auferunt patrimonia, non possunt auferre iustitiam: si aurum tollunt, Christum tollere certe non possunt: si diripiunt argentum, non possunt diripere saluatorem. Quis igi tur non festinet habere sibi Christum quem non possit ab eo nec prædo diripere, nec ho stis auferre, nec captiuitas separare? Qui enim habet Christum, hominem non ueretur inimicum. Quid enim facturus sapienti? Pecora eius abducet? hoc etiam morbi lues fa cere consueuit. Armẽta diripiet? istud damnum abactores tolerando iam didicit. Ipsum fortassis non illi admouet tædia, sed remouet, hoc enim illi intulit, quod maiore cũ mole stia febris afferret, præsertim cũ dicat dominus: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Illi igitur spirituales plus metuẽdi piratæ sunt, qui non solum corpora hominum, sed & animas spoliare consueuerunt: qui non tam aurũ mundi, quàm aurum fidei auferre nituntur: qui non tam seculi substantiam, quàm Chri sti sapientiam deprædantur. Nam ipsi nobis spirituales hostes carnales immittũt, ut pro bemur in tribulatione positi, quã simus confidentes in deo, quàm de solo ipso remediũ postulemus. Sunt enim quidam qui in tribulatione positi dicãt malis artibus hostes uin cere, ijsdem eos artibus debere superari, desperantes de deo, à dæmonibus uictoriã fla gitantes. Miseri homines, nesciunt quid faciant, quid loquantur. Dum enim rebus suis metuunt, oblìti sunt religionis ac fidei. Qui res quidem suas forte non perdẽt, sed quod est amplius, suas animas perdiderunt. Dicit sanctus Iob: Si bona excipimus de manu do mini, quare non mala tolerabimus? Hoc est, si bonis superuenientibus iucũdamur, qua re non & aduersis accidentibus confortemur? Aduersa tolerare, sapienti uirtutis exerci tium, insipienti præuaricationis est occasio. Dixi ergo frequenter ut in hac uita breui, ui tam uobis prouideatis æternam: quod doleo cur hoc facere contemnatis. Cum enim ie iunandum dicimus, præter paucos nemo ieiunat. Cum eleemosynas faciendum, maior auaritia uos constringit. Orare autem, & gratias deo agere quid sit, pleroscp de uobis e tiam arbitror ignorare, qui surgentes primo diluculo non nisi de prandio cogitent: cum pranderint somno se tradant, nunquam diuinitati gratias referẽtes, quæ illis & prandiũ ad refectionem, & somnum dederit ad quietem. Vticp tu Christiane si es utilis, meminis se debes cuius panem comedis, & ei laudem dicere. Dic mihi, num si aliquid de tuo cui cunq; largiris, expectas ut tibi gratias agat, ut benedicat domũ de qua ei humanitas sit tributa? Qui si forte gratias non agit, quemadmodum à te denotatur ingratus? Ita ergo & à nobis expectat qui nos pascit deus, ut pro præstitis ab eo escis illi gratias referamus, & saturati donis ipsius, laudes ei dicamus. Hęc enim beneficiorum est retributio diuino rum, ut cum refecti fuerimus, bene nos cõfiteamur acceptos. Cæterùm si accipientes di uina munera, taciti & immemores fuerimus: tanquam ingrati & indigni eorum submi nistratione fraudabimur: ut deum quem beneficijs non cognouimus, malis ingruenti bus requiramus, & aduersis stimulemur ad rogandum, qui prosperis gratias nõ egimus ad fruendum: sicut nunc contingit ut qui in pace pigri fuimus ad laudes referendas, mo do in tribulatione trepidi existamus ad pericula deploranda.

Iob. 7

Matth. 10

Iob. 2

Item de eodem. Sermo XLIII

Atis abundecp dixisse me credo superiore dominica ad correptionem eo-
s rum qui diuinis muneribus perfruentes gratias non referunt creatori, & u-
tentes beneficijs cœlestibus tanquam ingrati & indigni beneficiorum non remunerantur authorem. Ingrati inquam, qui deum nec quasi serui metuunt dominum, nec quasi filij honorificant, ut parentem. Dicit per prophetam deus: Si dominus sum, u bi timor meus? si pater, ubi amor meus? Hoc est, si seruus es, redde domino timoris obse quium: si filius, exhibe patri pietatis affectum. Tu autem cum gratias non agis, deũ nec

Malach. 1

díligís nec uereris. Vnde aut contumax ſeruus, aut ſuperbus es filius. Qui eſt igitur utilis Chriſtianus, ſemper debet patri ac domino ſuo laudes dicere, & in eius gloriam omnia
1.Cor.10 procurare, ſicut ait beatus Apoſtolus dicẽs: Siue mãducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam dei. Vídete quale uiri Chriſtiani Apoſtolus uoluit eſſe conuiuium, ut magis fides Chriſti, quàm prandij ſagina comedatur, & plus reficiat hominẽ domínici nominis frequẽs inuocatio, quàm epularum multiplex & copioſa collatio, meliuſq; paſcat eſurientẽ religio, quàm ſagina. Omnia, inquit, in gloriam dei. Omnes ergo actus noſtros Chriſto uult ſocio uel teſte compleri: hac ſcilicet ratione, ut bona ipſo auctore faciamus, mala propter ipſius contubernium declinemus. Erubeſcit enim mala facere, qui ſcit Chriſtum ſe habere participẽ. Chriſtus autẽ in bonis adiutor eſt, in malis noſter eſt conſeruator. Ergo cum díluculo ſurgimus, debemus priuſquã procedamus è cubículo gratias agere ſaluatori, & ante omnes actus ſeculi, actus habere pietatis, qui nos quieſcentes & dormiẽtes in lectulis cuſtodiuit. Quis enim niſi deus dormientẽ cuſtodit hominẽ? qui ita reſolutus in ſomnũ, & oblitus ſui uigoris humani, à ſe alienus effícitur, ut neſciat quid ipſe ſit, ubinam demoretur, adeſſe ſibi certe ipſe non poſſit. Neceſſarius igitur deus adeſt dormientibus, quia dormientes ſibi adeſſe nõ poſſunt: & à noctur nis inſidijs genus hominum ipſe cuſtodit, quia id temporis ad cuſtodiendum alter nemo peruigilat. Debeo ergo illi gratiam, qui ut ego ſecurus dormiam, ille peruígilat. Ipſe enim nos deus iturós cubitum quodam gremio quietis ſuſcipit, & theſauro pacis recondito ſeruat, & caliginum quadam tuitione in lucẽ defendit, ut malitia inimicorum hominum repellatur tenebris, quæ non poteſt benignitate depelli, & pacẽ feſſis præſtet obſcuritas, quam non præſtabat humanitas. Dum enim neſcit homo, ubi ſuum aduerſarium perſequatur, pacẽ quam uolens præſtare noluit, præſtat inuitus. Debemus ergo ſurgentes gratias Chriſto agere, & omne diei opus in ſigno facere ſaluatoris. Nónne cum adhuc gentilis eſſes, ſolebas ſigna perquirere? quæ ſigna quibus rebus eſſent proſpera, magna inquiſitione colligere? Iam nunc nolo erres in numero, ſcito quia in uno ſigno Chriſti omnium rerum eſt tuta proſperitas. Qui in hoc ſigno ſeminare cœperit, uitæ fructum conſequetur æternæ. Qui in hoc ſigno iter facere aggreditur, ad cœlum uſq; perueniet. In hoc igitur nomine omnes actus noſtri dirigendi ſunt, & ad ipſum totius uitæ
Act.17 noſtræ commotio referẽda, quia ſicut ait Apoſtolus: In ipſo uiuimus & mouemur & ſumus. Sed & cũ ueſpera diẽ claudit, ipſi debemus per pſalterium laudẽ dicere, & gloriam eius modulata ſuauitate concinere, quo operum noſtrorum cõſummato certamine, ueluti uictores requiẽ mereamur, & laboris quædam palma ſit ſoporis obliuio. Hoc autẽ ut faciamus fratres, non ſolum docemur ratione, ſed etiam admonemur exẽplis. Nónne enim uidemus minutiſſimas aues cum illuceſcentẽ diẽ aurora producit, in quibuſdam nídorum cubiculis uaria dulcedine perſonare, & id ſtudioſe agere priuſquam procedant, ut creatorẽ ſuum, quia loquela non poſſunt, ſuauitate demulceant? & quemadmodum unaquæq; earum quoniam confeſſione nequit, modulis prodat obſequium, ita ut uideatur ſibi deuotius gratias agere, quæ dulcius perſonauit: hoc etiam peracto diei curſu ſimiliter facere? Quid ergo ſibi uult iſta certis temporibus diſpoſita cantilena, & iugis intentio, niſi gratiarum quædam ſit immoderata confeſſio? Paſtori enim ſuo auis innoxia, quia ſermone non poteſt, ſuauitate blanditur. Habẽt enim & aues paſtorẽ ſuum ſi-
Matth.6 cut ait dominus: Reſpicite uolatilia cœli, quoniam non nent, neq; metunt: & pater ueſter qui eſt in cœlis, paſcit illa. At quibus tandẽ cibis paſcuntur aues? uiliſſimis ſcilicet & terrenis. Aues ergo propter uiles eſcas gratias agũt: tu precioſiſſimis epulis paſceris, & ingratus es? Quis igitur non erubeſcat ſenſum hominis habens, ſine Pſalmorum celebritate diem claudere cum ipſæ aues ad gratificandum pſalterij ſuauitate perſultent, & eius gloriam non uerſuum dulcedine perſonare, cuius laudẽ uolucres modulata cantilena pronunciant? Imitare ergo frater minutiſſimas aues mane & ueſpere creatori gratias referendo. Et ſi es deuotior, imitare luſciniam, cui quoniam ad dicendas laudes dies ſola non ſufficit, nocturna ſpatia peruígili cantilena decurrit. Et tu igitur laudibus tuis diem uincens operi tuo adde nocturna curricula, & inſomnẽ ſuſcepti laboris induſtriã pſalterij ſerie conſolare. Et quia de his auibus mentionẽ feci quæ noctibus uigilant, nolo te imitatorem eſſe noctuæ, quæ licet per noctem uigilet, per diem tamen pigra uel cæca eſt,

ca est quæ grandibus oculis tenebrarum caligines dilígit, splendorẽ solis horrescit. Mirum enim in modum illuminatur obscuritate, luce cæcatur. Istud animal hæreticorum figura est atq; gentilium, qui tenebras amplectuntur diaboli, lucem saluatoris horrescũt & grandibus disputationum oculis cernunt uana, non respiciunt sempiterna. De his ait, dominus: Oculos habent, & non uidebunt: in tenebris ambulant. Sunt enim acuti ad su perstitiosa, hebetes ad diuina: qui dum se putant subtilibus euolare sermonibus, tanquã noctuæ ueri luminis splendore turbantur. *Psalm.113*

De sancto Latrone. Sermo XLIIII

Sermo Maximi Episcopi.

QVoniam hesterno die de Latrone fecimus mentionẽ, uideamus quis ipse Latro sit qui in cruce domino constituto non solum peccatorum suorum ueniã consequitur, sed etiã paradisi amœnitate donatur: ut qui propter scelera damnatus fuerat ad pœnam, propter fidem transferretur ad gloriam, fueritq; illi crux quam pertulit, non tam supplicij damnatio, quàm salutis occasio. In cruce enim positus Christum dominũ nostrum credidit crucifixum. Et ideo qui consortio passionis utitur, consortio paradisi cõdonatur. Beatus enim Latro dum supplicium patitur, regnum cœleste consequitur. Ecce reus dicitur, sicut cui damnari ad tempus expediuit. Non enim perueniret ad gloriã, si non contraditus esset ad pœnam. Videamus inquam cur tantorũ criminum reus, tam cito à saluatore paradisum promeretur, cũ alij multorum temporũ lachrymis frequentibusq; ieiunijs uix delictorum suorũ ueniã consequantur. Magna fratres & multiplex causa est. Primũ, quod iste Latro deuotione fidei tam repente mutatus est, ut præsentem pœnam despiceret, ac de futura ueniã precaretur, & magis crederet utile sibi esse de æterno iudicio petere, quã de temporali supplicio postulare. Reminiscens enim scelerum suorum, & pœnitudinem gerens, plus incipit dolere quod sperat, quàm sentire quod patitur. potuit enim nisi de futuris amplius cogitasset, qui in Christum semel crediderat, de præsenti magis supplicio deprecari. Deinde illud ad gratiam eius maioris est meriti, quòd Christum in cruce positum credidit: & passio quæ alijs scandalum fecit, illi ad fidem profecit. Crucis enim passio multis scandalum fuit, sicut dicit Apostolus: Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Rectè ergo meretur paradisum, qui crucem Christi non putauit esse scandalum, sed uirtutem. Dicit enim idem Apostolus: Ipsis uocatis Iudæis Christũ dei uirtutẽ, & dei sapientiam. Rectè plane & dominus huic donat paradisum, quia quem Iudas Scarioth in hortulo paradisi distraxerat, hic in crucis patibulo confitetur. Mira res: cõfitetur latro, quẽ discipulus abnegauit. Mira inquã res: latro honorificat patientẽ, quem Iudas prodidit osculantem. Ab hoc pacis blandimenta uenduntur, ab illo crucis uulnera prædicantur. Ait enim: Memento mei domine cũ ueneris in regno tuo. Hæc est fidei plena deuotio, ut cũ de uulneribus domini profluens sanguis cernitur, tunc de potestate eius uenia postuletur: cũ uidetur eius humilitas, tunc magis timeatur eius diuinitas: cũ morti addictus putatur, tunc regis illi honorificentia deferatur. Iste enim fidelis Latro nõ credidit moriturum quem annunciat regnaturum: non putat subdendũ inferis, quẽ dominaturum confitetur in cœlo: non arbitratur eum apud tartarum detineri, à quo se etiam postulat liberari. Cernat licet eius hiantia uulnera, spectet ipsius sanguinem profluentẽ, deum tamen credit quẽ reum nescit, iustum fatetur quem nõ meminit peccatorem. Ait enim illi alteri exprobranti latroni: Nos quidem rectè digna factis recipimus, hic autem nihil mali gessit. Intellexit enim quòd pro alienis peccatis has plagas susciperet, pro alienis sceleribus hæc uulnera sustineret: & sciuit quòd illa in corpore Christi uulnera nõ essent Christi uulnera, sed latronis: atq; ideo plus amare cœpit postquàm in corpore eius sua uulnera recognouit. Ait enim propheta: Quoniã ipse infirmitates nostras portat, & pro nobis dolet: Nos autem existimabamus eum esse in dolore, liuore eius nos sanati sumus. Plus ergo in cruce positus, liuorẽ eius cernens Latro dilígit deum. Mira res, plus in cruce Latro Christũ dilígit, quàm Iudas dilexit in cœna. Ille per cibum supplantat magistrum: hic credidit dominum per dolorẽ, sicut ait propheta: Qui edebat panes meos, adamplíauit aduersum me supplantationẽ. Cognouit igitur hic Latro omnẽ dei passionem ex ipsius fieri uolũtate, & in potestate eius esse uel morti animam tradere, uel ad uitam iterum remeare, sicut ipse ait: Potestatem habeo ponendi animam meam, & *Luc.23* *Esaie.53* *Psalm.40*

Ioan. 10 potestatem habeo iterum sumendi eam. Vsq; adeo autem illum liberum ab inferni legibus iudicauit, ut etiam se ab his posceret liberari.

Item de eodem sancto Latrone. Sermo XLV

Sermo beati Maximi Episcopi.

Eminit fratres uestra dilectio me dedisse rationem cur tantorum criminum
M inueteratus latro, & scelerum suorum confessione damnatus, paradisum in
ipso supplicij patibulo potuerit promereri, & tanta fuerit celeritate saluatus,
ut peccata eius gratia præuenerit antequam pœna, & prius in malis suis gloriari cœperit, quàm puniri. Non enim patitur supplicium, dum paradisum promeretur. Petro dici-
Ioann. 13 tur à Christo: Non potes me modo sequi, sequêris postea. Et huic dicitur: Hodie mecum
Luc. 23 eris in paradiso. Tanquam discipulus ille differtur, & hic tãquam socius inuitatur. Ille ad
huc reseruatur ad præmium, etiam ad consortium iste deligitur. Non potes, inquit, me
modo sequi. Impossibile est Petro sequi dominum, etiam facile latroni est esse cum domino. Hodie mecum eris in paradiso. Non in aliud differtur tempus, non in diem alteram reseruatur. Ipsa hora qua paradisus deum suscepit, suscepit & latronem: unus passus
est pro salute cunctorum, & duobus pariter immortalitatis ianua reseratur. Sed hanc
tantam gloriam latroni fides præstitit. Fides enim est quæ peccata cooperit, quæ uincit
crimina, quæ facit de latronibus innocentes, quamuis enim delinquentium grandis cul
pa sit, fidei tamen maior est gratia. Plus enim credidisse Christo, quàm seculo deliquisse,
& plenioris est meriti ueniam speraſſe de domino, quàm culpam contraxisse de mundo. Sicut enim perfidia criminosum fecit: ita fides perfecit innocentem. Deniq; Iudas po
steaquam fidem perdidit, innocẽtiam apostolatus amisit: omnium enim criminum reus
factus est, posteaquam uirtutum omnium dominum denegauit. Sicut ergo sufficit isti
ad scelera deseruisse Christum: ita illi sufficit ad innocentiam domino credidisse. Facit igitur & fides innocẽtes latrones, & perfidia apostolos criminosos. Magna igitur & per
fecta fides in illo Latrone fuit. Magna plane est & admirabilis fides quæ Christum crucei
fixum glorificari magis credidit quàm puniri. In hoc enim totius forma salutis est: Salua
torẽ tunc maiestatis dominũ recognoscit, cum uidetur humilitatis patiẽtia cruciari. Vn-
1. Corin. 2 de ait Apostolus: Si cognouissent, nunquam dominum maiestatis crucifixissent. Hęc in
quam perfecta fides est, Christum in cruce deum nõ reum credere. Vnde ille Latro iusti
ficatus est, quia saluatore in patibulo constituto, Iudæis insultantibus, & uel criminosa
Matth. 27 dicentibus, Libera teipsum si potes: ille certus de diuinitate eius, & securus de uoluntate se magis postulat liberari. Magna inquã fides in illo Latrone fuit, & sanctis Apostolis
comparanda, nisi quòd & forte præcesserit: præcessit etenim deuotione, qui præcessit
& prẽmio. Prior enim Latro ad paradisum quã Apostoli peruenerũt. Deniq; Petrus do
minum sequitur & iste comitatur. Dominus autem secundum fidem & meritum tribuit
& remunerationis obsequiũ. Omnes enim, sicut legimus, in passione saluatoris discipuli trepidarunt, omnes eum penè cum traderetur reliquerunt, factum est sicut scriptũ est:
Zacha. 13 Percutiam pastorẽ, & dispergentur oues gregis. Deniq; fidẽ Petrus nec admonitus po-
Matth. 26 tuit custodire, totiens lapsus est, quotiens ne laberetur admonitus. Et nisi modum quendam tertio denegandi ei dominus statuisset, forsitan sæpius interrogatus, sæpius abnegasset. Tantam enim trepidationẽ discipulis intulit passio saluatoris, ut quod apostolo
Christus ante prędixerat, ancilla destrueret, & magis pręualeret ostiaria ad perfidiam,
quã apostolus ad cautelam. Non bona ostiaria, quæ Petrũ ideo in domum sacerdotis includit, ut à fide saluatoris excludat. Male Adam induxit Eua, male Petrũ introduxit ancilla. Illa exclusit à paradiso, hæc exclusit à Christo. Illa persuasione sua uirum decepit,
hæc interrogatione sua apostolum circunscripsit. Illa ad præuaricandum Adam impulit, hæc Petrum compulit ad negãdum. Et idem sexus in utraq; ostiariæ officium gerens
aut excludit à uita, aut includit ad mortem.

De pœnitentia Petri apostoli, & ostiaria ancilla. Sermo XLVI

Iximus fratres quòd ad similitudinem Euæ Petrum ostiaria mulier quoq; de
D ceperit, & sicut Adam fœmina circunscripsit, ita & apostolum fœmina circumuenerit. Vsitatus enim ad decipiendum sexus est, fraudis suæ uasculum
in ostiaria diabolus recognouit: fideles uiros non nisi per mulierem oppugnare consueuit. Ibi Adam per Euam superat, hic Petrum uincit per ostiariã. Fuit enim, sicut legimus
in paradi-

in paradiſo delitiarum diabolus:nec defuit,ſicut intelligimus, in prætorio Iudæorum.Ibi immineba⁹ ſatanas ſerpens,hic Iudas coluber perurgebat. Eſt ergo eadem ſimilitudo deceptionis in Petro,quæ in Adam fuit:quoniam eadem eſt & ſimilitudo mandati. Accepit enim à domino uterq; mandatū:Adam ne tangeret,apoſtolus ne negaret.Ille ne lignum ſcientiæ præſumeret, hic ne crucem ſapientiæ præteriret.Sed trāſgrediens uterq; præceptum pari modo delinquunt.Guſtat ille quod non licet, loquitur iſte quod nō decet:& tamē facilior negatio Petri,quàm Adæ præuaricatio. Citius enim apoſtolo quàm protoplaſto ſubuenitur. Hunc etenim deus ad ueſperū requirit errantē,illum dominus pullorū cantu denegantē.Adam reus facti nudus erubuit, Petrus conſcius dilecti correptus ingemuit.Ille tanquàm deprehēſus feſtinat ad latebras,hic tanquā emēdatus prorūpit ad lachrymas. Velut latenti enim & celanti ſe à diuinitate Adæ dicitur, Adā ubi es? *Geneſ.3* Non quòd Adā conſpectum domini latere potuerit:ſed quòd peccatrici cōſcientiæ nullus locus tutus uel certus ſit,dum metuit deprehendi. Reſpexit dominus,& apertis oculis eius emendauit errorē.Rectè oculis emendat,quia ſcriptū eſt: Oculi domini ſuper iuſtos,& aures eius in preces eorū. *Pſalm.33* Ergo Petrus prorupit ad lachrymas,nihil uoce precatus.Inuenio enim quod fleuerit,non inuenio quid dixerit.Lachrymas eius lego,ſatisfactionem non lego. *Vide Ambroſiū in Lucam.* Recte plane Petrus fleuit & tacuit,quia quod defleri ſolet, non ſolet excuſari:& quod defendi nō poteſt,abluí poteſt. Lauat enim lachryma delictum,quod uoce pudor eſt confiteri.Lachrymæ ergo uerecundiæ cōſulunt pariter & ſaluti, nec erubeſcunt in petendo,& impetrant in rogando.Lachrymæ inquam tacitæ quodammodo preces ſunt,ueniam non poſtulant,& merētur:cauſſam non dicunt, & miſericordiā conſequuntur,niſi quòd utiliores lachrymarum preces ſunt quàm ſermonum,quia ſermo in precando forte fallit,lachryma omnino non fallit.Sermo enim interdū non totū profert negotium,lachryma ſemper totum prodit affectū. Et ideo Petrus iam non utitur ſermone quo fefellerat,quo peccauerat,quo fidem amiſerat, ne per id ei nō credatur ad confitendum quo uſus fuerat ad negandum, ac per hoc mauult & cauſſam ſuā flere quàm dicere,& quod uoce negauerat,lachrymis cōfiteri.Inuenio autem & aliud cur tacuerit Petrus,ne tam cito ueniæ poſtulatio per impudentiā plus offenderet quàm impetraret. Solet enim citius mereri indulgentiam qui uerecūdius deprecatur.In omni igitur culpa ante flendum eſt, ſic precandum.Scimus iam hoc exemplo quemadmodū noſtra peccata curemus. Ecce nihil nobis apoſtolus nocuit quod negauit, & plurimū profuit quòd emendauit. Denique imitemur eum dicentem alibi. Cum enim tertio interrogaretur à domino, Simon amas me? Reſpondit tertio: Domine, tu ſcis quia diligo te. Ait dominus:Paſce oues meas.Et hoc tertio, quod quidem dictum ad cōpenſationē prioris profecit erroris.Qui enim dominum tertio negauerat, tertio confitetur: & quotiens culpā delinquendo contraxerat,totiens gratiam diligendo conquirit. Videte ergo quantum fletus profuerit Petro:antequam fleret, lapſus eſt: poſteaquam fleuit,erectus eſt:& qui ante lachrymas præuaricator extitit,poſt lachrymas paſtor aſſumptus eſt:& alios regendos accepit,qui prius ſe ipſe non rexit. *Ioann.21*

De fide Petri Apoſtoli. Sermo LXVII

Maximi Epiſcopi.

A Struximus ſuperiore dominica ſanctum Petrum in ſaluatoris paſſione ſine erroribus profeciſſe, & poſteaquam negauit dominum deum, fuiſſe meliorem.Fidelior enim factus eſt poſtquam fidem ſe perdidiſſe defleuit,atq; ideo maiorem gratiam reperit quàm amiſit.Tanquam bonus enim paſtor tuendum gregem accepit,ut qui ſibi antè infirmus fuerat,fieret omnibus firmamentum:& qui ipſe interrogationis tentatione nutauerat, cæteros fidei ſtabilitate fundaret. Denicq; pro ſolliditate deuotionis eccleſiarum petra dicitur,ſicut ait dominus: Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meā. *Matth.16* Petra enim dicitur, eò quòd primus in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagē molemq; contineat.Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur,& petra pro uirtute dominus nuncupatur,ſicut ait Apoſtolus:Bibebant autē de ſpirituali conſequenti eos petra. *1.Cor.10* Petra autem erat Chriſtus.Recte cōſortium meretur nominis, qui conſortium meretur & operis.In eadem enim domo Petrus fundamentum poſuit, Petrus plantat:dominus incrementū dat,dominus irriguū ſubminiſtrat. Petrus enim tentationibus ſuis proficit,

fletibus suis gaudet, periculis suis crescit. Sic nanq; in mari dum super undas temerarius uiator ingreditur, nutat incessu, sed cõualescit affectu, periclitatur corpore, sed deuotione nõ labitur, mergitur pedibus, sed Christi dextera sustentatur. sustentat fides quẽ unda mergebat: & quẽ fluctuũ procella turbabat, saluatoris dilectio cõfirmabat. Ambulauit enim in mari Petrus magis dilectione quã pedibus. Nõ enim uidebat ubi pedũ uestigiũ poneret, uidebat autẽ ubi figeret uestigiũ charitatis. In naui enim positus cõsiderat dominũ, & amore eius ductus descendit in mare, nõ cogitat labentes aquas, nõ fluenta current ia: & dum Christũ respicit, nõ respicit elementũ. Credit fide etiã inter undas solidum inuenire uestigium, iactetur licet fluctibus mare, uentis pelagus cõturbetur, non tamen
Ioann. 21 turbatur Petri semita, quę ducit ad dominum. Ambulat igitur super aquas Petrus, & sub
Exod. 14 pedibus eius mollis unda nõ cedit. Legimus in Veteri testamento filios Israel per mare rubrũ siccis itineribus ambulasse, & ad securitatẽ gradientiũ, ne laberetur unda, in solidi tatem qandã eam fuisse mutatã. Quanto hoc melius ubi ambulante Petro nec mutatur unda, nec labitur, nec solidatur aqua, nec refugit? Melius inquã est, ubi eadẽ unda quæ fluctuat, & sustẽtat: ubi idẽ gurges qui mergitur, & famulatur. Illic ut portaretur per mare populus Israel, meatũ suũ natura perdiderat: hic portat̃ in aquis Petrus, & cursum suũ fluenta non perdunt. Temerarius ergo uiator Apostolus noui itineris uiã carpit, modo curuati gurgitis molẽ ascẽdit, modo subsidẽtis sinus undã descẽdit, & inter marinos fluctus ascensus illi itineris descensusq; nõ deest: sed ubi turbatus uentis, exagitatus procellis incipit timere quod credidit, statim ei gurges subtrahitur, unda subducitur, mox defatiscente fide fatiscit semita, tũc exclamãs dominũ Iesum, saluũ se fieri deprecatur: quẽ ap
Matth. 14 prehẽsum manu saluator liberat, & obiurgat dicẽs: Modicæ fidei, quare dubitasti? Hoc est, cur tam paruæ fidei es, ut qui credẽdo mare ambulare cœperas, nõ id perseuerando
Matth. 10. & 24 transires? Scriptũ est enim: Qui perseuerauerit usq; in finẽ, hic saluus erit. Sed dum cunctaris & dubitas, iter quod ingressus fueras, perdidisti. Cur inquã tam modicę fidei es, ut nõ ea fide qua uenire cœperas, peruenires? Intellige ergo quia in mari credulitas te portabat, perfidia summergebat. Igitur fatres sanctus Petrus dum fluctuat, dum mergitur, dum periclitatur, sic peruenit ad dominum, ostendens nobis quod non nisi per pericula properatur ad Christũ. Multi enim diabolici fluctus sunt in hoc mũdo, tentationũ multa naufragia, à quibus ita liberari possumus, si clamantibus manũ suã saluator extenderit. Nos ergo clamare ad dominum non cessemus, ille auxilium solitum non negabit.

De sepultura domini. Sermo XLVIII

Eiusdem Maximi Episcopi.

H Esterna die satis accepisse uos credo fratres dilecti tractatibus domini & fratris nostri præsentis episcopi, qui tanta facundia res diuinas disseruit, ut prædicatio eius plena fuerit sacerdotij gratia, oratoris eloquentia, institutione doctoris. Nec mirum si is qui in pontificio primatus honorẽ obtinet, obtineat etiam in prædicando primatus eloquium, & uirtutes dei quas sancti pectoris arcano depromit, fœcundi sermonis oratione commendet, atq; ideo paruitatem meam scio auribus uestris minus solito placituram. Quis enim contentus sit potare de riuulo, cum possit haurire de fonte? Terra enim aquarum tenuem rorem omnino non suscipit posteaquã eam largus pluuiarum imber infuderit. Sic igitur uestra dilectio inundata sancti sacerdotis eloquio, sermonis mei patietur uile fastidium. Quamuis enim doctus uir, quamuis diserus orator, elinguis uidebitur si cœperit loqui præsente meliore, sed tamen habet solatium suum ista confusio. Nihil enim ruboris est comparatione summi sacerdotis displicere minimum sacerdotem, præsertim cum iuuare me possit beatorum insigne consortium. Si enim Dauid unius societate sancti alterum sanctum fieri posse promat dicens:
Psalm. 17 Cum sancto sanctus eris: cur ego me, quamuis imperitum, quamuis peccatorem, nõ putem fieri posse prædicatorem uirtutũ domini tantorum consortio magistrorum? Igitur quoniam beatissimus frater noster sanctorum Apostolorum laudes magno est prosecutus eloquio, debemus & nos ipsius sepulturã domini prędicare: ut quia unius corporis membra uidemus similibus obsequijs procurata, similibus quoq; integrum corpus prædicationibus exornetur. Videamus ergo de domini corpore postea quàm de cruce de-
Luc. 23 ponitur, quid geratur. Accepit illud Ioseph ab Arimathia uir iustus, sicut ait Euãgelista,
Ioann. 19 & in nouo suo sepeliuit monumento, in quo nondum quisquam positus erat. Beatũ ergo corpus

go corpus domini Christi, quod cùm nascitur, utero uirginis gignitur: cùm recedit, iusti tumulo commendatur. Beatum plane corpus, quod uirginitas peperit, & iustitia custodiuit. Custodiuit illud Ioseph tumulus incorruptum, sicut seruauit illud Mariæ uterus illibatum. Hic enim uiri pollutione non tangitur, ibi mortis corruptione non lædítur. Vbiq; beato corpori defertur sanctitas, ubiq; uirginitas. purus illud uenter cõcipit, nouus tumulus includit. Dominica ergo & uirgo uulua, & uirgo est sepultura. Quin potius ipsam sepulturam uuluam dixerim. est enim similitudo nõ parua. Sicut enim dominus de matris uulua uiuus exiuit, & de Ioseph uiuus sepultura surrexit: & sicut tunc de utero ad prædicandum natus est, ita & nunc ad Euangelizandum renatus est de sepulchro: nisi quod glorioſior ista est quàm illa natiuitas. Illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale. Post illam natiuitatem ad inferos descenditur, post hanc remeatur ad cœlos Religioſior plane ista est quàm illa natiuitas. Illa enim totius mundi dominum nouem mensibus in utero clausum tenuit, hæc autem triduo tantum tumuli gremio custodiuit. Illa cunctorum spem tardius protulit, hæc omnium salutem citius suscitauit.

De accusato domino apud Pilatum, & de Susanna. Sermo XLIX.

Maximi Episcopi.

MIrum forsitan uideatur uobis fratres, cur dominus apud præsidem Pilatum à principibus sacerdotum accusetur, & taceat, nec nequitiam eorũ sua responsione conuincat, cùm uticq; ingestam accusationem non nisi refellere soleat subsecuta defensio. Mirum inquam sit fratres, quod arguatur saluator, & taceat. Tacitur nitas enim interdum pro consensu habetur. Videtur nanq; confirmare quod obijcitur, cùm non uult respondere quod quæritur. Accusationem ergo suam dominus tacendo confirmat? Non plane accusationem suam tacendo confirmat, sed despicit non refellendo. Bene enim tacet, qui defensione nõ indiget. Ambiat defendi, qui metuit superari: festinet loqui qui timet uinci. Christus autem cum cõdemnatur, & superat: cùm iudicatur, & uincit: sicut ait Propheta: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cùm iudicaris. *Psalm. 50* Quid ergo opus erat ei loqui ante iudicium, cui ipsum iudicii erat plena uictoria? Vincit enim cùm iudicat Christus, quia sic innocẽs approbatur. Vnde ait Pilatus: Innocens ego sum à sanguine huius iusti. Melior est igitur causa quæ non defenditur, & probatur: plenior iustitia est, quę nõ uerbis adstruitur, sed ueritate fulcitur. Taceat lingua necesse est, ubi ipsa æquitas sibi adest. Taceat lingua in bono negocio, quia & malas causas obtinere consueuit. Nolo sic defendi iustitiã, sicut solet iniquitas excusari. Quod uincit Christus, non orationis est, sed uirtutis. Scit enim saluator, qui est sapientia, quomodo tacendo uinceret, quomodo non respondendo superaret, atq; ideo causam suã mauult cõprobare quàm dicere. Quæ enim res illum compelleret ad loquendum, cum silentium satis sufficeret ad uincẽdum? Sed fortasse metus eum cogeret, ne salutem perderet, nisi quòd ipsa erat tota causa uictoriæ. Suam enim salutem perdidit, ut salutem omniũ lucraretur. In se uinci maluit, ut uictor esset in cunctis. Sed quid de Christo loquar? Susanna mulier inimicos suos tacuit, & uicit. Non enim apud Danielem iudicem uerborũ se ratione defendit, non patrocinij sermone tutata est: sed in sancta fœmina tacente lingua pro ea castitas loquebatur. Castitas enim Susannæ affuit in iudicio, quæ eam defendit & in paradiso. Ibi enim pudori eius cõsuluit, hic saluti. ibi ne macularet pudicitia, hic ne innocentia damnaretur. Castitas ergo Susannæ & presbyteros & impudicos conuicit in paradiso, & in iudicio falsos accusatores obtinuit: Biscq; uictrix reos facit testimonij, quos reos fecerat adulterij, atq; tandem iudicem meretur castitas Danielem puerũ iuniorem necdum pubescentis ætatis. Multum igitur de deo pudicitia consequitur, cum iudicem uirginem promeretur. Secura enim est de uictoria castitas, cui est iudicatura uirginitas. Pudicitiæ autem causam nisi uir pudicus audire non debuit. talem enim arbitrum meretur castimonia, apud quem non periclitetur uerecundia. Cognito igitur Daniel Susannæ negocio, cùm eam falsis accusationibus uellet plebs imperita damnare, ait idem: Mundus ego sum à sanguine huius. Quo dicto peccantis populi reuocauit errorem. Hac ergo uoce circa Susannam Daniel utitur, qua circa dominum usus est & Pilatus. Ait enim Pilatus: Mundus ego sum à sanguine huius iusti. Eadem igitur sententia soluitur pudicitia, qua est absoluta iustitia: sed Daniel melius quàm Pilatus. Ille enim pudicũ sanguinẽ non condemnat, sed liberat: hic autem iustum sanguinem & confitetur, & tradit. Quid

Vide Ambrosiũ in Lucæ ca. 23. circa principium.

Matth. 27

Daniel. 13

Ibidem

Matth. 27

enim profuit testimonium perhibuisse innocētiæ, & uelut reum addixisse nequitiæ: nisi quod grauius peccatum est, unum eundemq; & pronunciare iustum, & tradere crimi-
nosum? Ipse enim iniquitatis suæ testis est, qui ore absoluit, & corde condemnat. Lauerit licet manus suas Pilatus, tamen sua facta non diluit: Et quanuis abstergere se putauerit iusti sanguinem de suis membris, eo tamen sanguine mens eius tenetur infecta. Ipse enim occidit Christum, qui eum tradidit occidendum. Iudex enim constans & bonus, ne sanguinem innocentis addiceret: nec inuidiæ cedere debuit, nec timori. Daniel ergo melius quàm Pilatus. Ille peccantis populi reuocauit errorem, hic autem furentis synagogæ sacrilegium confirmauit.

Sermo L.

Item de eodem.

Maximi Episcopi.

A Nte dies prosecuti sumus sanctæ Susannæ iudicium simile admodum fuisse iudicio saluatoris, & ijsdē criminationibus laborasse memoratæ castitatem fœminæ, quibus Christi laborauit integritas. Similiter enim persecutores in Susanna passa est pudicitia, sicut & in Christo passa est iustitia. Illa enim dum in adulterio conuincit presbyteros, ipsa tanquam adultera retinetur: hic dum in sacrilegio arguit Pharisæos, ipse tanquam sacrilegus accusatur. Quod quidem sacrilegium in Pharisæis maius adulterium uocari potest. Grauius est enim religionis adulterum esse quàm corporis: & plus est integritatem diuinitatis lædere, quàm integritatem hominis uiolare. Condemnatur ergo Susanna, condemnatur & dominus. Illa, quia castitatē corporis tuebatur: hic, quia religionis castimoniā defendebat. Similis igitur erat in utroq; causa iudicij, nisi quòd meliore usa est iudice Susanna quàm dominus. Hunc enim præses iudicat, hanc propheta. Hunc audit uir qui Pharisæorū seditionibus terrebatur, hanc audit puer qui sancto spiritu replebatur. Iste quod sentit, constanter pronunciat, non defendit. Susannæ enim iudex quam absoluit, & liberat: domini cognitor quem absoluit, damnat & tradit. Simile ergo fuit penè per omnia Susannæ dominiq; iudicium. Siquidem nec accusatio in ijs fuerit ipsa dissimilis. Susannam enim seniores deferunt, dominum Iudas accusat. Illam doctores sui, hunc discipulus proprius criminatur. Susannam inquam pseudopresbyteri arguunt, prodit pseudoepiscopus saluatorem. Episcopus enim & Iudas

Psalm. 108

fuit, sicut ait Propheta de eodem dicens: Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter. Sed nec locus fratres in utraq; causa uidetur esse dissimilis. Susanna enim in paradiso ab accusatoribus circumuenitur, dominus in horti paradiso à traditoribus circundatur. Illa ibi insidiatores patitur, iste hic sustinet proditorem. Videamus autem exitum utriusq; iudicij. Susannæ accusatores tanquam falsi testes prophetica sententia feriuntur, & eiusdem criminis puniuntur rei, cuius damnare innocentis sanguinem gestiebant. Domini autem traditorem non inuenio à iudice esse damnatum. Non enim damnat eum Pilatus, nō damnat populus: sed quod est grauius, se ipse condemnat, & cessante iustitia iudicatur. Quem enim alter iudicat, potest utcūq; esse excusabilis: reus autem sine excusatione est, qui conscientiæ suæ iudicio condemnatur. Quem alter iudicat, potest quandoq; à suo iudice sperare indulgentiam: qui se ipse iudicat, à quo indulgentiam

Matth. 27

postulabit? Referens enim Iudas dominici sanguinis precium, ait Iudæis: Peccaui, quòd tradiderim sanguinem innocentem. Magnum igitur dominicę innocētiæ testimonium est dum accusator eius & confitetur de scelere, & reus est de mercede. Dum enim miser refudit uenditionis precium, putat se facinoris sui soluere posse cōtractum. Sed nec iste absoluitur. Dum enim author uenditionis suæ reus est, constat istos sceleratum cum sacrilego iniisse contractum. Sua ergo sententia Iudas proditor condemnatur. Mirum forte sit uobis quòd non eum populus iudicauerit, non præses addixerit. Hoc sacrilegi solet esse iudicium, ut impietatem suam ipse dum recordatur, & puniat: scelus suum dum recognoscit, & uindicet. Omnium enim supergreditur sententias qui à sua conscientia, sua sententia condemnatur. Hoc inquam sacrilegi solet esse iudicium, ut conscius

Ad Titum. 3

facti ipse se damnet, sicut ait Apostolus Paulus de hæretico dicens: Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit proprio iudicio cōdemnatus. Ipse enim se damnat hæreticus, cum de Ecclesia ipse se proijcit, & de cœtu sanctorum nullo compellente procedit. Ipse enim ostendit quid mereatur à cunctis, qui suo iudicio separatur à cunctis. Ipse inquam

se

se damnat hæreticus, quia cùm omnes crimínosi, episcopi sententia proiiciantur de con sortio Christiano, hæreticus cuncta præueniens sententia suæ uoluntatis abiicitur. Tali ergo hæreticus quali & Iudas pœna damnatur: ut idem sui & reus sit sceleris, & iudex sit ultionis. Tali inquam hæreticus quali & Iudas pœna damnatur, nec immerito, quia dominum quem ille uendidit, iste blasphemat: quem ille persecutoribus tradidit, quotidie iste persequitur. Persequitur enim hæreticus dominum, cùm diuinitatem ei derogat, & asserit creaturam.

De Iuda Scarioth. Sermo LI

R Etinet dilectio uestra nos hoc proxima dominica prædicasse, quòd Iudas Scharioth propria sententia condemnatus, ad Pharisæos dominici mercedem sanguinis reportarit, & actus pœnitentia refuderit uenditionis precium, sed conscientiæ suæ non resoluerit scelus. Denique post redditum precium laqueo se suspẽdit, ut qui se mulctauerat pecunia, mulctaret & uita. Intelligens enim quantum scelus admiserit, non suffecit ei sacrilegij carere mercede, nisi careret & salute. Dignum enim se morte iudicauit, quòd Christum uitam omnium tradidisset. Seueríssimus igitur iudex sui Iudas, uel in ulciscendo confitetur, quem negauerat in tradendo. Restituit ergo pecuniam Pharisæis, sed nec Pharisæi eam libenter accipiunt. Dicunt enim illicitum sibi esse in suis eam habere thesauris. Videte igitur quanta uis dominicæ sit pecuniæ, quam inde Iudas reiecit, hinc Pharisæi in loculos non recludunt. Iusti enim sanguinis precium pertimescit iniquitas possidere: consilium tamen ineunt Pharisæi, ut ex eo ager figuli comparetur, in quo peregrinorum corpora collocentur. Quod quidem prouidentia factum puto, ut precium saluatoris non peccatoribus sumptum præbeat, sed peregrinis requiem subministret: non sacrilegis sit ad luxum, sed defunctis sit ad sepulchrum, ut iam exinde Christus & uiuos sanguinis sui passione redimat, & mortuos preciosa passione suscipiat. Precio ergo dominici sanguinis ager figuli comparatur. Legimus in scripturis quod totius generis humani salus redempta sit sanguine saluatoris, sicut ait Apostolus Petrus: Non enim redempti estis corruptibilibus auro uel argento, sed precioso sanguine agni incontaminati & immaculati Iesu Christi. Igitur si precium uitæ nostræ sanguis est domini, uide ergo quia illo non tam redempta sit agri terrena fragilitas, quàm totius mundi incolumitas sempiterna. Ait enim Euangelista: Non enim uenit Christus ut iudicet mundũ, sed ut saluetur mundus per ipsum. Vide inquam ne pecunia illa non tam comparati sit agri parua portio, quàm totius mũdi copiosa possessio, sicut ait Dauid propheta: Postula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Ager ergo iste mundus hic totus est, in quo nos dispersi & dissẽminati domino fructum boni operis germinamus. Sed fortasse perquiras à me, si ager mundus est, quisnam sit figulus qui mundi possit habere dominatum? Nisi fallor, ipse est figulus qui uascula corporis nostri fecit è limo, de quo dicit scriptura: Et fecit deus hominem de limo terræ. Ipse est figulus qui carnium nostrarũ cœnosum lutum uapore sui spiritus animauit, & materiem fluidam atq; terrenam igneo calore decoxit. Ipse inquam est figulus qui nos per manus suas formauit ad uitam, per Christum suum reformauit ad gloriam, sicut ait Apostolus: Ad eãdem imaginẽ reformamur de gloria in gloriam: scilicet ut qui à priore factura propriis uitijs corruimus, in secunda natiuitate figuli huius misericordia reparemur, hoc est qui per Adæ transgressionem in mortẽ cecidimus, per saluatoris gratiã denuo resurgamus. Ipse plane est figulus, de quo dicit beatus Apostolus: Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, cur me fecisti sic? Et iterum: Nunquid non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem uas in honorem, aliud uerò in cõtumeliã? Ex eodẽ enim luto corporis nostri deus pro meritis singulorum alios reseruat ad pœnam, alios ad gloriã. Istius itaq; figuli ager Christi sanguine emptus est peregrinis. Peregrinis inquam qui erant sine domo, sine patria, & toto orbe exules iactabantur, requies Christi sanguine prouidetur, ut quibus non est in mundo possessio, ijs in Christo sit sepultura. Istos autem peregrinos quos esse dicimus, nisi deuotissimos Christianos, qui renunciantes seculo, & nihil possidentes in mundo, in Christi sanguine requiescunt? Christianus enim qui mundum non possidet, hic totum possidet saluatorem. Ideo autem peregrinis Christi sepultura promittitur: ut qui se à carnalibus uitijs

Matth. 27

1. Petr. 1

Ioann. 3

Psalm. 2

Genes. 2

2. Cor. 3

Esaiæ 45 Rom. 9

uitijs tanquam peregrinum,& alienum cuſtodierit,is Chriſti requiem mereatur. Sepultura enim Chriſti quid eſt aliud,niſi requies Chriſtiani? Nos ergo peregrini in hoc mun
2.Cor.5 do ſumus,et tanquam hoſpites in hac luce uerſamur,ſicut ait Apoſtolus dicens:Etenim dum ſumus in hoc corpore,peregrinamur à domino.Peregrini inquam ſumus,& nobis
Coloſ.2 ſaluatoris ſanguinis precio empta eſt ſepultura. Conſepulti enim ſumus, ſicut ait Apoſtolus,cum illo per baptiſmum in mortem. Baptiſmum igitur Chriſti nobis eſt ſepultura,in quo peccatis morimur,criminibus ſepelimur, & ueteris hominis conſcientia reſoluta,in alteram natiuitatẽ rediuiua infantia reparamur. Baptiſmum inquam ſaluatoris nobis eſt ſepultura,quia & ibi perdimus antè quod uiximus, & ibi denuo accipimus ut uiuamus.Magna igitur ſepulturæ huius eſt gratia,in qua nobis & utilis mors infertur,et uita utilior condonatur.Magna inquam huius gratia ſepulturæ,quæ & purificat peccatorem,& uiuificat morientem.

De die ſancto Paſchæ. Sermo LII

Maximi Epiſcopi. ON immerito fratres hodierna die Pſalmus hic legitur,in quo Propheta exultandum præcipit & lætandum. Omnes enim creaturas ad huius diei feſtiuitatem Dauid ſanctus inuitat.Nam in hac die per reſurrectionem Chriſti aperitur tartarus, per Neophytos Eccleſiæ innouatur terra, cœlum per ſpiritum ſanctum reſeratur.Apertus enim tartarus reddit mortuos, innouata terra germinat reſurgẽtes, cœlum reſeratum ſuſcipit aſcendentes. Denicꝙ aſcendit latro in paradiſum, ſanctorum corpora ingrediuntur in ſanctam ciuitatem: ad uiuos mortui reuertuntur, & profectu quodam in reſurrectione Chriſti ad altiora cuncta elementa ſe tollũt. Tartarus quos habet,reddit ad ſuperos:terra quos ſepelit,mittit ad cœlũ: cœlũ quos ſuſcipit, repreſentat ad dominum.Et una eademꝙ operatione ſaluatoris paſſio eleuat de imis,ſuſcitat de terenis,collocat in excelſis.Reſurrectio enim Chriſti defunctis eſt uita,peccatorib.uenia, ſanctis eſt gloria.Omnem ergo creaturam ad feſtiuitatem reſurrectionis Chriſti Dauid
Pſalm.117 ſanctus inuitat.Ait enim exultandum in hoc die quem fecit dominus & lætandum.Sed dicit aliquis.Si in hoc die gratulãdum eſt, ijs utiꝙ gratulandũ eſt,quos dies ipſe complectitur.Cœlum autem & tartarus extra huius mũdi diẽ ſunt cõſtituta. Quomodo igitur poſſunt ea elementa ad feſtiuitatem huius diei uocari,quæ huius diei ambitu non tenentur? Sed hic dies quem fecit dominus,penetrat omnia,uniuerſa continet,cœlum & terram tartarumꝙ complectitur. Lux enim Chriſti nõ parietibus obſtruitur, non elementis diuiditur,non tenebris obſcuratur.Lux inquam Chriſti dies eſt ſine nocte,dies ſine fine,ubiꝙ ſplendet,ubiꝙ radiat,ubiꝙ non deficit.Quod autem iſte dies Chriſtus ſit,Apo
Rom.13 ſtolus dicit:Nox præceſſit,dies autem appropinquauit.Præceſſit,inquit,nox,non ſequitur:ut intelligas ſuperueniente Chriſti lumine, & diaboli tenebras effugari,& peccatorum obſcura non ſubſequi,& iugi ſplendore præteritas caligines depelli, ſurrepẽtia delicta prohiberi.Nam quia hic dies Chriſtus,cœlum,terram,tartarumꝙ colluſtret,ſcriptu-
Ioan.1 ra teſtatur.Quod enim ſuper terram fulgeat,dicit Ioannes:Erat lux uera, quæ illuminat
Eſa.9 omnem hominem uenientẽ in hunc mundũ.Quod in inferno luceat, ait propheta:Qui ſedebant in regione umbræ mortis,lux orta eſt illis. Quod in cœlis dies iſte permaneat,
Pſalm.88 refert Dauid dicens:Ponã in ſeculũ ſeculi ſemen eius,et ſedem eius ſicut dies cœli.Quis
Pſalm.18 autem eſt dies cœli,niſi Chriſtus dominus? de quo dicit per prophetã:Dies diei eructat uerbum.Ipſe eſt enim dies filius cui pater dies diuinitatis ſuæ eructat arcanum. Ipſe in-
Eccleſ.24 quam eſt dies qui ait per Salomonem:Ego feci ut oriretur in cœlo lumen indeficiens.Sicut ergo diem cœli nox omnino non ſequitur,ita & Chriſti iuſtitiam peccatorum tenebræ non ſequuntur.Semper enim dies cœli ſplendet,lucet, & fulget, neꝙ aliqua poteſt obſcuritate concludi:ita & lumen Chriſti ſemper micat, radiat,coruſcat, nec aliqua po-
Ioann.1 teſt delictorum caligine comprehendi. Vnde ait Euangeliſta Ioãnes: Et lux in tenebris lucet,& tenebræ eam non cõprehenderunt.In reſurrectione ergo Chriſti elementa omnia gloriãtur.Nam & Solem ipſum arbitror eſſe in hac die ſolito clariorem. Neceſſe eſt enim ut Sol in eius reſurrectione gaudeat,in cuius paſſione condoluit:& cuius mortem lugubri quadam caligine proſecutus eſt, eiuſdem uitam nitidioris lucis ſplendore ſuſcipiat:& tanquam bonus miniſter,ſicut tunc obſcuratus eſt ad exequias ſepulturæ,modo coruſcet in reſurrectionis obſequium.In paſſione enim Chriſti caliginũ ſe nocte circun-

dedit,

dedit,& Iudæorum facinus mũdo teste cõgemuit. Indiciũ enim quoddam doloris in sole est,tanto sceleri officium luminis denegasse,& ultione quadam Iudæorum oculis tenebras infudisse:ut quorũ mentem cęcitas inuaserat,eorũ oculos cęcitas occuparet,nec luceret eis mundi lumen,à quibus fuerat lumẽ salutis extinctũ. Dãnatio igitur quædam ingeritur Phariſæis,ut tenebras in die iudicij peccatorib. repromissas iam apud superos patiantur.Apud superos ergo crucifixo Christo immorant tenebræ.Quid mirũ si apud superos sunt tenebrę,cùm lux descendit ad inferos? Igit fratres omnes in hoc die sancto exultare debemus,nullus se à cõmuni lætitia peccatorum conscientia subtrahat, nullus à publicis uotis delictorum sarcina reuocetur.Etenim peccator in hoc die de indulgentia non debet desperare,est enim prærogatiua non parua. Si enim Latro paradisum meruit,cur non mereatur ueniam Christianus? Et si illius dominus cùm crucifigitur misereatur,multo magis huic miserebitur cùm resurgit.Et si passionis humilitas tantum præstitit confitenti,resurrectionis gloria quantum tribuet deprecanti? Largior enim ad præstandum solet esse,sicut ipsi scitis,læta uictoria,quàm addicta captiuitas.

De innouatione fidelium. Sermo LIII

M Agnum fratres & mirabile donum concessit nobis deus hunc paschæ salutarem diem, in quo resurgens dominus, resurrectionem præstitit uniuersis,& de imis ad altiora cõscendens,nos quoq; ad superiora de inferioribus in suo corpore subleuauit.Sumus enim secundum Apostolum omnes Christiani corpus Christi & membra. Resurgente igitur Christo omnia necessario cum eo sua uiscera surrexerunt.Dum enim ille ab inferis transit ad superos,nos de morte transire fecit ad uitam.Pascha enim Hebraicè,transitus dicitur uel profectus, scilicet quia per hoc mysterium de peioribus ad meliora transitur.Bonus transitus est trãsire de peccatis ad iustitiam,de uitijs ad uirtutes,ad infantiam de senectute.Infantiã autem dixerim non ætatis,sed simplicitatis.habent enim & merita ætates suas. In occiduis enim prius cõstituti eramus senio peccatorum,resurgente Christo renouati sumus innocẽtia paruulorum.Habet & Christiana simplicitas infantiam suam.Sicut enim infans nescit irasci,fraudare non nouit,referire non audet: ita & Christianitatis infantia lædentibus non irascitur, spoliantibus non resistit,cædentibus non repugnat. Deniq;,sicut iussit dominus, etiam orat pro inimicis,auferenti tunicam relinquit & pallium, uerberanti maxillam, præbet & alteram: nisi quod in hoc melior est Christi infantia quàm naturę.Illa em̃ peccare nescit,ista contemnit:illa per infirmitatẽ innoxia est,ista est innocens per uirtutem.Atq; ideo laudi magis scribendum est non tam malefacere non posse,quàm nolle.Ergo,sicut diximus, ætates quædam sunt meritorum, nam & senectus morum inuenitur in pueris, & innocentia infantum reperitur in senibus. Deniq; quod in iunioribus senectus quædam sit honestatis,dicit propheta:Senectus enim uenerabilis est nõ diuturna, nec numero annorum cõputata,cani sunt enim sensus hominis. Ad Apostolos aũt iam seniores & maiores natu dicit dominus: Nisi cõuersi fueritis, & efficiamini sicut puer iste,non introibitis in regnum cœlorũ.Reuocat igitur eos ad originis suæ fontẽ, & retrorsum ad infantiã redire cõpellit,scilicet ut qui corpore fragili senuerãt, innocentię moribus renascãtur,sicut ait saluator:Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto,nõ intrabit in regnum dei.Dicitur ergo Apostolis:Nisi cõuersi fueritis,& efficiamini sicut puer iste. non dicit, sicut pueri isti,sed sicut puer iste.unum eligit,unum proponit. Videamus igitur quis ille tantus sit,qui discipulis proponitur imitandus.Non hunc arbitror esse de plebe,non de publico,non de multitudine cæterorum,præcipue qui per Apostolos uniuerso mundo tribuit sanctitatis exemplum.Non inquam hunc de publico esse arbitror,sed de cœlo.ipse est enim de cœlo puer, de quo dicit Esaias propheta: Puer natus est nobis, filius datus est nobis. Ipse plane puer est, qui sicut innocens cùm malediceretur non remaledixit, cùm percuteretur non repercussit, quin potius in ipsa passione pro suis orauit inimicis dicens:Pater dimitte eis,nesciunt enim quid faciunt.Ita simplicitatem quam infantibus natura tribuit,dominus misericordiæ bonitate cumulabat.Iste ergo puer est,qui imitandus paruulis proponitur & sequendus.

Nam ipse dicit:Tolle crucem tuam,
& sequere me.

Matth.5 *Sapien.4* *Matth.18* *Ioann.3* *Matth.18* *Esa.9* *1.Petr.2* *Luc.23* *Matth.16*

Item

Item de innouatione fidelium. Sermo LIIII

R Etinet sanctitas uestra fratres me hoc nuperrime prædicasse, quòd homo in iuniorem ætatem per iustitiam reformetur, & quanuis fessus senio, rursus in puerum innocentiæ moribus renascatur, ita ut interueniente mysterio ex uetulis iterum uideamus infantes. Innouatio enim quędam est, desinere quod eras, assume re quod antè non fueras. Innouatio inquam est, unde & Neophyti nuncupantur, quòd nouitate quadam maculas uetustatis abiecerint, gratiam simplicitatis assumpserint, dicente Apostolo: Deponentes ueterem hominem cum actibus suis, induite nouum qui secundum deũ creatus est. Vnde & Dauid sanctus ait: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Intelligens per gratiam baptismi occidua uitæ nostræ posse reuiuiscere, & iuuentute quadam renouari posse id quod in nobis fuerat delictorũ uetustate collapsum. Vt autem intelligas quia de gratia baptismatis Propheta loquitur, innouationẽ ipsam aquilæ cõparauit, quæ auis assidua commutatione habitus sui longã ducere fertur ętatem, et uetustis iam fatiscentibus plumis noua pennarũ successione iuuenescere, ita ut depositis antiquitatis exuuijs, rediuiua indumentorũ natiuitate se uestiat. Vnde intelligimus quòd senectutẽ aquilæ non sentiũt membra, sed plumæ. De nouo ergo se uestit, & pullulantibus pennis uetusta mater iterum renouatur in pullum. Pullis enim tunc comparanda est, quando radiantibus plumis necesse est illi rursum meditari rudẽ uolatũ, & alarũ olim exercitata remigia, tanquam nouella uolucris intra nidũ pigra compescere. quamuis illi sit uolandi notitia de consuetudine, deest tamen illi de pennarũ raritate fiducia. De baptismatis igitur gratia hoc spiritus psalmographus prophetauit. Nam utiq; Neophyti nostri nuper baptizati, tanquam aquilæ depositis uetustatis exuuijs, noua sanctitatis indumenta sumpserunt, & fatiscentibus antiquis maculis sicut plumis leuibus, rediuiua gratia immortalitatis ornant, ita ut in his senectutis occidua peccata senuerint, uita nõ senuerit. Tanquã aquila in pullũ, sic illi in infantiã reuocati. Est eis seculi de cõuersatione notitia, sed adest illis iustitiæ de reparatiõe securitas. Quid igit̃ sanctus Dauid dicat, adhuc diligẽtius uideamus. Nõ enim ait, Renouabit̃ sicut aquilarũ, sed sicut aquilæ iuuentus tua. Vnius ergo aquilæ renouandã in nobis asserit iuuentutẽ, quam unã & solam aquilã recte Christum dominũ dixerim, cuius iuuẽtus renouata est tunc, cùm à mortuis resurrexit. Depositis eĩ corruptelæ corporalis exuuijs, rediuiua carnis assumptione refloruit, sicut ipse ait per Prophetã: Et refloruit caro mea, & ex uoluntate mea confitebor illi. Refloruit, inquit, caro mea. Videte quo uerbo usus est. non ait, floruit, sed reflo ruit. Non enim refloresçit, nisi quod ante floruerit. Floruit autem caro domini, cùm primum de Mariæ uirginis illibata uulua processit, sicut ait Esaias dicẽs: Exibit uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Refloruit autẽ cum succiso per Iudæos corporis flore, rediuiua de sepulchro resurrectionis gloria germinauit, & in floris modũ odorem pariter et nitorem, cunctis hominibus immortalitatis afflauit odorem, bonorũ operum suauitatem, circumferens nitorem, incorruptelam perpetuæ diuinitatis ostendens.

Psalm. 102 *Coloss.* 3 *Psalm.* 27 *Esa.* 13

De cruce Christi. Sermo LV

S Eculi ferunt fabulæ Vlyssem illum qui decennio marinis iactatus erroribus ad patriam peruenire non poterat, cùm in locum quendam cursus illum naui gij detulisset, in quo Sirenarum dulci cantus crudelis uarietate resonabat, & aduenientes sic blanda modulatione mulcebat, ut non tam spectaculum uoluptatis caperent, quàm naufragium salutis incurrerent. Talis enim erat illis oblectatio cantilenæ, ut quisquis audisset uocis sonitum, quasi quadam captus illecebra non iam tenderet ad eum quem uolebat portum, sed pergeret ad exitium quod nolebat. Igitur cùm Vlysses incidisset hoc dulce naufragium, & suauitatis illius uellet declinare periculum, dicitur inserta cera auribus sociorũ seipsum ad arborẽ nauigij religasse, quo & illi carerent pernicioſa auditus illecebra, & se de periculo nauigij cursus auferret. Si ergo de Vlysse illo refert fabula quod eum arboris religatio de periculo liberarit, quanto magis prædicandum est quod uere factum est, hoc est quod hodie omne genus hominum de mortis periculo crucis arbor eripuit? Ex quo enim Christus dominus religatus in cruce est: ex eo nos mundi illecebrosa discrimina uelut clausa aure transimus. Nec pernicioso enim seculi detinemur auditu, nec cursum melioris uitę deflectimus in scopulos uoluptatis.

tis. Crucis enim arbor non ſolum religatum ſibi hominẽ patriæ repræſentat, ſed etiam ſocios circa ſe poſitos uirtutis ſuæ umbra cuſtodit. Quod autẽ crux ad patriã poſt multos errores redire nos faciat, dominus declarat dicẽs Latroni in cruce poſito: Hodie mecum eris in paradiſo. Qui utiq; latro diu oberrans ac naufragus aliter ad patriã paradiſi, de qua primus homo exierat, redire nõ poterat, niſi fuiſſet arbori religatus. Arbor enim quædam in naui, eſt crux in Eccleſia, quæ inter totius ſeculi blanda & pernicioſa naufragia incolumis ſola ſeruatur. In hac ergo naui quiſquis aut arbori crucis ſe religauerit, aut aures ſuas ſcripturis diuinis clauſerit, dulcẽ procellã luxuriæ non timebit. Sirenarũ enim quædam ſuauis figura eſt mollis concupiſcentia uoluptatum, quæ noxijs blandimentis conſtantiã captæ mentis effœminat. Ergo dominus Chriſtus pependit in cruce, ut omne genus hominũ de mundi naufragio liberaret. Sed ut omittamus Vlyſſis fabulã, quæ ficta non facta eſt, uideamus ſi quod in ſcripturis diuinis exemplum ſimile poſſumus inuenire, quod dominus per ſemetipſum poſtea cõpleturus, per prophetas ſuos antè promiſerit. Legimus in Veteri teſtamento cũ Moyſes ſanctus filios Iſrael de captiuitate Aegypti produxiſſet, atq; idẽ populus in deſerto graui à ſerpentibus incurſione laboraret, nec aliqua illis armorũ defenſio poſſet obſiſtere, tunc ſanctũ Moyſen diuino repletũ ſpiritu, ſerpentẽ æreum affixum ligno inter medias morientiũ erexiſſe turbas, & mandaſſe populo ut de illo ſigno ſpẽ gererent ſanitatis: atq; hac re tantã medicinam contra morſum aſpidum proueniſſe, ut quiſquis uulneratus in illam ſerpentis crucem aut reſpiceret aut ſperaret, ſtatim remedium ſalutis acciperet. Cuius facti etiã dominus in Euangelio meminit dicens: Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filiũ hominis. Vnde ſi affixus ſerpens ligno filijs Iſrael contulit ſanitatem, quanto magis ſalutem præſtat populis dominus in patibulo crucifixus? Et ſi figura tantum profuit, quantum prodeſſe credimus ueritatẽ? Serpẽs igitur primus crucifigitur. Recte plane, ut quia primus apud deum peccauerat diabolus, primus crucis ſententia feriretur. In ligno enim crucifigitur, rationabiliter factum, ut quia homo in paradiſo per arborem concupiſcentiæ deceptus fuerat, nunc idem per ligni arborem ſaluaretur, atq; eadẽ materia quę cauſa mortis fuerat, eſſet remedium ſanitatis. Deinde poſt ſerpentem in ſaluatore homo ipſe crucifigitur, ſcilicet ut poſt authorem puniatur & facinus. Per primam enim crucem uindicatum eſt in ſerpentem, per ſecundam in uenena ſerpẽtis: hoc eſt, primùm author ipſe punitur, deinde eius malignitas condemnatur. Virus enim quod perſuaſione ſua in hominem transfuderat, nunc reijcitur, nũc curatur. Nam cùm homo paſſioni addicitur, nõ morti traditur, ſed mortis in eo facinus emẽdatur. Hoc enim egit dominus per hominem quẽ ſuſcepit, ut dũ innocens patitur: præuaricationis illius diabolicæ in eo inobedientia corrigatur, & deinceps liber à culpa fieret, ac liber eſſet à morte. Habẽtes igitur dominũ Ieſum, qui nos paſſione ſua liberauit, in ipſum aſpiciamus ſemper, & de ipſius ſigno ſperemus noſtris uulneribus medicinã, hoc eſt, Si forte nobis uenenum auaritiæ ſe diffundit, ipſum cõſideremus, & ſanat. Si ſcorpionis nos libido compungit, ipſum rogemus, & curat. Si terrenarum cogitationum nos morſus lacerant, eundẽ precemur, & uiuimus. Hi enim ſunt ſpirituales ſerpentes animarum noſtrarum, propter quos conculcandos dominus crucifixus eſt, de quibus ipſe ait: Super ſerpentes & ſcorpiones ambulabitis, & nihil uobis nocebunt.

Num. 21

Ioann. 3

Luc. 10

Item de cruce Chriſti. Sermo LVI

Eiuſdem Maximi epiſcopi.

D Iximus heſterna die quòd crux domini ſalutem generi contulerit humano, & uerum eſt. Paſſio enim illius noſtra redemptio eſt, mors eius uita noſtra eſt. Ideo autẽ mala hæc cuncta ſuſtinuit, ut nos bona omnia ſentiremus. Ideo crudelitatẽ in ſe exerceri maluit, ut nobis miſericordiã largiretur. Bonus ideo in nos ita eſſe uoluit, ut antè in ſe eſſet immitis. Auferẽs enim per crucem humani generis iniurias, omnes eas in ſua paſſione cõſumpſit, ut ulterius nõ eſſet homini quod noceret. Grande ergo crucis eſt ſacramentũ: & ſi intelligamus, per hoc ſignũ etiam mundus ipſe ſaluatur. Nam cùm à nautis ſcinditur mare, prius ab ipſis arbor erigitur, uelum diſtenditur, ut cruce domini facta, aquarũ fluenta rumpantur, & hoc dominico ſecuri ſigno portum ſalutis petũt, periculũ mortis euadunt. Figura enim ſacramenti quædã eſt uelũ ſuſpenſum in arbore, quaſi Chriſtus ſit exaltatus in cruce, atq; ideo confidentia de myſterio ueniente

homines uentorum procellas negligunt, peregrinationis uota suscipiunt. Sicut autẽ Ecclesia sine cruce stare non potest, ita & sine arbore nauis infirma est. Statim enim diabolus inquietat, & illam uentus allidit, at ubi signũ crucis erigitur, statim & diaboli iniquitas repellitur, & uentorum procella sopitur. Sed & bonus agricola cùm parat terræ solũ uertere, & uitæ alimenta perquirere, non nisi per signũ crucis id facere conatur. Dum enim aratro dentale subijcit, affigit aures, stiuã inserit, figurã crucis imitatur. Cõpactio enim ipsa similitudo quædã est dominicæ passionis. Cœlũ quoq; ipsum huius signi figura dispositum est. Nam cùm quatuor partibus, hoc est oriente & occidente, ac meridiano & septentrione distinguitur, quatuor quasi crucis angulis cõtinetur. Ipsius etiã incessus hominis cùm manus leuauerit, crucẽ pingit, atq; ideo eleuatis manibus orare præcipimur, ut ipso quoq; membrorũ gestu passionẽ domini fateamur. Tunc enim citius nostra exauditur oratio, cùm Christũ quẽ mens loquitur, etiã corpus imitatur. Hoc etiã exem-

Exod. 17 plo, Moyses sanctus cùm cõtra Amalech bellũ gereret, nõ armis, non ferro, sed eleuatis eum ad deũ manibus superauit, sic enim habes scriptũ: Cùm eleuasset manus suas Moyses, uincebat Israel: cùm autẽ deposuisset manus suas, cõualescebat Amalech. Hoc igitur dominico signo scinditur mare, terra colitur, cœlũ regitur, homines cõseruãtur. Hoc in quam dominico signo etiã reserantur inferna. Nam ex quo homo dominus Iesus qui ipsam crucẽ gestabat, sepultus in terra est, ueluti dirupta ab eo exarata terra omnes quos retinebat mortuos germinauit. Sed uideamus de hoc ipso domini corpore posteaquã

Luc. 23 de cruce ponitur quid geratur. Accepit illud Ioseph ab Arimathia uir iustus, sicut ait Euangelista, & in nouo suo sepeliuit monumento, in quo nondũ quisquã positus erat. Beatum ergo corpus domini Christi, quod cùm nascitur, utero uirginis gignitur: cùm recedit, iusti tumulo cõmendatur. Beatũ planè corpus, quod uirginitas peperit, & iustitia custodiuit. Custodiuit illud Ioseph tumulus incorruptũ, sicut seruauit illud Mariæ uirginis uterus illibatũ. Hic enim uiri pollutione nõ tangitur, ibi mortis corruptione nõ læditur. Vbiq; beato corpori defertur sanctitas, ubiq; uirginitas. Nouus illud uenter cõcipit, nouus tumulus includit. Dominica ergo & uirgo uulua, & uirgo est sepultura. Quin potius ipsam sepulturã uuluã dixerim, est enim similitudo non parua. Sicut enim dominus de matris uulua uiuus exiuit, ita de Ioseph sepultura uiuus surrexit: & sicut tunc de utero ad prædicandũ natus est, ita & nunc ad Euangelizandũ renatus est de sepulchro, nisi quòd glorioſior ista est quàm illa natiuitas. Illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale. Post illã natiuitatẽ ad inferos descenditur, post hanc remeatur ad cœlos. Religioſior planè est ista quàm illa natiuitas. Illa enim totius mundi dominũ nouem mensibus in utero clausum tenuit, hæc autem triduo tantũ tumuli gremio custodiuit. Illa cunctorum spem tardius protulit, & hæc omnium salutem citius suscitauit.

De sepulchro domini nostri Iesu Christi. Sermo LVII

Eiusdem autoris. F Ortasse quis dicat de prioris dominicæ prædicatione, in qua prædicauimus non minorem esse gloriam quòd tumulus Ioseph suscitauerit dominũ quàm quòd eum sanctæ Mariæ uterus procrearit: quę comparatio uentris & tumuli, cùm illa ex intimis uisceribus edidit filium, hic autem solummodo locum præstiterit sepulturæ? At ego dico non minorem Ioseph affectum fuisse quàm Mariæ. Siquidem illa utero dominum, hic corde conceperit. Illa saluatori membrorum suorum secretum præstitit, hic secretum sui corporis non negauit. Illa dominum pannis inuoluit cùm natus est, hic linteis cùm recessit. Illa perunxit beatum corpus oleo, hic aromatibus honorauit. Conueniunt ergo sibi obsequia, cõuenit & affectus. Vnde necesse est & meritum conuenire: nisi quod angelus Mariam ad obsequium admonuit, Ioseph autem sola iusti-

Psal. 5. & 13 tia persuasit. Ioseph in suo sepulchro posuit dominum. Legimus in Propheta: Sepulchrũ patens est guttur eorum. Si ergo sepulchrum patens est guttur hominum, uide ne forte secundum hanc similitudinem dominum Ioseph non tam in sepultura terrena posuerit, quàm in monumento sui pectoris collocarit, & custodiendum illum susceperit nõ tam memoria fragili elementorum, quàm memoria sancta uirtutum. Hæc enim uirtutum fidelis est memoria, quæ intra se continens Christum, lædi eum hæreticorũ corruptione

Luc. 22 non patitur. De qua memoria in sacris dicit dominus: Quotienscunq; hoc facietis in meam meam mei facietis, donec ueniam. Quotienscunq; enim Christum loquimur, totiens eum sacri

eum sacri oris memoria commendamus. Sepulchrum ergo patens est guttur eorum. Recte plane dicit Propheta. Sepulchrũ enim Christi patens est Euangelistarũ beatum guttur, per quod illud æterno literarũ thesauro condiderunt. Patens autẽ sepulchrum ideo dicitur, quia qui uult ad Christi peruenire mysteriũ, nõ ingreditur ad illud nisi per Euangelicæ scripturæ secretum. In literarum enim sacrarũ quasi quodam nouo uasculo commendandus est dominus. Quisquis igitur illum uidere desiderat, ibi & passionis eius sacramentum inuenit, & resurrectionis gloriam recognoscit. Patens ergo guttur sanctorum est. Vnde Apostolus ad Corinthios ait: Os nostrum patet ad uos ô Corinthij, inuitans eos ut per prædicationis suæ semper apertam ianuam ingrediantur Christi secreta mysteria. In hac igitur pectoris memoria collocatur dominus à Ioseph, ut in iustitiæ sede requiescat, & habeat filius hominis ubi caput reclinet. Videamus igitur quare saluator in aliena sepultura ponatur, ac suam non habeat sepulturam. Ideo in aliena sepultura ponitur, quia pro aliorum moriebatur salute. Mors enim ista non illi illata est, sed nobis delata. Mors ista nõ illi accidit, sed nobis proficit. Vt quid ergo ei propria sepultura, qui in se mortem propriam non habebat? Vt quid illi tumulus in terris, cuius sedes manebat in cœlis? Vt quid illi sepultura, qui tridui tantum temporis spatio non tam in sepulchro mortuus iacuit, quàm uelut in lectulo dormiens conquieuit? Ipsa enim temporis breuitas declarat somnum potius fuisse quàm mortem. Sepulchrum autem, mortis est habitaculum necessarium. Necessarium ergo nõ erat mortis habitaculum Christo, qui uita est: nec opus habebat semper uiuens domicilio defunctorum. Recte autẽ hanc uitã nos in nostro sepulchro condidimus, ut cum ipso uiuificante mortẽ nostrã à mortuis surgeremus. Vnde & illa Maria Magdalene quæ dominũ inter cæteros defunctos in sepulchro quærebat, arguitur, & dicitur illi: Quid quæris? uiuentem cum mortuis? Hoc est: Quid quæris apud inferos, quem rediisse iam constat ad superos? Quem illa adhuc non intelligens, nec cognoscens, respondit illi: Domine si tu tulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego illum tollã. Existimabat enim illum, sicut dicit scriptura, hortulanũ esse. Sancta ergo & simplex fœmina Christũ requirebat à Christo, ac deuotione mentis prophetat & nescit. Ait enim domino de semetipso: Si tu tulisti eum, dicito mihi. Recte interrogat, si tu tulisti enim, ipse enim tulit corpus suum, qui suscitauit. ipse tulit corpus, qui illud iacens & dormiens sua aspiratione collegit. ipse tulit corpus, qui diuinitatis illud uirtute gestans portat ad cœlos. Atq; ideo mulier sapienter interrogat & requirit: Si tu tulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum? Hoc est, si illud auferens de sepulchro ad paradisum transtulisti. Audierat enim illum dicentem Latroni: Hodie mecum eris in paradiso. Aut certe de infernis in patris dextera collocasti, sicut ait Apostolus: Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dexteram dei. Beatus ergo qui ita quærit Christum dominũ, ut credat eum & in paradiso constitutum, & in cœlestibus collocatum. Nam qui eum aut in infernis requirit, aut tumulis, dicitur ei: Quid quæris? uiuentem cum mortuis? Ioann. 20. Luc. 23. Colos. 2. Ioann. 20.

De Maria Magdalene. Sermo LVIII

Eiusdem cuius & præcedẽtes.

H Aeret adhuc sensibus uestris fratres, hoc nos ante dies paucissimos prædicasse, quòd Maria Magdalene non leuiter fuerit obiurgata, cur post resurrectionem dominum quæreret in sepulchro, quòd non reminiscens uerborũ eius, quibus se ab inferis tertia die rediturum esse dixerat, putaret eum inferni legibus detineri. Arguitur enim non leuiter cur non memoraretur resurrectionis promissum, ac mortis scrutaret indiciũ. Fides enim humilis & ignara quærit quod nescit, obliuiscitur quod docetur. Festina quidem est ad obsequium, sed nõ perfecta est ad credendũ. anxia enim est de dominicæ carnis iniuria, sed incerta est de resurrectionis gloria: plorat quidem amore Christi, sed mœret desperatione corporis non reperti. perisse putat quem iam regnare constabat. scrutatur enim in tumulo quem uocare potius deberet è cœlo. increpatur igitur sancta Maria tanquã pigrior ad credendum, & cùm, sera licet, dominum cognouisset, dicitur ei à saluatore: Noli me tangere, quia nondum ascendi ad patrem. Noli me tangere, increpationis uerbum est, hoc est, noli me tangere manibus, quoniam resurrectionem meam mentis obliuione non retines. Non potes me corporis tenere complexibus, quem fidei perfectione non tangis. Prohibetur à tactu, quæ amisit auditum. Noli me, inquit, tangere, quia nondum ascendi ad patrem. Videamus quomodo nondum ad Ioann. 20.

patrem aſcenderit Chriſtus, cùm ipſe dicat, quia pater in me, & ego in patre. Quomodo ergo non aſcendit ad patrẽ, à quo per indiſcretam diuinitatis ſubſtantiã nunquã eſt ſeparatus? Dum enim unus in uno manet, ſemper patrẽ filiũq; ſimul eſſe ſignificat. Aut nunquid illuc aſcendere ſe dicit filius, ubi antè habitat quàm aſcendat? Dixit enim idem dominus: Nemo aſcẽdit in cœlũ niſi qui deſcẽdit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo. Si ergo cùm deſcendit ſaluator, in cœlo eſt, multo magis etiã priuſquam aſcendat, in cœlo eſt. Sed uide ne forte ad obiurgationem Mariæ uox iſta pertineat, cui paulò antè inter ſepulchra quærenti dominũ dicitur: Quid quæris? uiuentem cũ mortuis? Nunc addatur noli me tangere, quia nondum aſcendi ad patrem, hoc eſt, quid me cõtingere cupis, quę me dum inter tumulos quæris, adhuc ad patrem aſcendiſſe non credis? quæ dum me inter inferna ſcrutaris, ad cœleſtia rediiſſe diffidis? dum inter mortuos quæris, uiuere cum deo patre meo nõ ſperas? Nondum, inquit, aſcendi ad patrẽ, hoc eſt, tibi nondum aſcendi ad patrem, quia apud fidẽ tuam adhuc detineor in ſepulchro. Quantum in te eſt enim adhuc humilibus immoror, adhuc inhæreo terrenis, quia nondum me fides tua eleuauit ad cœlum. Quid ergo me feſtinas cõtingere ut dei filiũ, quem redeuntẽ ad patrẽ mentis deuotione non ſequeris? Quiſquis igitur uult contingere dominum ſaluatorẽ, prius illũ debet fide ſua ad dexteram diuinitatis imponere, & credulitate cordis collocare in cœleſtibus potius quàm inter defunctos inquirere. Illi autẽ aſcendit dominus ad patrẽ, qui eum ſemper eſſe credit in patre. Aſcendit beatis Apoſtolis ad patrẽ, quibus ait: Qui me uidet, uidet & patrẽ. Aſcendit Ioanni Euangeliſtæ, qui apud patrẽ eum quæſiuit & reperit, atq; ideo ait: Et uerbũ erat apud deũ, & deus erat uerbum. Aſcendit etiã beato Paulo, qui non contentus ſolum ſe ſcire quod nouerat, nos quoq; docuit quemadmodũ ſaluatorem in cœleſtibus quæreremus, dicẽs: Quæ ſurſum ſunt quærite: ubi Chriſtus eſt in dextera dei ſedens. Et ut nos ab hac humili uel terrena inquiſitione Mariæ penitus ſubmoueret, addidit dicens: Quæ ſurſum ſunt, ſapite, nõ quæ ſuper terram. Ergo iam non ſuper terram, nec in terra, nec ſecundũ carnẽ debemus quęrere ſaluatorẽ, ſi uolumus eum inuenire atq; contingere, ſed ſecundum diuinæ maieſtatis gloriam, ut dicamus cũ Apoſtolo Paulo: Nunc autẽ ſecundum carnem non nouimus Chriſtum. Igitur & Stephanus beatus fide ſua non ſuper terrã quæſiuit Chriſtum, ſed ſtantem illum ad dei dexteram recognouit, ibi illum reperit, ubi mentis deuotione quæſiuit. Non ſolũ autem Stephanus in cœlo uidet Chriſtum, ſed eum & martyrio ſuo tangit. Tangit enim dominũ, cùm pro inimicis ſuis orans uelut fide ſua tenens illum dicit: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Intelligite ergo quanta deuotionis eſt gloria. Maria iuxta dominum conſtituta eum tangere non meretur, Stephanus in terris poſitus Chriſtũ tangit in cœlo. Illa inter angelos præſentem non uidet ſaluatorem, Stephanus inter Iudęos dominum cernit abſentem.

Ioann. 3
Ibidem. 20
Ibidem. 14
Ioan. 1
Coloſ. 3
Ibidem.
2. Corin. 5
Act. 5

De auaritia & Anania. Sermo LIX

Maximi Epiſcopi.

REtinet dilectio ueſtra fratres ante dies cùm plebis eius quæ ſub beatiſſimis Apoſtolis fuit, unanimitatem largitatemq; prædicaremus, uſq; ad Ananiæ nos auaritiam peruenìſſe, qui illo tempore in totius generis puriſſima uita tanquam ouis morbida ſolus inuentus eſt. Tanta enim infectus erat auaritiæ peſtilentia ut ſanctus eum Petrus non tam emendare uoluerit, quàm damnare. Legerat enim: Eĳce de concilio peſtilentem, & exibit cum eo omnis cõtentio. Solus ergo in cœtu ſancto peſtilens fuit, qui cunctis cõtemptu pecunię, lucrum uitę requirentibus, ipſe tantum lucrũ magis pecuniæ mercatus eſt quàm ſalutis, & dum precĳ ſperat compendium, animæ reperit detrimentum. Ab apoſtolis igitur Ananias auarus inuentus eſt, iam noſtra excuſatur humilitas. Minus enim mirandũ eſt abundare ſub nobis hoc uitiũ, cùm ſub Apoſtolis cœperit pullulare: & ſi illorum authoritas hęc in Anania emendare non potuit, nobis quid imputabitur ſi eadem in pleriſq; fratribus corrigere non ualemus? In Anania enim Petrus auaritiã ſi potuiſſet corrigere, non puniſſet: ſed dum illũ punit, alios corrigit. Voluit enim ut pœna ad unum, metus autem ad plurimos peruenìret. Exemplum ergo auaris omnibus in Anania propoſitum eſt: ut qui eiuſdem criminis reus fuerit, eiuſdem ſupplicĳ in iudicĳ die ſententia feriatur. Grande igitur malum eſt auaritia, imò malorũ omnium eſt origo, ſicut ait Apoſtolus: Radix autem omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes errauerũt à fide. Vides ergo quia qui pecuniam appetit, fidẽ perdit:

Prouer. 22
1. Tim. 6

qui

qui aurum redigit, gratiam prodigit. Auaritia enim cæcitas est, errorem religionis inducit. Cæca inquam est auaritia, sed diuersis fraudum oculata ingenijs, non uidet quæ diuinitatis sunt, sed cogitat quæ cupiditatis sunt. Semper enim quanuis dives sit, cogitat unde uel ex malo adquirere, totã uitam negocium putat, compendiorum etiam omnia sup primens, inanis præstationis suæ fœnus imponit. Erubescit usuræ nomen, & lucrum nõ erubescit usuræ. Semper ergo auarus alieno utitur, alieno se pascit damno, est illi præda egestas alterius, est illi lætitia fletus alienus, sicut nuper factũ uidimus. Quot amissa deplorant, super quæ inuasa plericq; gratulantur? Ecce senex pater captum deflet filiũ, & tu iam super eum uelut seruulũ gloriaris. Innocens rusticus perditum ingemiscit iuuencũ, & tu eo rus tuũ excolere disponis, & fructus te putas posse capere gemitibus alienis. Ecce religiosa uidua tota supellectile dispoliatam domum suam dolet, & tu eadem supellectile domum tuam ornatam esse lætaris. Dic mihi ô Christiane, non compungeris, non constringeris cùm uides in hospitio tuo lachrymas alienas? Dicit scriptura sancta ad filios Israel: A bestia captũ ne tetigeritis, pollutũ enim & contaminatũ est quicquid fera cruenta contigerit. Et per hoc deterior bestia est, quisquis sumit quod bestia superauit. Dic igitur mihi tu Christiane, cur prædam relictam à prædonibus præsumpsisti? Cur laceratum & contaminatum, sicut ipse putas, tuis ædibus importasti? Cur quod hostilis superauit bestia, tu sæuior bestia deuorasti? Aiunt plericq; lupos leonum subsequi solere uestigia, & non longe ab eorum uenatibus aberrare, scilicet ut rabiem suam rapina satient aliena: & quod leonum saturitati remanet, id luporum rapacitate consumatur. Sic & isti auaritiæ lupi prædonum uestigia subsecuti sunt, ut quod illorum rapacitati superauit, horum cederet feritati. Sed forsitan emisse te dicis, & ideo auaritiæ crimen euadis. Non ita solet constare emptio atq; uenditio. Bonum est emere, sed in pace, quod propria uoluntate uenditur, non in deprædatione. Respice contractus originem, uenditionis authorem, precij quantitatem, & intelligis prædæ magis, non uenditionis emptorem. Vnde enim barbaro auri gemmarumq; monilia? Vnde pellito serica uestimenta? Vnde rogo Romana mancipia sumis? Scimus ea comprouincialium nostrorum esse uel ciuiũ. Facit ergo ut Christianus & ciuis, qui ideo emit ut reddat.

Exod. 22

De festo Pentecostes, & de Psalmo centesimonono. Sermo LX

Item Maximi episcopi.

NOsse credo uos fratres quæ sit ratio quòd uenerabilem hanc pentecostes diẽ non minore lętitia celebremus, quàm sanctum pascha curauimus: & quod eadem deuotione huius solennitatis obseruantiam decurrimus, sicut illius obsequia festiuitatis impleuimus. Tunc enim, sicut modo fecimus, ieiunauimus sabbato, uigilias celebrauimus, orationibus pernoctanter institimus: unde necesse est similis obseruantia similem lætitiam subsequatur. Est lætitia plane consimilis. Tunc enim ab inferis resurgentem suscepimus saluatorem, modo autem spiritum sanctum expectamus è cœlis. Tunc anxij & soliciti Christi precabamur aduentum, modo trepidi & ieiuni Paracleti desideramus aduentũ. In omnibus enim deus saluti prouidit humanę. Tũc enim nobis ad resurgendum tartara saluator aperuit, modo nobis ad regnandum Paracletus cœlestia reserauit: & quibusdam quasi profectuum gradibus, tunc de morte ad uitam dicimus remeare, modo autem de terris ad cœlos meditamur ascendere. Hęc autem omnia operatur in nobis Christus dominus, qui priusquam rediret ad cœlos, promisit discipulis suis dicens: Cùm autem ascendero, rogabo patrem meum, & mittet uobis aliũ Paracletum qui uobiscum sit in æternum, spiritum ueritatis. Vnde credendum est ad patrem peruenisse Christũ, cùm uidemus ad Apostolos descendisse Paracletum. Credendum inquam est, sicut ait de saluatore Dauid, in dei dextera considere: quia cernimus spiritum sanctum, sicut promisit dominus, in discipulis exultare. Ait ergo Propheticus psalmus: Dixit dominus domino meo, sede ad dexterã meã. Secundũ cõsuetudinem nostrã illi consessus offertur, qui aliquo opere perfecto uictor aduenięs honoris gratia promeretur ut sedeat. Ita ergo & homo Iesus Christus passione sua diabolum superans, resurrectione sua inferna reserans, tanquã perfecto opere ad cœlos uictor aduenięs audit à deo patre, sede ad dexteram meam. Nec mirum si unius sedis offertur filio consessus à patre, qui unius est substantię & naturæ cũ patre. Cur autem ad dexterã filius esse dicatur, moueat aliquem fortasse. Licet enim dignitatis gradus nõ sit, ubi plenitudo diuinitatis est:

Ioann. 14

Psalm. 109

tamen ideo ad dexteram sedet filius, non quo præferatur patri, sed ne inferior esse creda-
tur. Et ideo ad dexteram filius, quia secundum Euangelium ad dexteram oues, ad sini-
Matth. 25 stram uerò constituentur hœdi. Necesse est ergo partem ouium primus agnus obtineat,
& secuturo immaculato gregi locũ dux immaculatus anticipet, sicut ait Ioannes in Apo-
Apoca. 14 calypsi dicens: Hi sunt qui sequuntur agnum quocunq; uadit, qui se cum mulieribus nõ
Psalm. 109 coinquinauerũt. Refert ergo Propheta Dauid: Dixit dominus domino meo, sede ad de-
xteram meam: hoc est, dominus pater domino deo Christo filio throni sui offert subli-
mem consessum, & honoris gratia ad dexteram suam illum æterna sede constituit. Legi-
Act. 7 mus in Actibus apostolorum, dicente beato Stephano cùm lapidaretur à Iudæis: Ecce
uideo cœlos apertos, & Iesum stantem ad dexteram dei. Videamus ergo quæ sit ratio
quod idem dominus à Dauid sedens prophetatur, stans uerò à Stephano prædicatur.
Ioann. 4 Primo omnium deus qui incorporalis est & inuisibilis (Est enim spiritus, sicut ait domi-
nus: Deus autem spiritus est) sedere aut stare quomodo potest: deinde autem quali sub-
sellio sedeat deus, qui infinitus est & immensus, & intra se ipse magis creaturam cuncta
contineat? Hæc autem propterea à sanctis uiris dicta arbitror esse de domino, non quo
sint contraria sibi: sed ut modo eius potentia, modo misericordia describatur. Nam utiq;
pro potestate regis sedere dicitur, pro bonitate intercessoris stare suggeritur. Ait enim
1. Ioann. 2 beatus Apostolus: Quia aduocatum habemus apud patrem Iesum Christũ. Iudex ergo
est Christus, cùm residet: aduocatus est, cũ assurgit. Iudex planè Iudæis, aduocatus Chri-
stianis. Hic enim stans apud patrem, Christianorum licet peccantium causas exorat: ibi
residens cum patre Pharisæorum persequentium peccata condemnat. Illis indignãs ue-
hementer ulciscitur, his interueniens leniter miseretur. Hic stat, ut suscipiat Stephani
martyris spiritum: ibi residet, ut condemnet Iudæ proditoris admissum.

Item de Pentecoste. Sermo LXI.

Eiusdem. CIre debet sanctitas uestra fratres hanc sanctam Pentecostes diem qua ratio-
ne curemus, uel cur istorum quinquaginta dierum numero sit nobis iugis &
continuata festiuitas: ita ut hoc omni tempore neq; ad obseruandum indica-
mus ieiunia, neq; ad exorandũ deum genibus succidamus, sed sicut dominica solemus
facere, erecti & feriati resurrectionem domini celebramus. Dominica enim nobis ideo
uenerabilis est atq; solẽnis, quia in ea saluator uelut sol oriens discussis infernorum tene
bris luce resurrectionis emicuit: ac propterea ipsa dies ab hominibus seculi dies solis uo
catur, quòd ortus eã sol iustitiæ Christus illuminet. Instar ergo dominicæ tota quinqua-
ginta dierũ curricula celebrantur, & omnes isti dies uelut dominici deputantur, Resur-
rectio enim dominica est. Nam in dominica resurgens saluator reuersus ad homines est,
& post resurrectionẽ tota quinquagesima cũ hominibus cõmoratus est. Aequalis ergo
eorum necessarium ut esset festiuitas, quorum æqualis esset & sic quantitas. Sic enim dis-
posuit dominus, ut sicut eius passione in quadragesimæ ieiunijs contristaremur: ita eius
resurrectione in quinquagesimę ferijs lętaremur. Nõ igit̃ ieiunamus in quinquagesima
quia in his diebus nobiscum dominus cõmoratur. Nõ inquã ieiunamus præsente domi-
Luc. 5 no, quia ipse ait: Nũquid possunt filij sponsi ieiunare quandiu cum illis est sponsus? Cur
enim abstineat corpus à cibo, cùm anima præsentia domini saginatur? Non potest enim
esse ieiunus, qui reficitur gratia saluatoris. Societas enim Christi quodammodo esca est
Christiani. Reficimur ergo in quinquagesima nobiscũ domino cõuersante. Cùm autem
Ibidem. post hos dies ascendit ad cœlum, iterum ieiunamus, sicut ait idem saluator, dicens: Ve-
nient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabũt in illis diebus. Cùm e-
nim Christus ascendit ad cœlum, nostris aufertur obtutibus, famem patimur non corpo
ris, sed amoris, & non tam cibi ieiunio quàm desiderio laboramus. Desideria enim quæ-
dam nostri sustinent oculi, dum non perspiciunt quem requirũt, sicut ait Propheta: De-
Psalm. 68 fecerunt oculi mei dum spero in deo meo. Defecerunt enim Prophetæ oculi, quia non-
dum uidebat quẽ sperabat se esse uisurum. Sic nanq; apostolorum defecerunt oculi cùm
euntem ad cœlum dominum nequeunt intueri, secundum quod ait Lucas dicens: Et ui-
Act. 1 dentibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorũ. Stabãt enim beati apo-
stoli toto suspensi corpore, & ascendentẽ ad cœlum dominum, quia incessu pedũ nõ po
terant, oculis sequebantur: & licet ad deducendum saluatorẽ uisio humana deficeret, fi-
dei ta-

dei tamen deuotio non deficit. Vsq; ad nubem enim Christum deducunt, usq; ad cœlos autem cum Christo fidei deuotione comitantur. Vnde ait Apostolus sciens fidē nostrā in cœlis esse cum domino: Nostra autem conuersatio in cœlis est. Nubes ergo ab oculis Apostolorum susceptit saluatorem. Videamus ergo quæ ista nubes sit, quàm splendida, quàm præclara, quæ lucem mundi Christum susciperè meretur. Neq; enim poterat obscura esse ac tetra uel tenebrosa, quia scriptum est: Et tenebræ eam nō cōprehenderunt. Tenebræ enim lucem gestare non poterant. Illa enim est nubes quæ ascendentē susceptit Christū, quę & testimonium Christo etiā in monte perhibuit, de qua ait Euangelista: Vox in nube audita est dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Non igitur nubes susceptit Christum, sed deus pater recepit filium, & occursu quodam pietatis ascendentem illum gremio molliore complectitur. Nam ideo pater dicitur susciperè filiū nubis umbraculo, ut ostendatur refrigerio quodam fouere eius uulnera passionis. Post crucem enim, post iniurias, post inferos non est maius Christo refrigerium, nisi quod uirtute diuinitatis obumbraretur, sicut in natiuitate eius ad Mariā dicitur: Et uirtus altissimi obumbrabit tibi. Altissimus ergo pater, qui nascēte Christo obumbrauit in uirtute Mariæ, ascendentem eum susceptit in nube. Semper enim deus quos post iniurias perducit ad requiē, protegit eos nubis umbraculo: sicut filios Israel liberatos de Ægypto nubis columna protexit, & ut post multum laborem eos in terram repromissionis induceret, refrigerij fouit umbraculo, sicut ait Propheta: Expandit nubem ad protegendum eos. Expandit enim nubem ne siccitate eremi fatigarētur, etiam solis ardore. Lętemur ergo in hac sancta die, sicut in pascha lætati sumus. Est enim in utraq; die similis eadēq; solennitas. In pascha enim omnes gentes baptizari solent. In pentecoste autem Apostoli baptizati sunt, sicut ait dominus discipulis suis ascensurus ad cœlum: Ioannes baptizauit aqua, uos autem spiritu sancto baptizabimini, quem accepturi estis nō post multos hos dies. Et ideo dicit Lucas: Cùm autem complerentur dies pentecostes, factus est subito sonus de cœlo tanquam aduenientis spiritus ualidi, sedítq; super singulos eorum.

Philip. 3
Ioan. 1
Matth. 17
Luc. 1
Exod. 13
Psalm. 104
Act. 1
Ibidem. 2

Item de Pentecoste. Sermo LXII.

Maximi Episcopi.

NOn incommode ante dies complures, sicut retinetis fratres, prædicatio nostra processit, in qua descripsimus quòd caro domini rediuiuo ueluti nitore floris de tumulo germinauerit, quem tumulum situm in hortulo Euāgelista testatus est, unde non incongrue prosecuti sumus. Conueniens enim erat, ut flos precio sior in hortulo gigneretur, & bonæ frugis commendatum solo semen, intra septa domestica & amœna uirentia in salutem omnium pullularet. Christi enim resurrectio cunctorum est redemptio populorū. Ergo in hortulo saluator rediuiuū corpus assumit, & inter florentes arbores & candētia lilia carne iam mortua reflorescit, & ita germinat de sepulchro, ut germinātia & nitentia cūcta reperiat. Sic em̄ post hyemalis rigoris frigidā quodammodo sepulturam pullulare elemēta omnia festinarūt, ut resurgēte domino & ipsa consurgerēt. Nā utiq; ex resurrectione Christi aer salubrior est, sol calidior, terra fœcundior, ex eo surculus uirescit in fruticē, herba crescit in segetē, uinea pubescit in palmitē. Si igitur cum reflorescit Christi caro, omnia floribus uestiuntur: necesse est ut cum idem fructum affert, etiam uniuersa fructificent, sicut ait idem dominus: Nisi granū tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: cùm autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Refloruit igitur dominus cùm resurrexit ē tumulo: fructificat, cum ascēdit ad cœlum. Flos est, cùm de inferioribus terræ gignitur: fructus est, cùm altissima sede recōditur. Granum est, sicut ipse ait, cùm solus crucem patitur: fructus est, cùm plurima Apostolorum credulitate circundatur. Is enim post resurrectionem quadraginta diebus cum discipulis conuersatus, tota illos sapientia maturitatis edocuit, & ad bonam frugem eos omni disciplinarum fœcunditate conuertit. Deinde ascendit ad cœlum, ad patrem scilicet, fructū carnis præferēs, in discipulis iustitiæ semina derelinquens. Ascendit ergo ad patrem dominus. Meminit sanctitas uestra quòd aquilæ illi de psalterio, cuius innouatam iuuētutem legimus, comparauerim saluatorem. Est enim similitudo non parua. Sicut em̄ aquila humilia deserit, alta petit, cœlorū uicina conscēdit: ita & saluator humilia inferni deseruit, paradisi altiora petijt, cœlorum fastigia penetrauit: Et sicut aquila relictis terrenis sordibus in sublime uolans purioris aeris salubritate perfruitur:

Ioan. 12
Psal. 120
Supra sermone. 54

ita & dominus terrenorum fæcem deserēs peccatorum, in sanctis suis uolitans, purioris uitæ simplicitate lætatur. Per omnia igitur aquilæ cōparatio cōuenit saluatori. Sed quid facimus quod aquila prędā frequenter diripit, tollit frequēter alienū? Nec in hoc tamen dissimilis est saluator. Prædam enim quodammodo sustulit, cum hominem quem suscepit, inferni raptū faucibus portauit ad cœlū, & alienæ dominationis, id est diabolicæ potestatis seruum de captiuitate erutum duxit ad altiora captiuum, sicut scriptū est in Pro-

Psalm. 67 pheta: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quæ sententia utiq; sic intelligitur, eo quod captiuitatem hominis, quem sibi diabolus captiuauerat, illi eruendo sibi dominus captiuarit, & ipsam (sicut ait) captiuitatem captam ad cœlorum alta sustulerit. Vtraq; igitur captiuitas uno uocabulo nuncupat̄, sed non æqualis utraq; est. Diaboli enim captiuitas seruituti subiicit: Christi autem captiuitas restituit

ibidem libertati. Ascēdit, inquit, in altum, captiuam duxit captiuitatē. Quàm bene triumphum domini Propheta describit. Solebat (sicut dicunt) regum triumphantium currus, captiuorum pompa præcedere. Ecce dominum euntem ad cœlos non præcedit, sed comitatur glorioſa captiuitas: nō ante uehiculum ducitur, sed ipsa euehit saluatorem. Quodam enim mysterio dum filius dei filium hominis sustulit ad cœlū, ipsa captiuitas portatur, & portat. Quod autem ait, Dedit dona hominibus: hoc uictoris insigne est. Post triumphum enim uictor semper dona largitur, & proprio regno residens, seruulorum gaudia muneratur. Sic Christus dominus uictor diabolicum post triumphum residens ad dexteram patris, hodierna die discipulis dona largitus est, non auri talenta, non argenti me-

Act. 2 talla, sed spiritus sancti cœlestia munera: ut inter cæteras gratias Apostoli etiam linguis uarijs loquerentur, hoc est, ut Hebrææ nationis homo, Christi gloriam Romanæ facundiæ, eloquentia pertonaret, & redemptionem generis humani peregrinæ aures, quia lucea prædicante lingua non caperent, propria loquela cognoscerent. Omnis lingua in prædicatione Christi resoluitur, ut maiestatem eius omnis loquela fateatur, sicut ait san-

Psalm. 18 ctus Dauid: Non sunt loquelæ neq; sermones, quorum non audiantur uoces eorum. Ne miremini autem quod ad dexteram patris residere diximus filium. Ad dexteram enim residet, non quia maior patre, sed ne minor patre esse credatur, sicut hæretici blasphemare consueuerunt. Sicut enim diuinitas honorificentię gradum nescit, ita scriptura sancta nouit obuiare blasphemijs.

De natali sancti Ioannis Baptistæ. Sermo LXIII

IN sancti ac beatissimi Ioannis Baptistæ laudibus cuius natalem hodie celebramus, quid potissimū prædicem nescio: utrum quòd mirabiliter natus sit, an quod mirabilius sit occisus. Natus em̄ est in prophetia, in ueritate peremptus est, nascendo annunciauit Saluatoris aduentum, moriendo condemnauit Herodis incestum. Vir enim sanctus & iustus, & qui præter cōmunem hominū natiuitatem ex repromissione generatus fuerat, hoc de deo meruit, ne cōmuni cum cęteris de seculo morte discederet: sed corpus quod domino donante susceperat, dominū confitendo deponeret. Ergo Ioannes per omnia uoluntatē domini fecit, quia propter opus domini & natus est et defunctus. Nam ut natiuitatis eius seriem breuiter repetamus, cum essent pater eius Zacharias & mater eius Helizabet ætatis senectute defessi, & nulla filiorum prole gauderent, procreandi etiam illis liberos tēpus florentissimū præterijsset, ita ut de suscipienda iam sobole ipsa etiā eos uota deficerent, subita per angelū repromissione donan-

Luc. 1 tur, & nasci Ioannem Gabriel sanctus annunciat dicens: Ne timeas Zacharia, ecce exaudita est deprecatio tua, & uxor tua Helizabet concipiet & pariet filium. Exaudita est inquit, oratio tua. unde intelligimus quòd Ioannem Zachariæ iustitia magis orando genuerit, quàm Helizabet senectus procurādo susceperit. Hinc inquā intelligimus quod Ioannē obsecratio creauerit, non uoluptas. Cum enim materni uteri uiscera ætatis senectute frigescerent, & fessi corporis membra fœcunditatis gratiā perdidissent, cōtra impossibilitatem corporis, contra sterilitatem uiscerum, Zachariæ precibus Helizabet uterus intumescit, & concipit Ioannem, nō natura, sed gratia. Vnde necesse erat sanctum nasci filium, qui non tam cōplexibus quàm orationibus gigneret̄. Minus aūt mirari debemus quod tantam Ioannes gratiam in nascendo meruerit: debuit enim præcursor & præuius Christi aliquid simile habere natiuitati domini saluatoris. Siquidē dominus de

uirgine gignitur, Ioannes de sterili procreatur. Ille de adolescentula, iste de iam fessa generatur. Habet ergo & huius natiuitas aliquid gloriæ atq; miraculi. Quãuis enim uilior partus mulieris uideatur esse quàm uirginis, tamen sicut Mariam suspicimus quod uirgo peperit, ita in Helizabeth miramur quod anicula procreauerit. Quod quidem factũ, mysterium aliquod arbitror continere, ut Ioannes qui Veteris testamenti figuram gerebat, senis mulierculę frigido sanguine nasceretur. Dominus autẽ qui regni cœlestis Euangelium prædicaret, feruentis iuuenculæ flore progrederetur. Maria enim conscia uirginitatis miratur fœtum uisceribus inuolutum: Helizabeth autem conscia senectutis erubescit partũ utero prægrauato. Dicit enim Euangelista: Occultabat se mensibus quinque. Illud autem quàm mirandum, quòd idem Gabriel archangelus utriusq; natiuitatis officium repræsentat? Zachariam solatur incredulum, cõfidẽtem Mariam cohortatur. Ille cur dubitauerit, uocem perdidit: hęc quia statim credidit, uerbum salutare concepit. Hoc etiam in laudibus Ioannis minimè tacendum uidetur, quod nondum natus etiam prophetat: & adhuc in materni uteri finibus cõstitutus, aduentũ Christi, quia uoce non poterat, gaudijs confitetur. Dicit enim Helizabeth ad sanctam Mariam: Simul ut facta est uox salutationis tuæ, exultauit in gaudio infans in utero meo. Exultat enim Ioannes antequam nascatur, & priusquam mundi oculis habitum recognoscat, iam spiritu mundi dominũ recognoscit. In quo arbitror propheticã conuenire sententiã, quę dicit: Priusquam te formarẽ in utero, noui te: & priusquã exires de uulua, sanctificaui te. Vnde mirari non debemus quod ab Herode missus in carcerẽ, clausus Christum semper suis discipulis intimaret: cùm etiam clausus in utero eundem dominum gestibus prædicarit. Ibidem Ibidem Hierem. 1

Item de natali sancti Ioannis Baptistæ. Sermo LXIIII

Sancti Ioannis Baptistæ natalem hodie prosecuturus facere uellem, & labo-
§ rem atq; imperitiam meã silẽtio coercere. sed enim ipsa uis nominis minime me silere permittit. Nã nuncupatio uocabuli ipsius, pectoris nostri urget secreta, silentij nostri reſoluit arcana, & quod dissimulatione reticetur, admiratione cõpellitur. Si enim pater Zacharias cùm eum nominauit, uocẽ recepit: quãto magis nos cum laudemus illũ, eloquiũ promeremur: & si illius os cum in seculo nasceretur aperuit, quãto magis cùm pro Christo patitur, ora nostra fœcũdat? Cũ enim Zacharias pater eius propter incredulitatẽ natiuitatis illius ad angelo Gabriele silentij esset taciturnitate mulctatus, etiam diu mutus uerborũ dispendio mentis secreta uelaret, subito nato Ioanne filio, cùm apud proximos esset contentio quo nomine uocaretur, offeruntur patri tabulæ, ut uocabulũ eius pro sui arbitrio ipse describeret, & quod sermone non poterat, literis loqueretur. tunc mirũ in modũ acceptis pugillaribus ut stylũ figeret, linguam resoluit, ac literas sermone præuenit, & Ioannẽ non testatus est, sed locutus. Videte igitur sancti Baptistæ meritũ, uocẽ patri reddidit, sacerdoti eloquentiã reparauit. Videte inquam meritum, os quod Angelus allígauerat, Ioannes absoluit: quod Gabriel obstruxerat, paruulus reserauit, quanquã & ipse sit Angelus, sicut scriptũ est de eo: Ecce mitto angelũ meũ ante faciem tuã. Respicite igitur Ioannẽ, quanta uis sit eius uocabuli, cuius nuncupatio reddidit muto uocẽ, patri pietatẽ, populo sacerdotẽ. Prius enim erat tacens lingua, sterilis filio, priuatus officio: at ubi Ioannes nascitur, fit repẽte pater propheta uel pontifex, loquela usum recipit, prolẽ affectio suscipit, sacerdotẽ functio recognoscit. Cum ergo tanta uis sit eius uocabuli, dicturi de eo, & si tacere uolumus, silere non possumus. Ipse enim Ioannes uox clamantis dicitur. Quis igitur qui uocẽ laudet & taceat? clamorem admiretur & mutus sit? Ait enim ipse de se: Ego sum uox clamantis in deserto. Videte quid dixerit. Nõ enim ait tantũ: Ego sum uox, sed & clamantis uox, scilicet ut ad fidẽ cõsequendam, uox aures penetret, clamor corda concutiat, uox regnũ prędicet, clamor iudicium comminetur. Magnus igitur Ioannes, cuius magnitudini etiam saluator testimoniũ perhibet, dicens: Inter natos mulierũ maior non est Ioanne Baptista. Præcellit cunctis, eminet uniuersis, antecedit prophetas, supergrediẽ patriarchas, & quisquis de muliere, inferior est Ioãne. Sed debemus diligẽter inquirere cur ita dominus dixerit, hoc est, inter natos mulierũ, & non potius dixerit, inter filios uirorũ non est maior Ioãne, cùm utiq; mulieres natos sine uiris habere non possint. Hoc autem dixit quia numerosior est proles mulierum quàm uirorum. Est enim mulieris filius, qui uiri filius non est. Denicq; sancta Maria Luc. 1 Malach. 3 Ioan. 1 Luc. 7

Maria genuit filium, qui patrem hominẽ non haberet. Dominus enim est muleris filius,
Galat. 4 & uiri filius nõ est, sicut dicit Apostolus: Natum de muliere, factũ sub Lege. Vt qui matrem in terris habet, patrẽ haberet in cœlis. Ergo in laudẽ Ioannis fœcundioris sexus generatio ponitur, ut nullius ab eo natiuitas separaretur. Dicit forte aliquis, si inter natos mulierum maior est Ioannes, nunquid etiã maior est saluatore? Absit. Ioannes enim natus mulieris. Christus autem uirginis natus est. Ille corruptibilis uteri sinibus effusus est, iste impollutæ uuluæ flore progenitus. Ideo autem cum Ioannis natiuitate domini generatio deputatur, ne dominus extra ueritatem uideretur esse conditionis humanæ.

De sancto Ioanne Baptista. Sermo LXV

D Iximus superiore dominica cùm silentij nostri ueniam peteremus, quòd pro salute communi sacerdotibus etiam tacentibus doctrina Euangelica non taceat, & quòd silentium eorum suppleret diuina sententia. Semper enim diui
Matth. 3 na scriptura loquitur & clamat, sicut scriptum est de Ioanne: Ego sum uox clamantis in
Ioann. 1 deserto. Non enim tantum in illo tempore clamauit Ioannes, quo Phariseis annuncians
Matth. 3 dominum saluatorem, dixit: Parate uiam domini, rectas facite semitas domini dei nostri sed & hodie clamat in nobis, & uocis suæ tonitruo deserta nostrorum concutit peccatorum. Ac licet sancta martyrij morte dormierit, uox tamen eius uiuit. dicit enim & nobis hodie: Parate uiam domini, rectas facite semitas eius. Semper enim scriptura diuina cla-
Genes. 4 mat & loquitur. Vnde & ad Cain dicit deus: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Nulla utiq; sanguini uox est, sed clamare dicitur sanguis qui innocens effusus est, nõ tam uere quàm causa, & interpellare dominũ non prosecutione eloquij, sed indignatione commissi, ac reatum suum non tam uerborum accusare sermonibus, quàm cõscientiæ ipsius criminatione constringere. Quamuis enim malum factũ si in uerba producatur, excusationem fortasse recipit, nisi conscientia reuocetur, non potest excusari. Cõscientia enim reatum suũ semper tacita sine contradictione conuincit & iudicat. Hodieq; ergo loan-
Matth. 3 nes clamat & dicit: Parate uiam domini, rectas facite semitas eius. Parare ergo iubemur uiam domini, scilicet non aggerem itineris, sed fidei puritatem. Dominus enim non terrenam semitam carpit, sed per secreta mentis incedit. Si quid igitur in hac uia fuerit moribus asperum, crudelitate durum, conuersatione pollutum, iubemur mundare, exæquare, componere, ut superueniens dominus nõ offendat in nobis, sed magis reperiat uiam castitate puram, procliuem fide, eleemosynis eminentem. Quod autem tali itinere in-
Psalm. 67 cedere soleat dominus, Propheta describit dicens: Iter facite ei qui ascendit super occasum, dominus nomen est ei. Sed uideamus, ipse Ioannes qui parare uiam domino iubet, quã ipse uiã parauerit saluatori. Per omnia plane aduenientẽ Christo tramitẽ uię suę composuit & direxit. Nam fuit utiq; ieiunus, humilis, parcus & uirgo. Omnes enim has uirtu-
Matth. 3 tes eius Euangelista describens ait: Ipse autẽ Ioannes uestitũ habebat de pilis camelorũ, & zona pellicea circa lumbos eius. Esca autem eius erant locustæ, & mel syluestre. Quæ igitur maior causa humilitatis in propheta, quàm contemptis mollibus uestimentis, pilorum asperitate uestiri? Quæ deuotior fides, quàm præcinctum zona paratum esse semper ad omne seruitutis obsequium? Quæ præclarior abstinentia, quàm spretis uitæ huius delicijs, stridulis uesci locustis ac melle syluestri? Quę omnia hęc quoniam prophetę usui erant, arbitror in his ipsis prophetiam fuisse. Nam utiq; cùm prænuncius Christi uestimentum habebat camelorum asperitate contextũ, quid aliud significat, nisi quod ipse Christus aduenies usurus esset indumento humani corporis, quod erat peccatorum asperitate densatum? & quod uelut immundissimę bestię, hoc est gentilis populi circundatus exuuijs deformitatem eius ipse gestaret? Zona uerò pellicea quid aliud demonstrat, nisi hanc fragilem carnem nostrã, quæ ante aduentum Christi dominabatur ad uitia, post aduentum eius restrictam esse ad uirtutem? ut quæ ante luxuriando dilatabatur in pinguedinem, nunc abstinendo attenuaretur in pellem? Exitum uerò eius quàm beatum legimus, scilicet quod psaltria regis filia post illã mimicã uoluptatem caput eius petierit. Quid mirum si psaltria occidit prophetã, quia luxuria semper est inimica iustitiæ: & quod iniquitas sine cessatione persequitur ueritatem? In quo facto grãde mysterium continetur. Nam utiq; ipsa psaltria synagogæ est comparanda, quæ Christum dum luxuriatur, occidit. Quod autem ista psaltria synagoga sit, dicit dominus ad Iudæos: Cantauimus

tauímus uobís,& non ſaltaſtis.Cur autem à Ioannís corpore caput ablatum ſit, manife- *Matth.11*
ſta res eſt.Ioannes(ſicut ſcripturis adſtruitur)typũ legis gerebat. De domino autem le-
gimus,quia uiri caput Chriſtus eſt.Ergo cùm à Ioãnis corpore caput eius aufertur,Chri *1.Cor.11*
ſtus quodammodo à Iudæis legis cultoribus ſeparatur. Remanſit enim illis ſine ſalua-
tore Lex exanimis & truncata.Nam ex eo utiq; Iudęi diuina non ſapiunt,ex quo ſine ca
pite eſſe cœperunt.Iter igitur facit domino qui inter cæteras continentiæ uirtutes matri
monij limitem non excedit,nec cõiugij præſcriptum terminum adulterina permixtio-
ne cõmaculat.Sunt enim nonnulli qui cum legibus uxores duxerint, contra diuinitatis
legem ſibi ſociant concubinas, non intelligentes quid contrahendo matrimonia pro-
prijs uinculis conſtrinxerunt.Qui enim legibus ducit uxorẽ, profitetur ſe contra legem
non eſſe facturum.Reum ergo ipſe ſe ſtatuit,qui adhibẽdo ſibi adulterã ius pollicitatio-
nis excedit.Sed dicit aliquis,uxorẽ non habeo,ideo mihi ancillam ſociaui.Audi quid di *Geneſ.21*
cat ſcriptura ad Abraham:Eijce ancillam,& filiũ eius:non enim hæres erit filius ancillæ *Galat.4*
cum filio liberæ.Si igitur ancillæ filius hęres non eſt,ergo nec filius eſt.Cur autem quęri
tur tale coniugium de quo ſuſceptus filius nec ſucceſſionis poſſit hæres eſſe nec ſangui
nis?Nec enim habere poteſt hęreditatis conſortium,qui non habet originis priuilegiũ.
Cur inquam quæritur tale contuberniũ, de quo nati,non filij ſint matrimonij, ſed teſtes
ſint adulterij?Cur huiuſmodi ſuſcipiũtur adulteri,qui patri pudori ſint,non honori? Di- *Sapien.3*
cit ſcriptura,Adulterorũ filij in conſummatione erunt, & ab iniquo thoro ſemen exter-
minabitur.Mulier igitur tua ſi talibus moribus prædita eſt, ut mereatur conſortium,me
reatur & nomen uxoris,præſta concubinæ tuæ libertatem & nomen uxoris,ne tu adul-
ter ſis potius quã maritus.Sed & ille iter facit domino Chriſtianus qui profeſſionis ſuæ
exhibet ei fidele ſeruitiũ,& caſtitatẽ quam promiſit,cuſtodit tam mente quàm corpore.
Sunt enim plerique qui ſingularẽ uitam proponentes, ſinguli eſſe non poſſunt,ſed quæ-
runt ſibi contubernia,atq; utinã fratrũ. Inueniſti Chriſtianũ monachum, cui cum fratre
non conuenit,& libentius ei conuenit cum ſorore,qui non ſequitur ſeniorẽ utilia com-
monentem,& ſequitur adoleſcentulam incongrua cachinnantem.eius & ſi ſyncere cor
pus ſit,anima non poteſt eſſe ſyncerís.Sed & ille clericus iter domino facit, qui ſecundũ
Euangelium uiuit,& per omnia obtemperat ſacerdoti.Aliqui enim cum ſint minus ſub
diti,moleſte ferunt,cùm à ſenioribus arguuntur.Dicunt,grauiter iraſcitur epiſcopus,pa
tientior eſſe deberet.Audi ergo optime clerice,ſacerdotis exigis patientiam, & tui non
exigis diſciplinam?Neſcis quia mihi ſalutis cauſa arguere aliquando permiſſum eſt,tibi
nunquam peccare conceſſum eſt?Dicit enim Apoſtolus:Increpa opportune,importu- *1.Tim.4*
ne argue.Eſto ergo in omnibus ſubditus ſacerdoti,ſi uis eum eſſe manſuetum.

De natali ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Sermo LXVI

Vm omnes beati Apoſtoli parem gratiam apud dominum ſanctitatis obti- *Maximi Epi-*
C neant:neſcio quo tamen pacto Petrus & Paulus uidentur præ cæteris pecu- *ſcopi.*
liari quadã in ſaluatorẽ fidei uirtute præcellere.Quod quidẽ ex ipſius domí-
ni iudicio poſſumus approbare.Nã Petro ſicut bono diſpẽſatori clauẽ regni cœleſtis de
dit:Paulo tanquã idoneo doctori, magiſteriũ Eccleſiaſticæ inſtitutionis iniunxit: ſcili-
cet ut quos iſte erudierit ad ſalutẽ,ille ſuſcipiat ad quietẽ:& quorũ corda Paulus patefe-
cerit doctrina uerborum,eorum animabus Petrus aperiat regna cœlorũ. Clauem enim
quodammodo à Chriſto ſcientiæ & Paulus accepit. Clauis enim dicenda eſt qua ad fi-
dem peccatorum corda reſerantur,mentium ſecreta pandũtur, & quicquid intrinſecus
clauſum tenetur,in palam rationali manifeſtatione producitur.Clauis inquam eſt, quæ
& conſcientiam ad confeſſionem peccati aperit:& gratiam ad æternitatem myſterij ſa-
lutaris includit.Ambo igitur claues à domino perceperũt,ſcientiæ iſte,ille potẽtiæ:diui
tias immortalitatis ille diſpenſat,ſcientiæ theſauros iſte largitur. Sunt enim ſcientiæ the *Coloſ.2*
ſauri,ſicut ſcriptum eſt:In quo ſunt omnes theſauri ſapientię & ſcientiæ abſcõditi. Ergo
beati Petrus & Paulus eminent inter uniuerſos Apoſtolos,& peculiari quadam præro-
gatiua præcellunt. Verum inter ipſos quis cui præponatur, incertũ eſt. puto enim illos
ęquales eſſe meritis,quia ęquales ſunt paſſione:& ſimili eos fidei deuotiõe uixiſſe,quos
ſimul uidemus ad martyrij gloriam peruenisſe. Non enim ſine cauſa factum putemus,
quod una die,uno in loco, unius tyranni tolerauere ſententiam. Vna die paſſi ſunt: ut

ad

ad Christum pariter peruenirent. Vno in loco: ne alteri Roma deesset. Sub uno persecutore: ut æqualis crudelitas utrunq; constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro uirtute. Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt? In urbe Roma, quæ principatum & caput obtinet nationum: scilicet ut ubi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis: & ubi gentilium principes habitabant, illic Ecclesiarum principes morerentur. Cuius autem meriti sint beatissimi Petrus & Paulus, hinc possumus intelligere: quod cùm dominus Orientis regionem propria illustrauerit passione, Occidentis plagam, ne quid minus esset, uice sui Apostolorum sanguine illuminare dignatus est. Et licet illius passio nobis sufficiat ad salutem, tamen etiam horum martyrium nobis contulit ad exemplũ. Hodierna igitur die beati Apostoli sanguinem profuderunt. Sed uideamus causam quare ista perpessi sunt, scilicet quod inter cætera mirabilia etiam magum illum Simonem orationibus suis de aeris uacuo præcipi
Act. 8 tij ruina prostrauerint. Cùm enim idem Simon se Christum diceret, & tanquam filium ad patrem assereret uolando se posse conscendere, atq; elatus subito magicis artibus uolare cœpisset: tunc Petrus fixis genibus precatus est dominum, & precatione sancta uicit magicam leuitatem. Prior enim ascendit in cœlum ad dominum oratio, quàm uolatus: & antè peruenit iusta petitio, quàm iniqua præsumptio. Antè Petrus in terris positus obtinuit quod petebat, quàm Simon peueniret ad cœlestia quò tendebat. Tunc igitur Petrus uelut uictũ illum de sublimi aere deposuit, & quodam præcipitio in saxo elidens, eius crura cõfregit. Et hoc in opprobrium facti illius, ut qui paulò antè uolare tenderat, subito ambulare non posset: & qui pennas assumpserat, plãtas amitteret. Sed ne forte hoc mirum uideatur, quod magus iste præsente Apostolo per aerẽ aliquandiu uolitauerit: hoc patientia Petri fecit. Permisit enim illum sublimius ascendere, ut altius caderet. Voluit eum in excelsum leuari à conspectu omnium, ut ruentem illum de excelso oculi omnium peruiderent. Hæc igitur est iniquitatis elatio, ut in altum se ferat, in sublime se erigat. Sed sancta oratio omnem humiliat superbiã, uniuersam deijcit uanitatem.

Item de natali sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. Sermo LXVII

NAtalem beatissimorũ Apostolorũ Petri & Pauli hodie celebrantes, diuersis epulis nos reficere debemus, & tantam festiuitatem magna cum lætitia celebrare. Quis enim talium uirorum solennitatem non magna cum lætitia debet celebrare? Quis enim taliũ uirorũ solennitate non magnos sibi exhibeat apparatus, ut quo plus expenderit, plus se Apostolos confirmet amare? Veruntamẽ non opus est proprio sumptu ad refectionem nostram, nam natali suo sanctus Petrus ipse nos reficit. Est enim omnibus copijs refertum uas ei, quod illi de cœlo esurienti delatum est. Igitur qui esurit sicut Petrus, reficit ipse cum Petro. Vt quid ergo præparemus nobis propriũ prandium, cum Apostolico ferculo saginemur? Cur nobis inquiramus terrenas epulas,
Ibidem. 10 cùm cœlestes copias habeamus? Dicit enim sanctus Lucas in Actib. Apostolorũ post orationem esuriẽti Petro circa horam sextam aperto cœlo uas quoddã splendidũ uelut linteum fuisse delatum, in quo erant quadrupedia & repentia terræ, & uolatilia cœli, &
Ibidem. 8 dixisse dominũ ad eum: Petre surge, immola & mãduca. Ecce Petrus qui dicit alibi: Aurum & argentũ non est mihi: nunc cõuiuij eius uasculũ splẽdidius est argẽto. Et qui propter Christũ argenti speciẽ refutasset, per Christũ argẽti nitore ditatur. Pransuro igitur Petro desunt cocorũ apparatus, desunt obsequia famulorũ, sed quod est melius, ministeria diuina nõ desunt, et utili cõmutatione sancto uiro quod deest in terris, abũdat in cœlis. Vt reficiatur enim Petrus, non cellariũ sollicite reseratur, sed cœlũ ipsum protinus aperitur. Legimus in scripturis sanctũ Heliam in deserto coruis ministrantibus pastũ: quan-
3. Reg. 17 to melius Petrus, cui non paruam escam tetra auis porrigit, sed integrũ conuiuium multitudo Angelica subministrat? Post orationem ergo esurijt Petrus. Mirandum cur sanctum uirũ post orationẽ fames sequat, cùm soleat fames oratione depelli, esuriẽs anima non nisi obsecrationibus saginari? Sed puto Petrũ post orationẽ non cibũ esurisse hominum, sed salutem, nec inedia uexatũ esse corporis, sed inopia credẽtium laborasse. Cum enim Iudaicus populus perfidus & ingratus illo prædicante Christo non crederet, famẽ quodãmodo Petrus sui officij sustinebat. Famem em̃ patit̃ qui minime fructũ sui laboris assequitur. In cœnaculum igitur ad orationem festinus ascẽdit. Bene ait in cœnaculum

ad

ad orationem ascendisse Petrum, quia omnis sanctus quando orat, relinquens humilia uel terrena in altum mētis extollitur, & in sublime suspensus rapitur, & cogitatione sancta cœlo uicinus efficitur. Atq; ibi esurienti illi, hoc est cogitanti in cordis sui sublimiori loco pro salute Iudaici populi, offertur uas diuersorum generum animalibus plenum, uelut diuinitate dicente illi: Tu in Iudæos solos esuris, ecce famem fidei tuæ cunctarum gentiū diuersitate reficio. Nā utiq; diuersa animalia collecta in uno uasculo, diuersarum gentiū congregatio collecta in una ecclesia demonstratur, quæ ecclesia in illius uasculo splendido dum non habet maculam neq; rugam, lintei nitore resplendet. In qua primū animal deo ex gentibus Centurio Cornelius est immolatus. De hoc ergo uasculo suo hodie nos reficit Petrus. Cùm enim uidemus gentilium turbas ad fidem Christianitatis accurrere, simul cum Apostolis gratulamur. Non enim mortui sunt quorum curamus natalē hodie, sed renati uiuunt pane, quia participes effecti sunt Christi, qui uita est omnium. Quamuis enim corpora passione cessa sint, interruptus tamen non est ordo uiuentium. Iugiter enim & deo gratias agunt, & laudes saluatori referunt, nisi quòd resoluta membrorum sarcina magis adhærent Christo, sicut ait Paulus: Dissolui, & cum Christo esse, quanto melius? Non ergo dicenda est mors qua interueniente caremus persecutoribus, & Christo connectimur. Non est planè dicenda mors, quæ Christo mortuum socians lucrum efficit moriētis, sicut ait beatus Apostolus: Mihi enim uiuere Christus est, & mori lucrum. Illa autem uera est mors, quę etiam uiuentem hominem peccatorū morte constringit: qui quamuis uiuere uideatur, sceleribus tamen suis morti iam uidetur addictus, sicut ait Apostolus de illa delicíosa uidua: Hæc autem uiuens, mortua est.

Ephes. 5

Philip. 1

Ibidem.

1. Tim. 5

Item de eodem. Sermo LXVIII

NOtum omnibus uobis est fratres, & uniuerso mundo notissimum, quod beatissimorum Petri & Pauli natalis est hodie, nec aliquam partem orbis latere potest tanta deuotio. Siquidem de ijs dicat Dauid propheta: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. In omnem terram mirabilium Petri uirtus diffusa est, & in fines orbis terræ epistolarum Pauli uerba penetrarunt. Quis enim non audiuit quod primum Petrus sedenti ad portā speciosam claudo, & ex matris suæ olim uentre iam debili pedum restituerit firmitatem, ut quod natura minus contulerat, Apostolica gratia repararet? Cùm enim idem claudus stipē rogans, aliquid pecuniæ se ab apostolis crederet accepturū, ait illi Petrus: Argentum & aurū nō habeo, sed quod habeo, hoc do tibi. In nomine domini nostri Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Beata plane largitas, quæ petenti argentum quidem non contulit, sed contulit sanitatem. Beata largitas, quæ de thesauris suis aurum non protulit, sed protulit medicinā. Beatus & ille claudus, qui dum stipem quærit pecuniæ, diuitias incolumitatis accepit. Hoc enim ab apostolis donatū meruit, quod nullis thesauris à medicis redimere potuisset. Primū ergo signum mirabilium suorum Petrus fecit, claudo pedum restituendo uestigia. Diximus frequēter ipsum Petrum à domino nuncupatum, sicut ait: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Si ergo Petrus petra est super quā ædificatur ecclesia, recte prius pedes sanat: ut sicut in ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Recte inquam primū in Christiano pedes curat, ut iam nō intrepidus nec imbecillis possit super petrā ecclesiæ, sed robustus & fortis incedere. Vbi autem uerba Pauli apòstoli non leguntur? Quis locus ea nō literis inscribit, corde retinet, conuersatione custodit, quia Paulus à domino uas electionis est nominatus? Bonum uas in quo preciosa mandatorū Christi præcepta conduntur Bonum uas de cuius plenitudine substantia uitæ populis semper erogatur, & plenū est. Optima apostolorum nomina, petra, & uasculum, necessaria domui saluatoris. Domus enim fortitudinis petra construitur, utilitate uasis ornatur. Petra ad firmitatem ne labantur sustentat populos, uas ad custodiā ne tententur operit Christianos. Exitus uerò eorū de hoc seculo quàm beatus fuerit, nemo est qui nesciat. Nam prima hæc in illis beatitudo est, quod ambo una die passi esse noscuntur, scilicet ut quos una fides seruitio deuinxerat, una dies martyrio coronaret. Deinde ipsa passio licet diuersa in singulis fuerit, tamen quanta referta est gratiæ sanctitate? Nam Petrus crucis, sicut saluator, exitum tulit, & à dominicę deuotionis similitudine nec morte discretus est, scilicet ut quē imitabatur

Matth. 16

Act. 3

Psalm. 18

fide, imitaretur & passione. De Pauli uerò ceruice, cùm eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis unda quàm sanguinis, & mirum in modũ sanctũ Apostolum baptismi gratia in ipsa cæde extitisse splendidum potius quàm cruentum. Quæ
1.Cor.3 quidem res in sancto Paulo stupenda non est. Quid enim mirũ si abundat lacte nutritor ecclesiæ, sicut ipse ad Corinthios ait: Lac uobis potum dedi, nõ escam? Hæc est plane re
Exod.3 promissionis illa terra quam patribus nostris deus promisit dicendo: Dabo uobis terrã fluentem lac & mel. Non enim de hac terra locutus est quæ manantibus aquis cœnum inuoluit, lutumq; permiscet, sed de illa terra Pauli, & similium Pauli, quæ iugiter purum suaueq; distillat. Quæ enim Pauli epistola non melle dulcior est, lacte candidior? Quæ epistolæ tanquam ubera ecclesiarum populos enutriunt ad salutem. De ceruice ergo Apostoli pro sanguine lac manauit. Legimus in ipso quoniã caro & sanguis regnũ dei non possidebunt. Igitur iam Paulus possidet regnum, quoniam caret & sanguine, qui
1.Corin.1 impedire dicitur regnaturum. Adhuc ergo Paulus in terris positus etiam in regni cœlestis substantiam transformatur.

De natali sancti Eusebij Vercellensis episcopi. Sermo LXIX

A D sancti martyris Eusebij laudem aliquid addere uelle, decerpere est. Tam ineffabilium enim doctrinarum magister extitit, ut merita eius facilius operibus cognosci possint, quàm sermonibus explicari. Tantum autem de eo conscientia retinet, quantum oratio & narratio non præualet. Igitur gesta illius non uerbis adornãda sunt, sed perstringenda sententijs, præsertim qui scimus eam rem comere non debere sermonibus, quam uidemus iam comptam esse uirtutibus, cùm dicat Apo-
Ibidem.4 stolus, Regnum dei non in sermone est, sed in uirtute. Ergo ad merita eius aliquid addere uelle, decerpere est, me præcipue, qui & ignarus rerum gestarum sim, & literarum imperitus sacrarum, & rudis sacerdotalium functionum. Potuissent autem prædicare sancti hæc præcessores mei usu facilius, experimento probatius, doctrina præclarius, dominum & patrem specialiter beatum. Exuperantium loquor, qui fuit eius minister in sacerdotio, comes in martyrio, particeps in labore. In cuius uultibus sanctum quoq; Eusebium uidere nos credimus, & quasi in quodam speculo bonitatis illius imaginem contuemur. Facile enim cognoscimus qualis magister fuerit, cuius talem uidemus esse discipulum. Sed quoniam confessionis illius similis hunc gloria comitatur, mauult reticere laudes paternas, ne proprias pariter iactare uideatur. Quid ergo de martyris Eusebij
Prouer.10 gloria prædicem, cuius tota plebs ista sit gloria? Et cùm dicat scriptura, Gloria patris est filius sapiens: quantæ huius sunt gloriæ, qui tantorum filiorum sapientia & deuotione lætatur? In Christo enim Iesu per Euangelium ipse uos genuit. Quicquid ergo in hac sancta plebe potest esse uirtutũ & gratiæ, in sancti Eusebij magisterio reperitur. Ex hoc autem quasi quodam uirtutum fonte lucidissimo riuulorũ hæc puritas emanauit. Nam quia castitatis uigore pollebat, propositũ uirginitatis instituit: Quia abstinentiæ gloriabatur angustijs, monachorũ introduxit forte seruitium. Quia blandimentis erat præditus lenitatis, cunctorũ ciuiũ in deum prouocauit affectũ. Quia pontificij administratione fulgebat, plures è discipulis sacerdotij sui elegit heredes. Quamuis igitur nonnulli liberis suis relinquant auri argentiq; thesauros, nemo tamen sancto Eusebio ditiores reliquit. Siquidẽ omnes extiterunt aut sacerdotes, aut martyres. Nam ut cætera taceã, illud quàm admirabile est, quod in hac sancta ecclesia eosdem monachos instituit, quos clericos, atq; ijsdẽ penetralibus sacerdotalia officia cõtineri, quibus & singularis castimonia conseruatur, ut esset in ipsis uiris cõtemptus rerum, & accuratio leuitarum: ut si uideris monasterij lectulos, instar orientalis propositi iudices, si deuotiones cleri perspexeris, angelici ordinis obseruatione gaudeas. Illud autẽ tacendum omnino non arbitror, quòd cùm Arrianorũ detestanda perfidia totamcũ uniuerso mundo Italiã perturbasset, atq; eiusdem pestilentiæ sacerdotes simplicitatẽ sancti Dionysii martyris captiuassent, ita ut subscriptionis eius uinculũ retinerent, qua illum è manibus eorum sapientia libera
1.Cor.9 uit? Sicut enim ait sanctus Paulus, Factus sum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudeos lucrifacerem: ita Eusebius hæreticis hæreticum se esse mentitus est, ut de hæresi filium liberaret. Dixit enim se eorum consentire perfidiæ, hoc sibi placere quod illis, sed quod sibi filium Dionysium in subscribendo præponerent, grauiter se moueri. Vos enim, inquit, qui

dicitis

dicitis filium dei patri deo ęqualem esse nō posse, cur mihi filium prętulistis? Qua illi ratione permoti, statim sancti Dionysii chirographum deleuerunt, priorē locum subscribendi beato Eusebio deferentes. Quos ille increpans & irridens ait, Neque ego me uestris sceleribus polluo, neq; filium meum uobiscum participare permitto. Vnde cùm dicat Euangelium in hac generatione prudentiores filios tenebrarum esse quàm lucis, ecce hic ipsis tenebris prudentior filius lucis inuētus est. Tunc illi grauiter indignantes ita nequitiam suam fuisse delusam, nouis eum per Constantium principem passionibus uexauerunt. Nam post multas iniurias Orientis plagę illum in exilium relegarunt, in quo tanta passus est, ut martyrij inuictā gloriam reportaret. Dicitur enim inter cætera passionum genera hoc pœnale passionis suppliciū pertulisse, ut dum interrogaretur ab Arrianis, & se eorum cōmunicare perfidiæ denegasset, scalarum procliui tractu supinis pedibus ad imum usq; pertraheretur, & iterum reuocatus ad summum, interrogatus denuo cùm eadem respondisset, eadem pateretur, ac sic frequentem interrogationē frequenter huiusmodi supplicium fuerit subsecutum. In qua passione sancti Eusebij martyris licet fuerit quassatū caput, elisum corpus, membra cōfracta, animus tamen fidei mansit inuictus. Nam quanto plus illum Arriana perfidia corporaliter lacerabat, tanto magis eum catholica integritas spiritualiter refouebat. Quem quidē scalarum ascensum atq; descensum possumus dicere quem Iacob somnians prophetarit: & sicut ille uidit etiam istas scalas ab imo ad cœlestia usq; pertingere, sic quidem per has & Eusebius ascendit ad cœlū, & Arriani ad inferos descenderunt. Vnde fratres sanctum Eusebium Machabæorum martyrum choro annumerandum puto. Siquidem illi singulis membris martyrium pertulerunt, hic autem totius corporis passione dominum sit confessus, nec disparem eorum esse gratiam quos etiam dies una in martyrio copulauit.

Luc. 16

Genes. 28

2. Macha. 7

Item de depositione sancti Eusebij. Sermo LXX

D Epositionem sancti Eusebij hodie celebramus. Quid est depositio? Non illa utiq; quę sepeliendis in terra membrorum reliquijs clericorū manibus procuratur, sed illa qua homo uinculis carnalibus absolutus, liber iturus ad cœlum terrenum corpus exponit. Ipsa plane est depositio, in qua concupiscere abijcimus, cessamus delinquere, peccare desinimus, & totum quicquid saluti est graue, quasi abiecta sarcina oneris, exponimus. Nam ideo hæc dies pro celebritate maxima procuratur, quia uere est summa festiuitas, mortuum esse uitijs, soli uigere iustitiæ. Vnde & depositionis ipsa dies natalis dicitur, quòd delictorum carcere liberati, libertati nascimur saluatoris. Sed uideamus, sanctus Eusebius cum qua gloria ad hanc diem depositionis aduenerit. Dicitur enim ante aliquantum temporis exitus sui manifesta reuelatione uidisse se kalendis Augusti de monte ad montem uolare, & prophetia quadam hoc interpretatus est hac die exiturum se esse de corpore. In quo facto nescio quid primum sit admirandum, utrū quod meruit exitus sui finem nosse, an quod scire potuerit quæ illū post exitū gratia permaneret. Dicit sanctus Dauid: Notū fac mihi domine finem meum, & numerum dierum meorū, & reliqua. Ecce quod Propheta optauerat, martyr accepit, notitiam quā illi exorat, iste consequitur, nisi quod salua fide dixerim, amplius promereatur. Ille enim finem postulat nosse, iste etiam ultra finem quid futurum esse agnoscit. Ille usq; ad exitum quid desit ignorat, iste post exitū quid supersit edixit. Volare ergo se in hac die uidit martyr Eusebius, sicut scimus. Volare nō potest nisi quod purum, leue, atq; subtile est, cuius nec syncerita intēperantia retardatur, nec alacritas, nec uelocitas mole grauatur. Grauari autē uolatū dico non tam mole membrorū quàm delictorū. Vnde puto etiam in ipsis auibus ideo uelocius columbam pene præ omnibus uolitare, quòd alacritatem & innocentiam comitetur. Denique sanctus Dauid cum puritate mētis uolare concupisceret, non alterius animantis nisi columbæ optauit alas, dicens: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & uolabo & requiescam? Intelligebat enim quòd altiora facilius penetrantur simplicitate mētis quàm leuitate pennarum. Volauit ergo hac die sanctus Eusebius. Festiuemus iam eius innocentiam de uolatu, & puritatem eius de ipsa elatione iudicemus, tanquam columba enim in domo dei degens assumpsit spirituales pennas, & requieuit in monte. Et licet ipse de monte ad montem uolare se dixerit, tamen in ipsa translatione maiorē requiem fuisse significo. Quid enim aliud est est de monte ad

Psalm. 38

Psalm. 54

montem uolare, niſi de ſaluatoris gratia ad patris gloriã properare? Ipſi enim ſunt mon-
Daniel. 2 tes, ſicut dicit propheta: Mons de monte ſine manibus concidentium, hoc eſt filius de patre abſq; ullius creationis acceſſu.

De natali ſancti Laurentij leuitæ & martyris. Sermo LXXI

Inuenitur etiã inter Auguſtinianos de ſanctis. 30

Eatiſſimi Laurentij martyris, cuius natalem hodie celebramus, paſſionem
B noſſe uos credo: & quanta in perſecutione pertulerit, dilectionem ueſtram ſcire poſſe non dubito. Tanta enim martyrij eius gloria extitit, ut paſſione ſua mundum illuminauerit uniuerſum. Illuminauit mundum plane Laurentius eo lumine quo ipſe accenſus eſt, & flammis quas ipſe pertulit, omnium Chriſtianorum corda calefecit. Quis enim hoc exemplo nolit pro Chriſto ardere cũ Laurentio, ut poſſit à Chriſto cum Laurentio coronari? Quis nolit ad horam uri Laurentij igne, ut æternum gehennæ non patiatur incendium? Beati igitur Laurentij prouocamur exemplo ad martyrium, accendimur ad fidem, incaleſcimns ad deuotionẽ: Et ſi nobis perſecutoris flamma deeſt, fidei tamen flamma nõ deeſt. Non ardemus quidem corpore pro Chriſto, ſed ardemus affectu. Non ſubijcit mihi perſecutor ignem, ſed ſuggerit mihi ignem deſiderium ſaluatoris. Eſſe autem ſaluatoris ignem legimus in Euangelio, dicente eodem domino: Neſcitis quia ignem ueni mittere in terram, & quid uolo niſi ut accendatur? Quo
Luc. 12 igne ſuccenſi Amaus & Cleophas dixerunt: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis in
Ibidem. uia, cùm aperiret nobis Ieſus ſcripturas? Hoc igitur igne beatus Laurentius accenſus, flammarum non ſenſit incendiũ: & dum Chriſti ardet deſiderio, perſecutoris pœna non ardet. Inquantum enim in illo fidei ardor feruet, intantũ ſupplicij flamma frigeſcit. Corporali enim beatus Laurentius dum laborat incendio, hinc amore Chriſti ſuccenditur, inde perſecutoris flamma torquetur, ſed diuinus ſaluatoris ardor materialem tyranni reſtinguit ardorem. Quamuis enim in fauillam membra ſoluantur, fidei tamen fortitudo non ſoluitur. Corporis detrimentum ſuſtinet, ſed lucrum ſalutis adquirit. Non enim fratres beatus Laurentius cita uel ſimplici paſſione perimitur. Nam qui gladio percutitur, ſemel moritur, qui in flammarum camino mergitur, uno impetu liberatur: hic autem longa & multiplici pœna cruciatur, ut mors differatur, & non deſit ad ſupplicium, & deſit ad finem. Dicitur enim ab illo ſæuiſſimo perſecutore hæc illi conſtituta pœna, ut ardentium expoſita mole carbonum inſuper eum ferrea crate diſtentũ lenta flamma conſumeret, ut non tam inflammando cito interimeret hominem, quàm diu exurendo torqueret: ita ut cùm unum latus exuſtum perſecutor cerneret, aliud latus ignibus obijce-
Daniel. 3 ret exurendum. Legimus Ananiam, Azariam & Miſael beatiſſimos pueros à rege in camino ignis incluſos, in pœnarum ſuarum deambulaſſe flammis, & igneos globos pedibus conculcaſſe. Vnde & beatus Laurentius nõ minori eſt gloria præferendus. Siquidẽ illi in pœnarum ſuarum flammis ambulant, hic in ipſo ſupplicij ſui igne diſcumbit. Illi ueſtigijs pedum conculcant incendia, hic laterum ſuorum deuotione reſtinguit. Illi inquam ſtantes in pœnis eleuatis manibus orabant dominum: hic autem proſtratus in ſua pœna toto corpore deum deprecatur. Iterum ergo beatus Laurentius exuſtis lateribus in dorſum ſupinus uertitur, & renes eius ignibus exurũtur, ut impleretur Pſalmi prophe-
Pſalm. 138 tia, quæ dicit ex perſona Laurentij: Proba me domine, & tẽta me, ure renes meos, & cor meum. Duplici ſe utiq; poſtulat igne cõburi. Nam ſi de uno & ſolo mundi igne loquere tur, ſufficeret renes tantũ exurendos incendijs obtuliſſe, cor autẽ niſi Chriſti flamma nõ
Luc. 24 urit, ſicut Amaus & Cleophas dixerunt: Nonne cor noſtrum erat ardens in uia, cùm aperiret nobis dominus ſcripturas? Atq; ideo ad comprobandam deuotionem ſuam geminum ſibi ignem poſtulat, ut luctamine habito oſtendat in ſe plus poſſe amorem Chriſti, quàm pœnam tyrãni. Honoremus igitur fratres beatum Laurentium, qui dum fide ſua perſecutoris flammas uicit, oſtendit nobis per ignem fidei gehennæ incendia ſuperare, & amore Chriſti diem iudicij non timere.

De natali ſancti Cypriani. Sermo LXXII

Maximi epiſcopi.

Ancti Cypriani feſtiuitatem, ſicut omnibus notum eſt, hodie celebramus, &
8 natali, ſicut dicunt imminente uindemia, natalem eius martyrij procuramus. Conueniunt igitur uota noſtra, & mundi. Mundus uindemiarum ubertate lætatur: nos ſanctorum paſſione gaudemus. Quæ quidem paſſio uindemijs cõparanda eſt. Sicut

est. Sicut enim uuarum expressione uinum funditur, ita & sanctorum martyrio uini uice sanguis effunditur, nisi quod uua tẽporales fructus præstat, passio sempiternos. Recte ergo martyriũ uindemijs cõparatur. Habet enim & ebrietatẽ suã, habet & calicẽ suũ, de quo dicit propheta Dauid: Et calix meus inebriãs quàm præclarus est. Et ipse dominus in passionis suæ exitu constitutus ait: Pater si possibile est, trãseat à me calix iste. Et iterum Propheta: Calicẽ salutaris accipiam, & nomẽ domini inuocabo. Recte inquam calix martyrio cõparatur, quia sicut calix lætificat cùm bibitur, ac omnis humor noxius uini calore decoquitur: ita & martyrij poculũ cùm hauritur, omnes peccatorũ fæces expurgantur, & passionis gloria temperantur. Vinum ergo quoddã salutare martyriũ est, quod cordi lætitiã præstat, calorẽ fidei, animæ puritatẽ. Vinũ plane est spirituale, de illa uua quæ pro salute omniũ pependit in ligno expressum. Sicut enim botrus redditurus uinũ prius in uinea quadã naturæ arte suspenditur: ita & Christus educturus uinum spirituale martyrij in crucẽ quadã prouidentia diuinitatis aptatur. Ipse plane botrus est, quẽ duo exploratores illi, hoc est Iesus Naue & Caleb filius Iephone in phalanga ad filios Israel proprijs humeris detulerunt. Quod quidẽ factum iam tunc præfigurabat aduentũ domini saluatoris. Nam botrus in phalanga suspensus, in cruce Christus appensus ostenditur. Duo autem in phalanga portantes uuam, duo populi demonstrantur, Christianus uticq; & Iudęus. Et sicut mos est portantiũ, unus præcedens, alter subsequens: ita prior Iudæorum designatur populus, Christianorum secundus. Et sicut antecedẽs quod portat non uidet, & retrorsum id semper habens quadam dorsi auersione contemnit: qui autẽ sequitur, semper id oculis perspicit, semper custodit obtutibus, semper corporis uicinitate potitur: ita ergo Iudęus, & Christianus populus. Iudęus enim prior est, Christum in lege portat, & nescit, & retrorsum eum ponens, quadam dorsi auersione cõtemnit. Vnde ait Propheta: Obscurentur eorum oculi ne uideant, & dorsum ipsorum semper incurua. Christianus uerò sequens populus Christum semper oculis aspicit, semper custodit obtutibus, & quadam graduum suorum uicinitate complectitur. Et quanto eum ille populus prauo itinere post se relinquit, tanto eum iste directo cursu festinat attingere.

Psalm.22 *Matth.26* *Psalm.115* *Numer.13* *Psalm.68*

Item de sancto Cypriano. Sermo LXXIII

Hic sermo adscribitur Maximo episcopo Mediolanensi.

A Nte dies, cùm beatissimi martyris Cypriani celebraremus natalem, suauissime in eius festiuitate iucundati sumus: quia enim hoc uindemiarum tempore passus est, tanquã & nos de uindemia dulces & uarios fructus ex eius passione collegimus. Impinguauit enim nos, & refecit musto martyrij sui. Est enim mustum quod reficit & inebriat Christianum, sed ebrietas illa magis sobrium facit. Qui enim inebriatur cœlesti gratia, exobriatur sarcina peccatorum. Hoc nanq; musto repleti sancti apostoli, sicut ait scriptura, alienis linguis dei magnalia loquebãtur. In quo facto pariter ebrij esse uidebantur, & sobrij. Ebrij enim putabãtur, quod in ijs loquela præter naturam altera personabat. Sobrij erant, quod iuxta consuetudinem mentis deum deuotione laudabant. Quod quidem non elatione aliqua aut impudentia contigit, ut uiri sancti peregrino sermone loquerentur, sed prouidentia diuinitatis factum est, ut quia ad magnificandum deum una loquela non sufficit, per plures linguas mentis deuotio solueretur. Iucundati enim sumus, quia de uinea domini sabaoth, sicut dicit propheta, domus Israel est, quæ domus nos sumus. Secundum fidem enim Israelitæ nos sumus. Vnde dicit Apostolus: Quia si ex fide sunt ij, filij sunt Abrahę. Quoniam igitur nos sumus Israel, uinea domini sumus, uideamus diligenter ne ex palmite operis nostri non nascatur dulcedinis uua, sed fellis: ne dicatur nobis quod Iudæis dictũ est per prophetam: Sustinui ut faceret uuam, fecit autẽ spinas: & non iustitiam, sed clamorẽ. Quàm dura conditio, ut possessio, quæ domino suo suauitis fructus afferre debuit, spinarũ illum asperitate compunxerit. Hoc est, cùm Iudei saluatorem debuerint tota fidei deuotione suscipere, spinarum eum coronauerunt passione. Quæ corona quidem, quantum in Iudæis est, erat iniuriarum contumelia: quantum in domino, erat corona uirtutum. Compungunt ergo Iudæi dominum dum coronant, compungunt dum crucifigunt. Vnde ait scriptura sancta: Videbunt in quẽ cõpunxerunt. Igitur fratres uidete ne & nobis dicatur: Sustinui ut faceret uuam, fecit autem spinas. Hoc est, ne spinas quas domino Iudæi cruentis impoſue-

Act.2 *Esaiæ 5* *Galat.5* *Esaiæ 9* *Ioann.19*

impoſuerunt manibus,nos iniquis ſenſibus apponamus,& cõpungamus eum non aſpe
ritate ſentium,ſed operum prauitate. Sunt enim ſpinæ cordis,quę uerbum dei etiam uul
Matth.13 nerare conſueuerunt,de quibus meminit in Euangelio ſaluator,dicens ſeminantis ſemẽ
cecidiſſe inter ſpinas,& creuiſſe eas,ac ſuffocaſſe quod ſatum eſt. Quæ autem ſpinæ ſint,
ipſe proſequitur dicens utiq; ſolicitudines eſſe mũdanas, quæ cùm creſcunt in corde ho
minis,mandata in eo ſaluatoris ſuffocant. Quis enim unquam ſolicitus de mũdo, potuit
bene ſolicitus eſſe de Chriſto? Quis dum lucris domus ſuæ prouidet,utilitatibus eccle-
1.Corin.7 ſiæ potuit prouidere? Vnde ait Apoſtolus: Qui ſine uxore eſt,ſolicitus eſt quæ ſunt do-
mini,quomodo placeat deo: qui autẽ cũ uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi,quomo
do placeat uxori. Ergo fratres uidete ne uinea ueſtra nõ uuas, ſed ſpinas faciat, ne uinde
mia ueſtra non uinum afferat,ſed acetũ. Quiſquis enim uindemiam legit, & pauperibus
non largitur: ille acetum colligit, non uinũ. Quiſquis meſſes recondit, & indigentibus
non miniſtrat,iſte non alimoniæ fructus repoſuit,ſed tribulos auaritiæ congregauit. Nã
Geneſ.3 propterea ait ſcriptura de terra ueſtra: Spinas & tribulos germinabit tibi.

De natali martyrum. Sermo LXXIIII

Ignum & congruum eſt fratres,ut poſt lætitiam paſchæ quam in Eccleſia ce-
D lebrauimus,gaudia noſtra cum ſanctis martyribus conferamus,& ijs annun
ciemus dominicæ reſurrectionis gloriam, qui conſortes ſunt dominicæ paſ-
ſionis. Qui enim ſocij ſunt contumeliæ, debent & participes eſſe lætitiæ. Ita enim dicit
2.Cor.1 beatus Apoſtolus: Sicut ſocij paſſionum eſtis,& reſurrectionis eritis,ſi tolerabimus,in-
2.Tim.2 quit,& cõregnabimus. Qui ergo tolerauerunt mala propter Chriſtũ, debent & gloriam
habere cum Chriſto. Annunciemus inquam ſanctis martyribus dominicæ paſchæ gra-
tiam,ut dum ſepulturæ illius prædicamus reſerata clauſtra, & horum ſepulchra reſeren-
tur. Dum corpus illius mortuum dicimus tepentibus uenis ſubito uiguiſſe, horũ quoq;
membra iam frigida immortalitatis calore foueantur. Eadem enim ratio martyrem ſu-
ſcitat,quæ & dominum ſuſcitauit. Nam ſicut uitam paſſionis eius experti ſunt: ita expe-
Pſalm.15 rientur & uitę. Scriptum eſt enim in Pſalmo: Notas mihi feciſti uias uitæ. Hoc utiq; in re
ſurrectione ex perſona dicitur ſaluatoris,qui dum poſt mortem ab inferis redit ad ſupe-
ros,incipiat notam habere uiam uitæ quę ante habebatur ignota. Ignota enim erat ante
Chriſtum uia uitę,quæ nullius adhuc reſurgentis fuerat temerata ueſtigio. At ubi domi-
Matth.27 nus reſurrexit,nota facta ſolo attrita eſt plurimorum. De quibus ſanctus Euãgeliſta ait:
Multorum corpora ſanctorum ſurrexerunt cum eo, & introierunt in ſanctam ciuitatẽ.
Vnde cum dominus in reſurrectione ſua dixerit: Notas mihi feciſti uias uitæ, poſſumus
& nos iam dicere domino: Notas feciſti nobis uias uitæ. Ipſe enim nobis notas fecit uias
Pſalm.15 uitæ, qui nobis ſemitam manifeſtauit ad uitam. Notas enim mihi fecit uias uitæ, cùm
me docuit fidem,miſericordiam,iuſtitiã, caſtitatem. His enim peruenitur itineribus ad
ſalutem: & licet nos in reſolutione corporis mortis umbra circundet, tamẽ greſſus ſuos
uita non deſerit,ſed inter ipſas medias inferni leges incunctanter Chriſti uirtutibus am-
Pſalm.22 bulamus. Vnde ait ſanctus Propheta: Nam & ſi ambulauero in medio umbræ mortis,
non timebo mala, quoniam tu mecum es. Quod manifeſtius dominus ait de fideli, di-
Ioann.11 cens: Qui autem credit in me, non morietur. Et licet moriatur,uiuet. Ergo fratres cum
ſanctis martyribus paſchæ domini gloriam conferamus. Conferamus inquam: & licet
melius nouerint omnia, tamen nos illis prædicemus quemadmodum de ſepulchri gre-
mio reſurrexit ad ſuperos. Illi nobis reuelent quo pacto de inferni profundo remeauerit
ad ſepulchrum. Notum inquam nobis faciant quemadmodum in exanime iam corpus
& frigidum ſeſe calor inſinuauerit,ſpiritus ingeſſerit,ſanguis infuderit,& gelatas humo
re uenas priſtini uigoris pulſus agitauerit. Notum inquam nobis faciant quemadmodũ
organum corporis diſſipatum in priorem ſtatum neruorum rurſus coaptauerit reſoluta
compago,& harmoniam uiſcerum iam ſilentem in ueterem concentum ſpiritus uiuifi-
cans animauerit. Sacerdotes ergo prædicent quę ſaluator poſt reſurrectio-
nem mirabilia geſſit ad ſuperos, martyres reuelent quanta in
ipſa morte refrigeria operatus ſit in
defunctos.

In natali

In natali sanctorum Canti, Cantiani, & Cantianillæ. Sermo LXXV

Odie beatissimorum Canti, Cantiani, & Cantianillæ natalis est. Quàm bene
H [illegible]ucunde tres martyres uno pene uocabulo nuncupantur. Nec mirum si si-
miles sunt nomine, qui sunt similes passione, si una est illis apud homines ap-
pellatio, quibus apud deum est una uocatio. Vniter enim uocati sunt à domino, non in-
posito tempore aliter & aliter passi, sed omnes eodem ictu pariter martyrium pertule
runt. Quod quidem illis parentiua quadam à Christo affectione concessum est, ut con-
gruerent meritis qui uocabulis concordabant: & qui erant consanguinitate fratres: fie-
rent etiam sanctitate germani: et quorum membra unius corporis substantia uegetabat,
eorum animas eiusdem fidei confessio coronaret. Refert autem de beatis supradictis hi-
storia, quòd tempore passionis cùm eos persecutor inquireret, ascenso uehiculo iunctis
mulabus eos secedere uoluisse: & cùm non longe ab urbis mœnibus iter agerent, unum
animal de subiunctis subito corruisse, atq; ita illos à persecutoribus cõprehensos tentos
ad pœnam. Quod factũ quàm glorioſum sit, & à diuinitate dispositũ, debemus aduer-
tere. Semper enim deus quos elegit, hos uictores subuectione sublimi in aulã regni cœ-
lestis inducit. Nam sicut Helias curru applicito quasi ascendit ad cœlum: ita & isti uehi- 4. Reg. 8
culo admoto ad martyriũ peruenerunt: & quadriga sicut illũ euexit ad requiem, ita hos
portauit ad gloriam. Et quamuis illa ignea quadriga fuerit, hæc tamen inferior non ha-
benda est, quia illa unum gestauit prophetam, hæc tres martyres sustentauit. Sed dicit ali
quis: Glorioſius est gestari quadriga ignea, quàm terrena. Nec hoc plane defuit sanctis
uiris. Nam sicut Heliã ignea quadriga portabat, ita & martyres fides ignea iam ferebat.
Ferebat inquam illos Christus, qui lumẽ est, qui ignis est, de quo scriptum est: Dominus Deut. 4
noster ignis consumens est. Ergo cùm beatos de quibus loquimur, persecutor urgeret, Hebr. 12
uehiculũ conscenderũt. Qua causa ut fugerent? Absit. Non ut fugerẽt, sed ut ad marty-
rium citius peruenirent: nõ ut latitarent, sed ut Christianos se cũctis transeuntibus mani
festius approbarent. Cæterum occultius inter plures in ciuitate latere potuerant, tutius
per diuersa singuli fugæ præsidium commendare. Atuerò ubi quis congregatione habi
ta stratis uehiculis apparatu dispositio per aggerem publicum egreditur, illic non fuga
dicenda est, sed profectus est. Sancti enim uiri hoc facto uelut in triumphali curru positi
contestabantur dicentes: Ecce persecutor, ecce proficiscimur, ecce præcedimus, quid re
sides? quid moraris? Subsequere nostra uestigia. Nolumus enim uideri inuiti ducti ad
pœnam, qui præcedere nos profitemur ad gloriam.

De natali sanctorum martyrum. Sermo LXXVI

I quantum me necesse est dicere, & uos oportet audire, tantum prosequi cor
S poris mei posset infirmitas: profecto omnes excusati essemus: sed ego in-
sinuando præceptũ, uos exequendo mandatum. Sed quoniam imbecilitate
percellimur, quo minus quantũ oportet dicere ualeamus, excuset nos mentis deuotio,
quos nõ excusat prædicationis oratio. Hoc est, etsi à laudibus domini lingua cessamus,
mirabilia tamen eius fidei operibus approbemus, si non loquimur uerbis eius gloriã, fa-
ctis exequamur eius gloriam, quoniam dictis facta priora sunt. Nam dominus in Euan-
gelio ita dicit: Qui fecerit sic, & docuerit sic, magnus uocabitur in regno cœlorũ. Audis Matth. 5
ergo quoniam præcedit factum, subsequitur doctrina. Siquidẽ benefacere, prima do-
ctrina est. Cessantibus enim uerbis hoc ipsum docet hominẽ opus optimũ, dum uidetur:
quod etsi uoce aures non excitet, uirtute corda tamen cõpungat. Quis enim bonum fa-
ctum uidens non gaudeat, miretur, imitetur, ac ueluti tacito magistro utens eius exem-
plo doceatur? Dictis igitur facta præcedũt. Imò sine factis dicta nihil prosunt. Nam ideo
& dominus fieri uoluit, sic doceri, ne sine bono opere, uerborum inutilis esset & superfl
tiosa iactatio. Melius ergo docemur facto quàm uoce. Denique sancti martyres etsi uo-
ce tacent, factorum uirtute nos edocent: etsi lingua silent, martyrij passione persuadent.
Vnde quamuis disertus orator facundia sua mẽ doceat, id tamẽ quod utile est mihi, me-
lius disco exemplo sanctorũ, quã assertione uerborũ. Citius mihi persuadent oculi quod
cernunt, quàm auris potest insinuare quod præterit. Auditui enim cito irrepit obliuio.
Oculorum autẽ historia semper inspicitur. Quis enim non omnibus horis momentisq;
conspiciat quemadmodum tunc beati martyres propter nomen Christi diuersis subia-

cuere ſupplicijs, & de ipſis pœnis quodammodo triumphabant? Quanto enim plura patiebantur, tanto ſe uictoriosiſſimos credebant. Victoria enim eſt martyris, iudicium perſequentis, ſicut ſcriptum eſt: Et uincas cùm iudicaris. Cùm iudicatur enim martyr, & condemnatur, tunc uincit atq; proſternit. Tali enim iudicio non eſt addictus ad mortem, ſed abſolutus ad requiem. Ac per hoc, manifeſtiſſima ratione uicisſe eſt, nõ periſſe: Conſtat igitur ſanctos martyres plus paſſione docere quàm uoce, quamquam ipſa met paſſio ſine uoce non ſit. Legimus enim animas eorum deſub ara dei clamare uel dicere. Quouſque ſanctus & uerus non uindicas ſanguinem noſtrũ? Nam & deus dicit de ſanguine Abel ad Cain: Vox ſanguinis fratris tui clamat. Clamare igitur dicitur ſanguis qui innocens effuſus eſt, non tam uoce, quàm cauſa. Sic & ſanctorum martyrum animæ clamant, dum fidem atq; innocentiã ſuam ſenſibus noſtris ipſa paſſione commendant.

Pſalm. 50

Apoc. 6

Gene. 4

Maximi epiſcopi.

De natali ſanctorum Octauij, Aduentitij, & Solutoris Tauricorum martyrum. Sermo LXXVII

C Vm omnium ſanctorum martyrum fratres deuotiſſime natalem celebrare debemus, tum præcipue eorum ſolennitas tota nobis ueneratione curanda eſt, qui in noſtris domicilijs proprium ſanguinem profuderunt. Nam licet uniuerſi ſancti ubique ſint, & omnibus proſint: ſpecialiter illi tamen pro nobis interueniunt, qui & ſupplicia pertulere pro nobis. Martyr enim cum patitur, non ſibi tantũ patitur, ſed & ciuibus. Sibi enim patitur ad præmium, ciuibus ad exemplũ. Sibi patitur ad requiem, ciuibus ad ſalutem. Exemplo enim eorũ didicimus Chriſto credere, didicimus contumelijs uitam æternam quærere, mortem didicimus non timere. Videte ergo quid martyribus debeamus, in quo alter tortus eſt, ut alius ſaluaretur: Alter carnificem pertulit, ut Chriſtum alter agnoſceret: Alter morti addictus eſt, ut alius uita potiretur æterna: & ad poſtremum ſanctus occiſus eſt, ut peccator euaderet. Beati igitur martyres nec ſibi uixerunt, nec ſibi ſunt mortui. Exemplũ enim nobis reliquerunt: bene uiuendo, conuerſationis: tolerando fortiter, paſſionis. Nam ideo dominus per totum mundum diuerſis in locis pati martyres uoluit, ut tanquam idonei teſtes nos præſenti quodam fidei exemplo ſuæ confeſſionis urgerẽt, ut humana fragilitas quę prædicationi dominicę aditu longiore uix credit, uel preſenti oculorũ teſtimonio martyrio crederet beatorũ. Cuncti igitur martyres deuotiſſime percolendi ſunt: ſed ſpecialiter ij uenerãdi ſunt à nobis, quorum reliquias poſſidemus. Illi enim nos orationibus adiuuãt, iſti etiã adiuuãt paſſione. Cum his autem nobis familiaritas eſt. Sẽper enim nobiſcũ ſunt, nobiſcũ morantur: hoc eſt, & in corpore nos uiuentes cuſtodiunt, & de corpore recedentes excipiunt. Hic, ne peccatorũ nos labes abſumat: ibi, ne inferni horror inuadat. Nam ideo hoc à maioribus prouiſum eſt, ut ſanctorũ oſſibus noſtra corpora ſociemus, ut dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat: dum illis Chriſtus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum ſanctis ergo martyribus quieſcentes euadimus inferi tenebras, eorũ proprijs meritis, attamen conſocij ſanctitate. Ait enim dominus Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt ei. Si ergo Apoſtolo & martyri Petro inferni porta non pręualet: quiſquis ſociatur martyri, tartaro nõ tenetur. Martyres enim inferni porta non poſſidet, quoniã eos paradiſi regna ſuſcipiũt. Nam uidemus eos utiq; iam regnare. Cernimus enim ab ijs frequenter obſeſſos immundiſſimis dæmonibus homines liberari, ita ut cœleſti medicina & captiua anima de diaboli laqueis eruatur, & ipſe diabolus uinculis igneis alligatus producatur de ſua captiuitate captiuus, ut qui prædam paulò antè ceperat, ipſe ſubdatur in prædam. Hæc & alia potiora mirabilia per ſanctos fieri omnibus notum eſt. Et ideo fratres ueneremur eos in ſeculo, quos defenſores habere poſſumus in futuro. Et ſicut eis oſſibus parentum noſtrorum iungimur: ita & eis fidei imitatione iungamur. In nullo enim ab ipſis ſeparari poterimus, ſi ſociemur illis tam religione quàm corpore.

Matth. 16

Eſaiæ 1

Maximi epiſcopi.

De eo quod propheta ait ad filios Iſrael, Caupones ueſtri miſcent aquam uino. Sermo LXXVIII

N On incommode ante dies paucos profecuti ſumus functionem hanc ſacerdotalem uicem quandam negocij retinere, & quæſtum eſſe nõ modicũ hoc clericatus officiũ. Eſt quæſtus plane non modicus, ubi lucrũ non pecuniarũ, ſed

ſed adquiritur animarum: eſt magna negociatio, ubi redemptio hominis conſtat, nō annunciatione precij, ſed annunciatione præcepti. Præceptū enim Chriſti talentū quoddam eſt pretioſum, quo ſalus comparatur, quo uita redimitur: & magna eſt redemptio, cùm & precium datur, & pecunia non uidetur. Talentum ergo magnum præceptum eſt ſaluatoris, quod commodati uice apud idoneos proficere poteſt, apud negligentes non poteſt deperire. Alijs enim cū multiplici gratia reſtituitur, ab alijs cum pœnarū uſura deposcitur. Chriſtus enim talentū quod commēdat, neceſſe eſt ut requirat & ſoluenti gratiam referat, non ſoluentem ſubdat iniurijs. Subdit plane iniurijs more mundi, ut debitor qui redhibitione ſubſtantiæ ſatisfacere non poteſt, ſatisfaciat uel corporis ultione. Hoc ergo talentum fratres non prædicatione noſtra ueſtris pectoribus commendamus ut lucrum aliquod ſalutis ueſtræ domino deſignemus. Rationem daturi ſumus qualiter aut prædicatio noſtra proficiat, aut obedientia ueſtra fructificet. Nō enim ſine cauſa Euangelium annunciat, Apoſtolus clamat, ſacerdotes loquuntur: in cuiuſcunq; aures uox ſancta peruenerit, aut beatus erit deuotione, aut reus de conteſtatione. Loquimur enim beatitudinem credentibus, conteſtamur iudicium criminoſis. Mercimonium igitur eſt adminiſtratio ſacerdotum. Vnde & propheta dicit ad filios Iſrael: Caupones ueſtri miſcent aquam uino. Non enim de ijs cauponibus Eſaias ſanctus loquitur qui publicis miniſterijs ſeruientes, merā uini ſpeciem fraudulenta aquæ colluuione permiſcent (nec enim hoc ad beatum uirum more iudicis ſeculi pertinere poterat, cum corruptis tabernarum uaſculis minus ebrioſo potu populus uteretur) ſed de illis utiq; cauponibus loquitur qui præſunt eccleſiis, non tabernis: qui ſitientibus populis non concupiſcentiæ calicem porrigunt, ſed uirtutis: non ebrietatis miniſtrant poculum, ſed poculum ſaluatoris. Iſtos ergo caupones propheta arguit & obiurgat, & queritur eos uino aquæ ſpeciē permiſcere. Hoc increpat in eis: cùm functionum diuinarum eſſent præſules, ſectatores rerum facti ſunt humanarum, ſicut ipſe ait propheta: Sectamini unuſquiſq; domum ſuam. Quiſquis enim ſacerdos relicto pontificatus officio, mundi oblectationibus delectatur: hic aquā uino permiſcet, hoc eſt, rebus ſanctis & feruidis inſerit res uiles & frigidas. Sed & ſic poſſumus accipere, quòd ijdem ludæorum ſacerdotes aquam uino miſcuerint, cùm dominum ſaluatorem non ſicut deum ſuſciperent, ſed ſicut hominem iudicarent, & ſynceræ ac meræ eius diuinitati turbidum quiddam ac ſordidum inferre uoluerint, dicentes ad eum: Quia cùm ſis homo, facis teipſum deum. Et iterum: Nos ex proſtitutione non ſumus nati. Dum enim ſe ab adulterio proſtitutionis excuſant, illum in diuinitate natiuitatis ſuæ adulterare nitūtur. Sed adhuc diligentius uideamus quid ſit quod ait: Permiſcent aquam uino. Legimus uinum in Eccleſia ſpecialiter abundare, ſicut in Euangelio dictum eſt: Vinum nouum in utres nouos eſſe condendum: Hoc eſt, in nouos homines neophytos ſpiritus ſancti gratiam conferendam. Si igitur precioſa & ſpiritualis uini gratia abundat in Eccleſia, aqua uilis & fœtida non niſi in ſynagoga eſt referenda. Fœtida enim ſynagogæ aqua eſt, quæ baptiſmate ſuo peccata non diluit, ſed adquirit: quę hominē non purificat proprio lauacro, ſed polluit. Deniq; ſicut in utribus Eccleſia honoratur, ita & cum aquæ utre ſynagoga proſcitur. Nam illa Agar quæ typum ſynagogæ geſtabat, de qua ad Abraham dicitur: Eijce ancillam, & filium eius: utiq; cùm eijceretur, nō cum uini ſed cum utre aquę de tabernaculis effugatur. Certe domus Abrahæ erat dives, locuples, abundans: attamen non uinum, non oleum, non panem accepit, quæ ſunt uitæ alimenta firmiſſima. Et recte uitæ ſynagoga alimenta non accepit, quia uitam quæ eſt Chriſtus, ignorat: aqua ſola æger protrahitur, languidus ſuſtentatur. Conueniens enim erat, ut quæ uiuentis non merebatur alimoniam, uel ſolatium morientis acciperet. Arguuntur enim ſacerdotes ludæorum cur Eccleſiaſtico uino precioſo aquam ſynagogæ abiectam iam & reprobatam uoluerint permiſcere. Aqua enim in Eccleſia miſceri non ſolet, ſed mutari: ſicut dominus inuitatus ad nuptias hydrias plenas aqua non uino miſcuit, ſed mutauit in uinum. Ne quid enim in ſancto conuiuio uilitatis ludaicæ reſideret, maluit naturam uertere, quàm adulterare ſubſtantiam.

Eſaiæ 1

Aggæi. 1

Ioan. 10
Ibidem. 8

Luc. 5

Gene. 21
Galat. 4

Ioann. 2

De eo quòd dominus dicit in Euangelio, Vulpes foueas habent. Sermo LXXIX

I diligenter animaduertit Euangelicum capitulum quod lectum est, uestra
s dilectio: sensus uestros id ipsum capitulum potuit penetrare, cur dominus
Matth. 8 (sicut scriptura refert) cùm ab altero interpellatus fuerit, ut eũ quocunq; ĩsse-
Luc. 9 set, causa religiosi seruitij sequeretur: alteri magis dixerit, Sequere me: & illo spreto atq;
despecto, alium potius tacentem necopinantemq; delegerit. Et cùm utiq; acceptius uoluntarium obsequium esse soleat quàm coactũ, & seruitium plus placeat non quod imperio exigitur, sed quod sponte defertur: cur ergo iste respuitur, cur uelut indignus etiã recusatur? Ait enim ad eum dominus: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos: fi-
Matth. 8 lius hominis non habet ubi caput reclinet. Primum itaq; hoc cõsiderare debemus, quod non est acceptor dominus personarum. Est enim æquus iudex & iustus: sed pro qualitate horum rependat dilectionis affectum, & eum eligat non qui uerbis promptus, deuotione piger, sed qui fuerit lingua tacitus, mente deuotus, de quo dicit propheta: Tacitũ
Prouer. 17 te faciens, sapiens uideberis. De illo autem qui petulãter loquitur, refert scriptura: Non
Matth. 7 omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cœlorũ: sed qui fecerit uoluntatem meam. Hinc ergo discimus quòd ad dominum non tam ore quàm corde clamandum est. Igitur saluator noster, qui cogitationes hominum sensusq; prouideat, audiens quidem uocis obsequium, mentis autem uersutiam recognoscens, tali illum animali comparat, quod aliud uoce indicet, aliud moribus operetur. Vulpes latratu canis resonat, dolo rapinam fraudis exercet. Tacentem ergo necopinantem assumit. Tacebat quidem lingua, sed spiritu loquebatur. Intelligimus enim quàm deuotus fuerit, qui sicut ipse asseruit,
Luc. 9 patrem reliquit mortuum, ut uitæ dominum reperiret. Ait enim, Permitte mihi prius ire, & sepelire patrem meum. Mortuum ergo illum reliquerat, quem ut reuertens sepeliret exorat. Non eum dolor retinuerat, nõ mors retardauerat, quia festinabat ad uitam. Necdum morientis clauserat oculos, necdum rigentia membra condiderat: statim ut comperit aduenisse dominum, oblitus paternæ pietatis, affectũ maiorem pietate credidit plus Christum diligere, quàm parentem. Legerat enim fortasse prophetí-
Psalm. 44 cam lectionem quæ dicit: Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Propterea
Matth. 10 oblitus est patrem, dum memor est in saluatorem. Audierat enim Euangelium domini:
Thob. 2 Qui plus dilexerit patrem aut matrem, non est me dignus. Ita cùm Tobias iustificetur cum sepulturæ causa prandium dereliquerit, hic probatur cùm causa Christi, patris reliquerit sepulturam. Ille enim non ueretur ne interueniente opere terreni prandij epulas prætermitteret: hic metuit ne interueniente mora refectionem panis cœlestis amittat. Vnde cùm Christi contemplatione sepulturã omnibus debeamus, hic amore Christi patris deseruit sepulturam. Discutiamus itaque primo illius interpellationem, respon
Luc. 9 sionemq; domini saluatoris. Ait enim ille, Sequar te quocunque ieris. Prompta quidem, sed superba responsio. Iturus enim ad passionem erat dominus, descensurus ad inferos, ascensurus ad cœlum: nunquid in omnibus illum potest fragilitas humana comitari? Stulta magis est ista præsumptio, quàm religiosa confessio. Siquidem & Petro Apo
Ioan. 13 stolo dicitur à domino, cùm existimaret se sequi per omnia saluatorem: Quo uado, non potes me modo sequi. Et cùm pertinaciter insisteret, ac se ab eo nec morte diceret separandum, tanquam iactantiæ condemnatus audit quod esset dominum tertiò negaturus. Ita qui promittebat à confessione Christi nec morte diuelli, ab eius societate interrogatione ancillulæ separatur: & nisi modum quendam statuens, tertiò eum dixisset dominum negaturũ, forsitan sæpius interrogatus, frequentius denegasset. Quid ergo respon-
Luc. 9 detur illi petulanti? Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, & filius hominis non habet ubi caput reclinet. Videte cui rei subtiliter cõparetur. Est enim hoc genus animalis fallax, & insidijs semper intentum, rapina fraudes exercens quod nihil tutũ, nihil ocio sum, nihil patitur esse securum, quod inter ipsa quoq; hominũ domicilia prædã requirat. Quam comparationem non solum propter illum scriptam puto, sed propter pleroſque
Ad Titum. 1 etiam Christianos, qui ore quidẽ dominum confitentur, moribus autem uulpium fallacia diuersantur. Omnis enim Christianus qui sua uult peccata celare, hic spiritualiter uulpes est. Sicut uulpes propter fraudes suas latibulis demoratur: ita & peccator tacens propter con-

pter cõscientiam suam peccatorum foueis delitescit. Et sicut illa nõ audet inter medias hominum turbas morũ suorum ostendere fallaciam, ita & hic erubescit in media Ecclesia conuersationis suæ nequitiam confiteri. Vulpem plane dixerim omnem Christianum qui suo insidiatur uicino, qui quotidie nititur fines alienos arrodere, fructus inuadere, animalia deuorare. & quod est familiare huic tẽpori, non iam uulpiũ more pullos, sed luporum more rapere porcos: qui dum suo labore possit se iuuare, ferarũ rabie prædam captat alienam. Hæreticos etiam omnes arbitror uulpibus comparandos, qui cùm in domo domini habitare nõ possint, conuenticula sibi quædam uelut foueas præparãt tenebrosas, in quibus pertinaciter latentes insidiantur Ecclesię: ut si qua innocens anima forte processerit, uelut pullum gallinæ matris absorbeant. Insidiantur inquã uulpes Ecclesiæ, hoc est hæretici Euangelicę illi gallinæ de qua ait dominus: Quotiens uolui congregare filios tuos sicut gallina colligit pullos suos sub alas suas: sed ipsa sicut Sampson ardentes faces uulpibus religauit. *Matth. 23* *Iudic. 15*

Increpatio ad plebem, & de eo quod ait dominus: Qui habet, dabitur ei: &, Cantauimus uobis, & non saltastis. Sermo LXXX

Requenter studueram apud me ipsum fratres subtrahere uobis dominicę
F prædicationis eloquia, ac non elargiri sæpius sermonũ cœlestium sacramenta. Siquidem nihil profit offerre pabula recusanti, & potum porrigere minime sitienti: cùm id quod offeras, non tam libenter hauriat, quàm fastidiose uelut turbulentum reddat: atque ita fit ut & poculi syncerítas uitietur, & causas delicti fastidiosus peccator inueniat. Sic ergo et charitati uestræ ingerere dominici poculi prędicationem forte superfluũ est: cùm id anima uestra clausis uisceribus nõ tam sitienter hauriat, quàm dissimulanter infundat. Fundit enim mandatũ domini, qui illud aure sua percipit, corde non cõtinet. In superficie enim quadã corporis illud gestãs, ac minime ad interiora transmittens quod audiuit, dum obliuiscitur, seriem prædicationis effundit, & ita domũ uacuus repedat; qui de Ecclesia onustus exierat. Dicite enim mihi, quis de uobis cùm ad hospitium redierit, dicit, hodie audiuimus episcopũ de eleemosynis disputantẽ, rẽ utilẽ prædicauit, debemus pauperibus misereri? Prosecutus etiam est de idolorũ execranda cultura, requiramus ne ignorantibus nobis in possessione nostra sit idolum. Admonuit etiam festinare debere catechumenũ ad gratiam fidei, offeramus familiolę nostræ fidẽ, ut quisquis est fidelis accipiat, ne forte ratio salutis eorũ quæratur à nobis, quia uita eorũ nostro pendet arbitrio. Nemo de dei rebus cogitat, nemo de die iudicij loquit, quasi aut per omnia uicturi, aut per omnia morituri. Mihi credite, ita uiuimus in hoc seculo, ut corpore moriamur: ita morimur, ut rationi reddendæ uiuamus. Moritur interim homo, sed actuum causa non moritur: uiuente autem causa necesse est, ut causæ suę persona nõ desit, sicut ait propheta: Ecce homo, & opera eius. Volueram ergo subtrahere uobis dominicæ prædicationis eloquia, nõ quòd iratus hoc facerem, sed ut Euangelicã sententiã custodirem. Ait enim dominus: Qui habet, dabitur ei: & qui non habet, id quod habet auferetur ab eo. Habenti ergo dari iussit, & non habenti nõ solũ non dari, sed & id quod habet auferri. Quę sententia superflua uobis forsitan uidetur, ego autem dico recte ac sapienter dominũ præcepisse. Habẽti ergo iubetur dari. Meretur plane accipere, qui ita laborauit ut propria solicitudine animæ suæ diuitias spirituales adquireret: utputa quis continentiæ forti proposito cœpit castimoniæ custodire uirtutẽ: meretur audire quæ castitatis remuneratio sit futura, ut ad uirtutis obseruantiã audiens remunerationis gloriã, facilius possit pugnã quam cœpit atterere. Alius ad misericordiã prõptus debet audire quia ipsi miserebitur deus, et qui hãc terrenam substantiã cœlestibus diuitijs repensauit, necesse est ut auscultãs uicissitudinẽ cœlestium præmiorũ promptior ac libentior opus domini prosequatur, & ad misericordię quod habet bonũ, largitatis addat augmentum Ideo ait dominus, Qui habet, dabitur ei: hoc est, qui diues fuerit bonis operibus, hic magis euangelica prædicatione ditetur. Cæterũ si fornicatori prædices, & dicas quòd uirgo debeat permanere, & auaro quòd omnia sua distrahere debeat atq; donare, stultitia illi est. Hãc autem prædicationẽ ridiculam putat, sicut ait Apostolus: Animalis autẽ homo non percipit quæ sunt spiritus. stultitia enim est illi. Tale enim est ijs prędicare quod perfectũ est, quale si mendicum pãnis obrutum holoserica uelis induere, & esurientem rusticum *Matth. 13* *1. Cor. 2*

ruſticum placento delectare. neceſſe eſt ut ab utroq; recuſet oblatio. Illi enim diſplicet holoſerica, qui neceſſaria magis frigori ueſtimenta deſiderat: huic placentũ amarũ, dum eſcam magis ſaturitatis exquirit. Iſtis ergo perſonis auferenda potius ſunt quæ ſua ſunt,
Matth. 13 ſicut ait Euangelium: Etiam id quod habet auferetur ab eo, hoc eſt, cogendus eſt fornicator pannos ſuæ corruptionis abiicere, compellendus auarus eſt panẽ ſuæ cupiditatis exponere. Vereor autẽ fratres ne hæc Euãgelica lectio pleriſq; de uobis congruat, quæ
Luc. 7 ait: Cantauimus uobis, & nõ ſaltaſtis: lamentauimus, & nõ ploraſtis. Annunciamus, ergo uobis regni cœleſtis gaudium: & minimè corda ueſtra motu quodã alacritatis exultant. Prædicamus triſte iudicium: & ſenſus ueſtri ad pœnitentiam in lachrymas non prorumpunt. Infidelitatis enim genus eſt, in diuinis rebus nec gaudere proſperis, nec flere contrarijs. Saltationẽ ergo à nobis requirit dominus, non utiq; ſinuoſi uolubilitatẽ corporis, ſed extollentis ſe fidei ſanctitatẽ. Sicut enim qui corporaliter ſaltat, nũc in aere ſuſpenditur, nunc ad altiora iactatur, nunc alternis ſaltibus loca diuerſa colluſtrat: ita & qui ſpiritualiter ſaltat interueniente fide, modo in aeris ſublimitatem erigitur, modo ad ſyderum altiora tollitur, modo diuerſis cogitationum ſaltibus paradiſum cœlumq; colluſtrat. Et ſicut qui corporaliter ſaltat, uolubilitate membrorum ſe exercens gyrum ſibi ſaltationis adquirit: ita & qui ſpiritualiter ſaltat fidei alacritate ſemper mouens, gyrum ſibi totius orbis aſſumit. Solent autem homines ſicut mos eſt, in ſuis uotis, hoc eſt nuptijs, præcipue ſaltare uel canere: unde et nos habemus uotiuas nuptias, in quibus ſaltare uel canere debeamus. Vota enim noſtra celebrant quãdo Chriſto Eccleſia copulatur, ſicut
Ioann. 3 ait Ioannes: Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Propter has ergo nuptias ſaltare nos conue
2. Reg. 6 nit. Siquidẽ Dauid rex pariter & propheta dum multa cecinerat, ante arcam teſtamenti etiam ſaltaſſe dicitur. Elatus enim gaudio, in ſaltationem prorupit. Præuidebat enim
Pſalm. 18 in ſpiritu Mariam de germine ſuo Chriſti thalamo ſociãdam. Vnde ait: Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Ideo ipſe præ cęteris prophetiarum authoribus plus cantauit, quia lætior cunctis per hæc gaudia ſuos poſteros coniugabat: & ad propria uota ſolito dulcius inuitans, docuit nos quid in ipſis nuptijs facere deberemus, cùm ille ante nuptias tanta exultatione ſaltauerit ante arcam. Ergo ſaltauit propheta Dauid ante arcam. Arcam autem quid niſi ſanctam Mariam dixerimus? Siquidẽ arca intrinſecus portabat teſtamenti tabulas, Maria autem ipſius teſtamenti geſtabat hæredem. Illa intra ſemet legem, hæc Euangelium retinebat. Illa dei uocem habebat, hæc uerbum: uerumtamen arca intus foriſq; auri nitore radiabat, ſed & ſancta Maria intus foriſq; uirginitatis ſplendore fulgebat. Illa terreno ornabatur auro, iſte cœleſti.

De eo quod ſcriptum eſt in Euangelio: Hominis cuiuſdam diuitis uberes fructus ager attulit. Sermo LXXXI

D Vplex eſt tentationum ſpecies: aut enim tribulatio cor uexat humanum, & ſicut aurum in camino per patiẽtiam probatur unuſquiſq; & agnoſcitur: aut interdum etiam ipſa uitæ proſperitas ad tentationẽ cedit hominibus. Similis nanq; eiuſdem ignauiæ eſt, in aduerſis humilẽ ac miſerabilẽ fieri, & in proſperis inſolenter efferri. Exemplum plane quod non debemus animo deijci in aduerſis, habemus ma-
Iob. 2 gnificum Iob indignari in triſtibus penitus neſcientem, qui omnem diaboli uiolentiam uelut torrentis cuiuſdam aduerſus ſe turbinem uinientem immobili corde & inconcuſſa mentis uiuacitate ſuſcipiens, tãto clarior ex tẽtationibus factus eſt, quãto difficiliora & periculoſiora ei ſunt ab inimico intẽtata certamina. Exẽpla uerò eorũ qui per ſecundos uitæ ſucceſſus proſperitatesq; tentantur, multa quidem habemus & alia, non minus
Luc. 21 tamen eius qui nunc de Euangelio recitatus eſt, diuitis, qui alias quidem reconditas premebat diuitias, alias uana ſpe inaniter præſumebat, dũ benignitas dei auiditatis eius intemperantiam non ſtatim ab initio nec cõtinuo, ut publicare cœperit, punit. Quinimo & reconditas diuitias nouis nihilominus & aduentitijs cumulat: ſi forte eum aliquando nimietate ipſa ſatiatum, ad ſenſum & intelligentiam humanitatis adducerẽt, animamq; per abundantię nimietatẽ ſuaderet aliquid de indigẽtibus cogitare. Sed uideamus quid de eo dicit ſermo diuinus. Hominis, inquit, cuiuſdam diuitis, fructus uberes ager attulit, & cogitabat intra ſemetipſum, dicens: Quid faciam? Deſtruam horrea mea, & maiora ædificabo. Dicis fortaſſe, cur ager hominis nihil boni operaturi, uberes attulit fructus?

Vt

Vt magis magisq; dei patientia noſceretur, dum ad huiuſmodi homines beneficia ſuæ benignitatis extẽdit. Pluit enim ſuper iuſtos & iniuſtos: & ſolem ſuum oriri iubet ſuper bonos & malos. Verùm talis iſta benignitas dei ſicut per nimiam patiẽtiam facultatem conuerſionis & emendationis indulget: ita maiora & grauiora ſupplicia coaceruat, ut conuertat ingratos. Largitus ergo eſt deus imbres uberes agris hominis auari, ſolẽ præſtitit ad nutriendas ſegetes, multiplicandasq; fruges, ut aceruos diuitis augeret in omnibus moderata temperies. Igitur quæ à deo præbentur etiam ingratis, iſta ſunt, terræ fœcunditas, aeris temperies, fructuum lętitia, & boum ſubſidia, & omnia quibus anni prouentus fœcundis ſucceſſibus adimpletur. Quæ uerò ab homine procedũt, qualia quæſo ſint uideamus. Anguſtus animus, & parum putans omne quod naſcitur, cuiuis abũdantiæ deeſſe ſemper aliquid cõputans, tum deinde inhumanũ propoſitũ impertiendi cuiquam cauſam nullã idoneã putat. Vide beneficijs diuinis diues quàm ingratus exiſtit. Communis hominum naturæ non meminit, æquũ non putat ſaltẽ ex ſuperfluis aliquid egentibus impertiri, ſcriptum non legit, nec recordatur præceptũ eſſe ut fides & miſericordia nõ deſerant ſe, &: Confringe eſurienti panem tuũ. Et quæcunq; uel à prophetícis uel à cæteris doctoribus quotidie prædicantur, diues nec audit, nec uidet, nec intelligit. Si horrea quidẽ diruit, & maiora reædificata fructibus largioribus replet, auaritia tamẽ diuitis cor et propoſitum non repletur. ſemper enim ſtudet cumulare noua ueteribus, et augmentis præſentibus ſuperare prȩterita: & dum cumulis ſemper creſcentibus ſolidos cupit uincere numeros conditorum, ad iſtos inextricabiles cogitationum exitus deuolutus eſt, ut nec ueteribus cederet, nec ſufficeret nouellis. Propterea ergo caſſæ quidẽ cogitationes eius, ſolicitudo uerò inutilis & inanis. Quid, inquit, faciam? Quis non talẽ miſereatur? Quis non infœlicitatem eius doleat? Anguſtat ex abundãtia, conſtringitur & coarctatur ex opulentia. Infœlix in præſentibus bonis, infœlicior in futuris: & ut uideo, ager ei non tam reditus largiores quã gemitus attulit graviores. Terra ei non fructuũ copiam, ſed curarum moleſtiam germinauit: ita ut curis ac mœroribus ſtimulatus, egentibus & eſuriẽtibus ſimiles perferat cruciatus. Denicq; & egeni uox iſta eſt: Quid faciã? uni de cibus? unde ueſtitus? Eadem conqueritur & diues, Quid faciam, ubi recondã? liſdẽ cruciatibus pro ſolicitudine facultatũ quibus pauper pro egeſtate torquetur. Vides diuitem, nec opimis copijs poſſe lætari, ſed mentem eius abſumit ac ſoluit affluentia, dum nullo intellectu humanitatis admonitus ſentire non poteſt id ſibi abũdare quod alijs deeſt. Non enim Apoſtolicis commonitionibus accommodat aurem ſuam, ut diſcat ab eo abundantiæ ſuæ rationem, cùm dicit: Vt ueſtra abundantia fiat, id eſt proficiat ad aliorum inopiam. Et quidem mihi uidetur talis hæc paſſio animæ ſimilis eſſe ijs qui tantum gulæ indulgent, ut dirũpi magis nimio cibo eligãt, quàm alicui indulgere reliquias. Sed recordare ô homo, quis eſt qui largitus eſt tibi teipſum: qui ſis, in memoriam reuoca. Seruus es dei, & diſpenſatio tibi commiſſa eſt dominicæ facultatis. Recordare ergo quis eſt qui tibi iniunxit officium diſpẽſandi familiam ſuam. Quid eſt quod multis prælatus es? non eſt utiq; ſine cauſa quod tibi à bono & iuſto deo officium tribuitur largiendi, alijs neceſſitas imponitur indigendi. Diſpenſatorem igitur conſeruorũ tuorum te ex dominicis facultatibus eſſe cognoſce. Nec exiſtimes quòd omnia uentri & delicijs tuis terra producat. Quæ in manibus habes, commiſſa tibi magis quàm cõceſſa cognoſce. Paruo tempore aliquantulũ ſuper ijs lętaris, & abuti eis uoluptuoſius delectaris. cùm uerò hęc pariter cum uita noſtra defluxerint, rationẽ diſpenſationis noſtrę uocamur domino reddituri. Hic mihi te pauliſper indulge ô qui es qui diuitiarũ diſpenſationẽ in hoc mundo ſortitus es, & te in illo terribili dei iudicis tribunali aſtantẽ, paululũ quid uacãs, ſi tamen uacare potes à diuitiarum ſolicitudinibus, intuere. Cùm interrogari cœperis, Cõmiſſas tibi opes cum quibus egentibus diuiſiſti, quibus neceſſitatẽ patiẽtibus ſubueniſti, quos de carceribus, de uinculis, de gladio profuſa pecunia liberaſti, quib. pupillis pater, cui uiduæ uir caſtis prouiſionib. extitiſti, pecunia mea, fructus mei quid apud te operis, quid utilitatis habuere? Tu ad hæc ſine dubio reſpõdebis, Omnia ſimul cõpoſita ac recõdita clauſtris ualidiſſimis & ſignaculis tutiſſimis cõmuniui, nulli quicquã tribui, quinimo et ad cuſtodiẽda ea uigilias meas addidi, curas impẽdi, ſolicitudines tribui. Sed ſtulto conſiliario uſus es temetipſo. deliberans enim ait, Quid faciã? Conſequens utique erat te de

Matth. 25

Eſaiæ 58

1. Cor. 8

talibus

talibus liberum ante dicere, Aperiam horrea mea, & replebo esurientes animas pauperum, patefaciam quæ recondita sunt, & inuitabo indigentes, ac releuabo afflictos, imitabor beatũ Ioseph, & humanitatis uoce proclamabo: Si quis indiget panibus, ueniat ad me, & gratiã quam dominus indulgẽtiori liberalitate mihi largitus est, cõmunem cum omnibus faciã. Velut ex cõmunibus ergo fontib. hauriat unusquisq; quod sufficit. Sed tu nihil tale nõ solũ proloqueris, uerũ nec cogitas quidẽ, quinimo hominibus quidẽ diuina inuides beneficia, tuã uerò ipsius animã malignis consilijs affligis, & cogitas abundantiam dei, humanã facere penuriam. Aderãt qui animã repeterent, qui pignus huius uitæ reuocarent, & ille adhuc ad animam de opulẽtia loquebatur, hac nocte auferẽdæ à se animæ dicebat: Anima, habes bona multa in annos multos, mãduca, bibe, & epulare. Sed uide dispensationem iusti iudicij dei. indulget ei prodere ac proferre omnia cõsilia sua, publicare sententiam suam, ut & ipse dignam tali mente ac uoto condẽnationis sententiam ferat. Quod utiq; propterea scriptum est, non tãtum ut quid ille passus sit noscemus, sed quomodo nos effugere debeamus ne similiter condemnemur. Quod si difficile tibi putas ô homo magnificentiam diuinæ largitionis imitari, imitare terrã, si leuare sursum oculos non potes, saltem ea quæ deorsum sunt, & in pedibus tuis, intuere. Affer tu fructũ sicut terra, noli esse deterior insensibili elemento. Illa enim fructus quos affert, nõ suis usibus uindicat, sed tuis ministrat obsequijs. Tu uerò fructus illius solus inuadis, & tibi soli concludis. Quod si tantum auiditatis te morbus adstringit, ut tua uelis facere omnia, accipe & ad hoc salutare remedium. Beneficium largientis præbenti magis permanet quàm suscipiẽti. Nam misericordia quidẽ ad indigentẽ peruenit, gratia autẽ multiplicatæ mercedis permanet tribuenti. Esurienti dedisti panẽ. ille quidẽ pastus est & refectus, sed ad te redit quod dedisti, cum fructibus & usuris. Quod si difficile putas, considera frumentũ quod seminatur in terra, si non ad seminantis potius quàm ad suscipientis lucra cedit. ita etiam dum cibus tribuitur indigẽtibus, cum multo fœnore diuinę gratiæ restituet in posterũ. Sit ergo tibi finis agriculturæ huius initiũ cœlestiũ sationũ. Seminate enim, inquit, uobis ad iustitiã. Quid ergo afflictaris, quid temetipsum excrucias, luto & lateribus cõcludens humanæ uitę subsidia? Scriptũ non legis: Melius est nomen bonum super diuitias multas? Si ergo & tu gloriã ex diuitijs quæris, cognosce quia melius est mille filiorũ quos per misericordiã filios adquisieris, patrẽ uocari, quàm mille aureorum dominũ dici. Facultates nanq; relinquentur hic etiã si nolumus, bonorũ uerò operum conscientia nobiscũ pariter pergit ad deum. Et cõsidera quanta tibi tum erit gloria, cùm te omnis ille populus qui ex promptuarijs tuis pastus est & refectus, pro tribunali magni illius & iustissimi iudicis caterua constipante circũdabit, pastorẽ te suum, ac tutorem pium, & misericordẽ patrẽ omni gratiarũ uoce testabitur. Quod si magistratus in theatris, mimis & athletis & gladiatoribus, alijsq; huiusmodi generibus hominũ totũ pene patrimoniũ suum largitur ac prodigit, ut unius horę fauorẽ uulgi nimirũ adquirat, nihil sibi ulterius profuturũ: tu dubitas & cũctaris munificus esse in huiusmodi largitionibus, in quibus iudex residet deus: fauentiũ & acclamantiũ uulgus sunt angeli: Vbi omnes qui à seculo fuerũt sancti, laudatores & prædicatores tui sunt: Vbi laus & fauor non simul cum die cessat, sed cum seculis permanet: Vbi corona tibi non auri, sed iustitię dabitur: Vbi non honores unius urbis, sed cœlorum regna mereberis. Et hæc omnia conquiruntur per misericordias pauperũ, per dispensationes indigentiũ, in quibus cibi corruptibilis precio incorruptibilẽ regni cœlorũ gloriã æternamq; mercaris. Veni ergo, si uidetur, si horum quæ dicimus, apud te fides uera est, & diuitias nostras consulte & utiliter disponamus, præparemus noua & præclarissima munera. Edamus primam editionẽ candidã, in uestitu & indumẽtis nudorũ, secundã uerò nõ minus nobilẽ, fessas et pereuntes fame animas reparemus, tertiã nihilominus editionẽ famosissimam præparemus, circumeamus urbem, & requiramus eos qui ne ad misericordiã quidem poscendã per debilitatem uenire potuerunt, præstemus sumptum, quæcunq; sunt necessaria largiamur: nec te pigeat uisitare ægrum, requirere clinicũ. Memẽto quoniã & nos cùm decũberemus in grabato nostro, cùm essemus debiles, et nõ possemus ipsi per nos ire ad dominũ, deus ipse uenit ad nos. Misit enim filiũ suũ in similitudine carnis peccati, qui nobis attulit cibum seipsum. Ipse enim panis uitę, qui de cœlo descendit, & uitam dat huic mundo.

Genes. 41

Luc. 12

Oseæ. 10
Prouer. 22

Rom. 8
Ioann. 6

Et

Et quo ore, quæso, qua impudentia panẽ de cœlo accipientes nos, panẽ de terra non da
mus fratribus? Quod si adhuc nobis sufficit copia patrimonij, edamus etiam illã nouissi
mam, sed non minus fauorabilem editionẽ. Eamus ad carceres, requiramus uinctos, hu-
manis miserijs & angoribus condoleamus. In his enim omnibus tibi occurrit Christus,
qui cùm sit incõprehensibilis secundum deitatis naturã, inuenietur tamẽ abs te per ope
ra misericordiæ. Ipse enim dixit: Quia esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & pota Matth. 25
stis me: nudus fui, & operuistis me. Vides qualia munera præparat sermo diuinus. Ibi hi
striones accipiũt, & gladiatores, & perit omne quod perditis datur, hic in istis esurienti
bus ac sitientibus & nudis, ægris ac uinctis, Christus se suscipere profitetur. Quid ergo
agis ô dives? quid cogitas? quid deliberas? Christo esuriente tu horrea tua claudis? Imò
nõ claudis, sed minora destruis, & maiora reædificas? Christo indigente uestitu, tuæ ue-
stes tineis cõsumuntur? Christo egente tu aurũ quæris, aurũ desideras, aurũ recõdis, om
nia aurũ uides, aurũ tibi uigilanti cogitatio est, & somnia dormiẽti? Sicut enim ij qui per
insaniã mente translati sunt, nõ iam res ipsas, sed passionis suæ phantasias uidẽt: ita etiã
mens auari semel uinculis cupiditatis adstricta, semper aurũ, semper argentũ uidet, sem
per reditus cõputat. Gratius aurum intuetur, quàm solem uidet. Ipsa eius oratio & sup-
plicatio ad dominũ aurũ quærit, & uellet atq; optaret ut omnia ei in aurum cõuerterentur. Deniq;, quod potest, frumentũ in aurũ conuertere conatur, uinũ in aurũ mutat, lana
ei aurũ efficitur, omnes fructus eius, omne negociũ, omne quod mouetur, in aurũ uertitur. Interdum etiam usuræ arte nequissima ex ipso auro aurum nascitur. Sed quid agis?
Nec satietas unquam nec finis aderit cupiditati. Nam interdum pueris gulæ nimium de
ditis indulgemus desideratos cibos auidius sumere, ut nimietate ipsa satiati horrescant,
& auertãt se de reliquo ab huiuscemodi cupiditate. Auaritia tamẽ nihil tale patitur, sed
quanto plus inuenerit, tanto amplius quærit. Sed quid dicit scriptura diuina? Diuitiæ si Psalm. 61
affluant, nolite cor apponere. Tu uero fluentes diuitias obstruis & cõcludis, ut intra lo-
cos tuos stagnãtes etiã irruptiones operentur. Inde deniq; est quod etiã horrea tua rum-
punt & deijciunt, paternis non contentæ claustris, & antiquos terminos excedentes. Sed
quid dicis? Maiora, inquit, reædificabo. At hoc satis incertũ est. Quis tibi reædificandi Luc. 12
tempus indulget? Velocius enim tu deijceris, quàm illa erigantur. Verum ille dives ha-
bebat & malignę cogitationis finẽ dignum, & terminũ competentem. Vos autẽ fratres
si mihi auscultatis, referate aditus promptuariorum uestrorum, & largior diuitijs uestris
atq; fluentior exitus procuretur, quàm dudum fuerat quæsitus ingressus, tanquã affluen
tissimus fluuius ad segetes rigendas multis deriuationibus trahitur per omnem terram
misericordiæ affluentia. An nescitis, quia putęorum aqua si frequentius hauriatur, & sa-
lubrior efficitur, & abundantior: quòd si ociosa remãserit & immobilis, inutilior & cor
ruptior fit: si moueatur & operetur, communem omnibus & utilem proferet fructum?
Mete ergo uberes pecuniæ tuæ fructus, orationes dico pauperũ, intercessionemq; san-
ctorum, qui pro te, officiorum tuorum memores apud iustum iudicem deum dignis o-
perum tuorum allegationibus postulent. Caueamus exemplum diuitis istius, qui dum
præsentes diuitias concludit, & de futuris solicitudinẽ gerit, diuitijs pariter abreptus &
uita, protrahitur ad tribunal horrificũ, in quo accusatrix quidẽ huius assistit ipsa illa quæ
& totius uitæ eius comes extitit auaritia, defensor uero & intercessor nusquã ullus ap-
paret. Circunspectat nanq; sanctorum multitudinem diuinis tribunalibus assistentem,
& intentis ac solicitis oculis circunlustrat si quem forte uideat charũ sibi ac familiarem
in hac uita obsequio suo factum, nec usquam tamen ullum inuenit. Nullus est qui dicat:
Domine, dignus est cui ignoscas, dilexit enim gentem nostrã, & ecclesiam ipse ædifica- Luc. 7
uit. Nullæ uiduæ quæ procedentes & flentes rogent Petrũ, ostendentes uestimenta sua
quæ eis largitus est dives. Nullus ergo miserebitur ei qui nõ est misertus. Scriptum est e- Matth. 5
nim: Beati misericordes, quoniã ipsi misericordiã consequentur. Et iterũ: Date, & dabi- Luc. 6
tur uobis. Et, qua mensura mensi fueritis, eadẽ remetietur uobis. Sed ne hæc fortassis ad Ibidem
uersus eum temere & immerito coaceruare uideamur, sermones ipsius percontemur, &
uideamus cũ ei fructus ager uberes attulisset, quid sentit. Facit saltẽ hoc quod utiq; etiã
auaro facere cõpetebat: Orat deum & deprecatur ut fructus ad maturitatem sine læsio-
ne perueniãt, ne grando uerberet, ne turbo uastet, ne procella subuertat. Solent enim &

hæc

hæc frugibus sæpe iam maturis incidere. Nihil horum, sed destruere parat horrea, maiora ædificare. Et ipse quidē in corde suo loquitur, sed qui uidet in occulto, intra se loquentem audit in cœlis, propterea ei & inde responsa redduntur. Quæ autem sunt quæ loquitur? Anima, inquit, habes multa bona, māduca, bibe, et epulare. Nónne, si dici ita potest, muti animalis uox ista est? Si enim porcinam animā habuisset, quid ei aliud quàm manducandi & bibendi bona nunciare debuerat? Nunc autē ita totus animalis homo est, et totus carneus, ut animā suā carnalibus & corruptibilibus escis existimet esse pascēdam, & ea quæ in secessum egeruntur, animæ præparat ad utendū. Cuius utiq; natura talis est, ut uirtutibus alatur, ut uerbo dei saginetur, ut intellectibus pijs & religiosis disciplinis. atq; exercitijs excolatur. Sed quid tale habes bonum? Hæc bona ad animam defer. Verum tibi quoniam deus uenter est, & totus seruus es carnis, audi dignam appellationem qua te non hominum quisquam, sed ipse dominus appellat. Ait enim: Stulte, hac nocte auferetur abs te anima tua, & quæ præparasti, cuius erunt? Ipsis illis æternis cruciatibus maior est stultitiæ nota. Qui em paulo post erat rapiēdus à uita, quæ cogitat? Destruam, inquit, horrea mea. Cui ego respondeo, & rectè quidem facis. nam uere destruere debes horrea iniquitatis, & ea quæ male ædificaueras, manibus tuis ipse subuertere: destruere promptuaria, ex quibus nullus misericordiā consecutus est: deijcere ac subuertere mammonæ obscura & tetra domicilia. Destruam, inquit, horrea mea, & maiora ædificabo. Quod si & ista repleueris, quid quæso facturus es? Et iterū sine dubio destrues, & iterū reædificabis. Et quis finis stulti huius laboris & uani, & instanter ædificare, & instantius destruere? Si uis ergo, ostendam tibi horrea iam parata, esurientium pauperum uentres, in ipsis tuos conclude thesauros. Tales enim tibi thesauri seruabūtur in cœlis, in quibus neq; tinea comedit, neq; fures effodiunt & furantur. Sed dicis, Cum secunda horrea repleuero, tunc dabo pauperibus. Lōgos tibi promittis annos, & satis lata uitæ spacia polliceris. Talis ista promissio non futuram continet humanitatē, sed præsentis misericordiæ dilationem. Quid enim nunc misericordiā fieri uetat? Frumēti copia est, tempus anni prosperum, esurientes præsto sunt flentes, nudi circunstant gementes, uincti de carceribus, & ægri de lectulis miserabiliter & flebili lamentatione circunstrepunt, tu misericordiam quid in crastinū differs, cum hodie crudelis & immisericors fias? Audi saltem sapiētissimi consiliū Salomonis. Ne dicas, inquit, abi nunc, et redi crastino, & dabo tibi. Non enim scis quid pariat superuentura dies. Sed ne huiusmodi mādata suscipias, aures tibi obstruit auaritia. Non te oportebat gratias agere deo, exultare & lętari quod nō ipse mēdicans alienas circuis fores, sed alij ante tuas ianuas sedent à te misericordiam postulantes? Tu uero difficilis es ad præbendum, contristaris ac declinas ne quis tibi paulo molestior cogēte necessitate paupertatis existat, quasi nō potuisset fieri ut esses unus ex ijs qui ante ianuam tuam fame perditi iacent. & tu quidē satis digne, nam uoto, mēte, ac proposito pauper es, & totius boni egenus. Cum enim nō habes charitatem, cum tibi desit humanitas, desit fides, desit spes in deo, cum tibi desit misericordia, quid te egestuosius, quidúe mēdicius? Pars tua cum tineis & muribus horreorū tuorum rosoribus erit. Qui utiq; si talia non uideres, si non corrumpi ea cerneres & consumi, quis tibi suadere posset aliquid inde largiri? Sed ais: Quid iniustum est si cum aliena non inuadā, propria diligentius seruo? O impudens dictum, propria dicis? quæ? ex quibus recōditis in hunc mundum detulisti? Quando in hanc ingressus es lucem, quādo de uentre matris existi, quibus quæso facultatibus, quibusq; subsidijs stipatus ingressus es? Aduentum tuum in hunc mundū disce ab Apostolo Paulo dicente: Nihil enim intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quidem quid possumus. habentes autem uictum & uestitum, his contenti simus. Terra communiter omnibus hominibus data est; proprium nemo dicat quod è communi plus quàm sufficeret sumptum, & uiolenter obtentū est. Veruntamen nudus ex uentre matris existi, nudus nihilominus & reuerteris in terram. Et si quidem terræ elementum putas fortuito substitisse, impius es qui ignoras conditorē deum. si uero agnoscis beneficium largitoris, gratus esto creatori, & require apud temetipsum rationē cur plus tibi quàm cæteris prestitit. Nunquid iniquus est deus, ut nobis non æqualiter distribuat uitæ subsidia, ut tu quidē esses affluēs & abundans, alijs uero deesset, & egerēt? An idcirco magis quia & tibi uoluit benignitatis suæ experimenta conferre, & alium per

Luc. 12

Philip. 3
Luc. 12

Matth. 6

Prouer. 3

Ibidem. 27

1. Tim. 6

Iob. 1

uirtutem

uirtutem patientiæ coronare: tu uero susceptis dei muneribus etsi in sinum tuũ redactis, nihil te putas agere iniquum, si tam multorum uitæ subsidia solus obtineas? Quis enim tam iniustus, tam auidus, tam auarus, quàm qui multorum alimenta, suum non usum, sed abundantiã & delicias facit? Neq; enim minus est criminis habenti tollere, quàm cũ possis & abundes, indigentibus denegare. Esurientiũ panis est quem tu detines: nudorum indumentum est quod tu recludis: miserorũ redemptio est & absolutio, pecunia quam tu in terrã defodis. Tot te ergo scias inuadere bona, quot possis præstare quod uelis. Bona quidem ais sunt uerba, sed melius est aurum. Nihil mirũ. nam & siquis cũ impudicis de pudicitia loquat̃, & scorta uituperet & exprobret, ij animi quibus libido dominatur, & ex ipsa commonitione ad impudicitiã multo acrius accenduntur. Sed tibi iterum ante faciem adducã ipsas futuri iudicij dei formas, ut intelligas quales tibi gemitus recondas. O quàm multi precij tibi in die iudicij sermo ille uidebit̃ de quo superius diximus, qui ait: Venite benedicti patris mei, percipite regnũ quod uobis præparauit pater meus à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Qualis tibi rursum horror, qualisq; sudor, quales tenebræ superuenient audienti condemnationis illius sententiam, qua dicitur: Discedite à me maledicti: Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare. Neq; enim in his uerbis qui alia inuasit arguitur, sed is qui non communiter usus est ijs quæ habuit, condemnatur. Nos quidem quod utile credidimus, commonuimus. Si quis autem obedire uult diuinis præceptis, non ignorat quæ sit repromissionum merces. Qui uero obedire non uult, & negligit, manifesta est ignis ęterni comminatio, cuius opto uos expertes effici & alienos, & effugere pœnas impijs repromissas, facientes illud quod scriptum est, ut redemptio animæ uestræ sint diuitiæ uestræ, & ad præparata pergatis regna cœlestia, per eum qui uos uocauit, Christum Iesum, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen. *Matth. 25* *ibidem.*

De defectione lunæ. Sermo LXXXII

Maximi episcopi.

E Ipsi uidetis fratres quod mea non cessat humilitas omni circa uos solicitudine labore, & ad frugem bonam uos tota festinatione conuertere: sed quanto plus laboro uobiscum, tanto amplius confundor in uobis. Cum enim uideo tot commonitionibus meis nullum uos habere profectum, labor meus iam non gratulationi est, sed rubori. Dicit beatus Apostolus: Quis plantat uineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis nõ percipit? Ecce ego pasco gregẽ Christi, & gregis fructum extorquere nõ ualeo: pasco gregem domini, & nulla ex eo religiositatis alimenta percipio. Nulla enim me fidei eius dulcedo lætificat, sed quicquid ex eo profluit, asperum & amarũ est. Tunc enim pastor Christiani gregis lacte reficitur, quando bonorum operum eius candore lætatur. Quis enim fratres in uobis non grauiter ferat, (non tamen de omnibus dico, sunt enim inter uos quos ad religionis cultum debeatis habere exemplo) quis inquam non moleste ferat, sic uos esse uestræ salutis immemores, ut etiam cœlo teste peccetis? Nam cum ante dies pleroscq; de uestræ auaritiæ cupiditate pulsauerim, ipsa die circa uesperum tanta uociferatio populi extitit, ut irreligiositas eius penetraret ad cœlum. Quod cum requirerem, quid sibi clamor hic uelit, dixerũt mihi, quod laboranti lunæ uestra uociferatio subueniret, & defectum eius suis clamoribus adiuuaret. Risi equidem, & miratus sum uanitatem, quod quasi deuoti Christiani deo febratis auxilium. Clamabatis enim, ne tacentibus uobis perderet elementum, tanquam infirmus enim & imbecillis, nisi uestris adiuuaretur uocibus, nõ posset luminaria defendere quæ creauit. Bene igitur facitis, qui diuinitati exhibetis solatium, ut uobis iuuantibus possit cœlum regere. Sed si uultis hoc plenius facere, cunctis & totis noctibus perui gilare debetis. Nam quotiens putatis uobis dormiẽtibus luna uim passa est, & tamen de cœlo non corruit? Aut nunquid semper circa uesperũ defectum patitur, nõ aliquãdo & circa lucẽ laborat? Sed apud uos uespertinis tantũ horis laborare consueuit, quando copiosa cœna uenter distenditur, quãdo maioribus poculis caput mouetur. Tunc gitur apud uos laborat luna, quãdo laborat & uinũ. Tunc inquã apud uos turbatur carminibus globus lunæ, quãdo calicibus turbantur & oculi. Quomodo igitur ebrius uidere potes circa lunã quid agatur in cœlo, qui circa te nõ uides quid agatur in terra? Hoc est plane quod ait sanctus Salomon dicẽs: Stultus sicut luna mutatur. Mutaris enim sicut luna, dũ *1. Cor. 9* *Eccl. 27*

ſtultus & inſipiens ad motũ eius, qui Chriſtianus fueras, incipis eſſe ſacrilegus. Sacrilegium enim creatori cõmittitur, dum imbecillitas adſcribitur creaturæ. Mutaris ergo ſicut luna, ut qui paulò antè fidei deuotione fulgebas, poſtea perfidię infirmitate deficias. Mutaris ſicut luna, dum cerebrũ tuum ita exinanitur ſapientia, ſicut lunæ obſcuritas: te uero teterrimæ tenebræ mentis inuadunt, atq; utinam ô ſtulte ſicut luna muteris. Illa enim cito ad plenitudinem ſuã redit, tu ad ſapientiam nec ſero conuerteris. Illa uelociter colligit quod amiſerat lumen, tu nec tardè fidẽ recipis quam negaſti. Grauior ergo tua quàm lunę mutatio eſt. Luna defectum luminis patitur, tu ſalutis. Quàm bene igitur ſcriptum eſt de ſapiente: Et permanebit cũ ſole? Permanet enim ſapiens cum ſole, cùm conſtantia fidei permanet cum Saluatore. Sed dicit aliquis: Luna igitur non laborat? Laborat plane, negare non poſſumus, ſed laborat cum cæteris creaturis, ſicut ait Apoſtolus dicens: Quia omnis creatura ingemiſcit & parturit uſq; adhuc. Et infra: Quoniam & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, & reliqua. Liberabitur inquit à ſeruitute. Vides ergo quoniam luna non laborat carminibus, ſed laborat obſequijs: non laborat periculis, ſed laborat officijs: non laborat ut pereat, ſed laborat ut ſeruiat. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non ſponte, & reliqua. Ergo luna à ſtatu ſuo non ſponte mutatur, tu de ſenſu tuo ſponte mutaris. Illa in deminutionem ſui conditione deducitur, tu in detrimentum tui uolũtate pertraheris. Nolo igitur frater ita ſis ſicut luna cum deficit, ſed eſto ſicut quando eſt plena atq; perfecta. Scriptum eſt enim de iuſto: Sicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis.

Pſalm. 71

Rom. 8

Ibidem.

Pſalm. 88

Increpatio ad populum de abſentia ſua. Sermo LXXXIII

D Eberem fratres poſt hos complures dies aliquid uberius prædicare, & reuertens à tanto examine ſacerdotum, dulci uos ſermone reficere. Bene dixi examine ſacerdotum, quia ſicut apes de diuinarum ſcripturarum floſculis ſuauia mella conficiunt, & quicquid ad medicinam pertinet animarum, oris ſui arte componunt. Rectè comparantur apibus ſacerdotes, quia ſicut apes caſtitatem corporis præferunt, cibũ uitæ cœleſtis exhibent, aculeũ legis exercent. Puri enim ad ſanctificationem, ſuaues ad refectionem, ſeueri ſunt ad ultionem. Apibus planè ſunt comparandi, qui uelut aluearío quodã gratiã matris eccleſiæ continent, in qua diuerſorum meritorum cellulas dulciſſimis prædicationibus componentes, de uno ſaluatoris examine chriſtianorum examina multa producunt. Cum ſemper fratres non ceſſauerim uos paterna pietate corripere, miror nihil uos tot meis commonitionibus profeciſſe, & doleo quod frequens prædicatio mea non uos profectu aliquo ſalutis corrigat, ſed quadam conteſtationis pœna cõſtringat. Prędicatio enim ſacerdotis in plebe ſaluandis eſt correctio, conteſtatio iudicandis. Conteſtamur enim illis ante iudicium quod illos maneat in ipſo iudicio, ut tunc omni excuſatione ſubmota, & rei ſint de peccatis, & obnoxij contemptu. Vnde & ego interdum parcens uobis tacere uellem, ſed malo uos contumaciæ cauſſas reddere, quàm me negligentiæ ſuſtinere iudicium. Comperi enim fratres quod per abſentiam meam ita rari quiq; ad eccleſiam ueniatis, ita pauci admodum procedatis, qua ſi me proficiſcente mecum pariter ueneritis, & quaſi cum neceſſitatibus ego pertrahor, uos mecum traxerit ipſa neceſſitas. Pariter ergo à domo dei abſentes ſumus: Sed hoc intereſt, quòd me abſentem neceſſitas efficit, uos uoluntas. Neſcitis quia etſi ego ab eccleſia deſum, Chriſtus ab eccleſia ſua, qui eſt ubiq;, non deeſt? Venis frater ad eccleſiam, nõ inuenis ibi epiſcopum: ſed ſi fideliter uenis, inuenies ibi epiſcoporum epiſcopum Saluatorem. Nam Chriſtianus qui tunc tantum procedit ad eccleſiam, quando epiſcopus præſens eſt, non tam dei cauſa uidetur proceſſiſſe, quàm hominis: nec impleſſe Chriſtiani timentis officium, ſed amici deferentis obſequium. Quid autem ego uos arguo, cum poſſitis me uno ſermone conuincere? Conuincor enim cum in hac parte clericos uobis magis uideo negligentes. Quomodo enim poſſum corrigere filios, cum fratres emendare non poſſim? Aut qua fiducia ſuccenſeam laicis, cum à conſortibus pudoris uerecundia conticeſcam? Ego autem fratres non de omnibus loquor. Sunt certe quidam deuoti, ſunt & alij negligentes, ego neminem nomino, conſcientia ſua unumquemq; conueniat.

Poſt

Post increpatiõnem consolatio ad populum. Sermo LXXXIIII

A Maior fortasse fuerit increpatio mea superiore dominica, quòd plerosque de uobis acrius magisterij seueritate conuenerimus, & sim prosecutus quæ aliquot non blandimenta deferrent, sed tristitiam irrogarent. Verum nihil mea interest. ego enim gaudeo, sciens discipuli tristitiam magistri esse lætitiam. Tunc enim auditor proficit, quando austeriora annunciat prædicator: ei salus gignitur, quando tristitia emendationis ingeritur. Dicit enim beatus Apostolus: Nam quæ secundum deum est tristitia, salutem stabilem operatur. Rectè ergo lętor, quia salutẽ oporor cum obiurgo: mœreat licet filius mei asperitate sermonis, me tamen delectat, qui proficere illum intelligo per mœrorẽ. Ait sanctus Apostolus: Quis est enim filius quẽ non uerberat pater? Non enim osculatur semper pater filiũ, sed & aliquando castigat. Ergo quãdo castigatur qui diligitur, tũc circa eum pietas exercetur. Habet enim & amor plagas suas quæ dulciores sunt, cum amarius inferũtur. Dulcior enim est religiosa castigatio, quàm blanda remissio. Vnde ait propheta: Dulciora sunt uulnera amici, quàm uolũtaria oscula inimici. Igitur fratres quia post increpationis meæ utilia uerba credo uos benignitate sensuum profeciſſe, de sacris literis aliqua cõferamus. Sicut enim fons qui non solito humore distillat, exagitatur furculis, & ita largior inuenitur, ac primum ex eo turbida aqua producitur, ut unda purior subsequatur: sic ergo et sanctitas uestra asperata quidem fuerat austeritate sermonis, sed deuotior facta est dulcedine pietatis. Turbulentũ enim quidam uestri animi forsitan retinebãt, sed iam ex uestris moribus profluit omne quod purum est. Videamus ergo quid sit quod ait ad discipulos suos dominus. Vos autẽ quẽ me dicitis? Non igitur tanquam ignarus interrogat dominus quid de eo populi discipuliq; sentirent, sed tanquam sciens uniuersorũ mentes, fidẽ manifestare uoluit singulorum, ut quod corde credebãt, ore narrarent. Alij enim Heliam esse credebãt dominũ, alij Hieremiam, alij Ioannem baptistã, Petrus solus Christum dei filium confitetur. Gradus quidam sunt fidei: & qui deuotius credit, religiosius cõfitetur. Pro hac deuotione dicitur Petro: Beatus es tu Simon Bariona, quoniam caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis, Et ego dico tibi: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Cum uocaretur ergo Simon, per hanc deuotionem uocatus est Petrus. Legimus dicente Apostolo de ipso domino: Bibebant de spiritali petra, Petra autem erat Christus. Recte igitur quia petra Christus, Simon nuncupatus est Petrus, ut qui cum domino fidei societatẽ habebat, cũ domino haberet & nominis dominici unitatem, ut sicut à Christo Christianus dicit, ita & à petra Christo Petrus Apostolus uocaretur. Sed nec populorũ opinionem possumus reprobare, qui unum de prophetis dominum existimabant. Nam ideo nonnulli uelut Heliã saluatorẽ forsitan putauerunt, quia ad cœlos Helias sicut saluator ascendit, sed nõ sicut Helias Christus est. Ille enim ad cœlos rapitur, iste regreditur. Ille tanquam infirmus ignea quadriga subuehitur, hic tanquã deus propria uirtute portatur. Ille sicut homo ducitur, hic sicut saluator ascendit. Ille ducentes sequitur angelos, comitantes sibi angelos iste præcedit. Denique ijdem angeli remeantes in terram à domino saluatore dixerũt ad Apostolos: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus qui receptus est à uobis, sic ueniet quemadmodum uidistis eum euntem in cœlum.

Matth. 16

Ibidem.

1.Cor.10

4.Reg.2

Actuum.1

De barbaris non timendis. Sermo LXXXV

D Iximus anteriore dominica Niniuitas in tribulatione positos diuinitatis misericordiam per abstinentiam meruisse, & ciuitatem suam de periculo ieiunijs liberasse, tantæq; eos fuisse sapientiæ, ut non alienis se præsidijs defenderent, sed propria deuotione saluarent. Nam non statim desperauerunt de salute sua, quia audierunt à propheta cum ciuitatis se mœnibus subuertendos: sed quanto proximum annunciabatur excidium, tanto magis religiosis actibus armabantur, nec reliquerunt euertendam ciuitatem suam, sed in ea potius permanserunt, sapientes scilicet, ut quæ ciuium uexabatur peccatis, ciuium orationibus saluaretur: & cui perditionẽ mala cõuersatio intulerat, ei salutem deuotio religiosa conferret. Iustum enim erat ut quos fuerat passa peccatores, eosdem haberet proprios defensores. Ciuitati enim non nisi propter ciuium peccata infertur excidium. Desine ergo peccare, & ciuitas non peribit.

Quid fugis patriam? Si uis saluus esse, tua potius peccata subterfuge. Si tu peccare desieris, uictus est inimicus. Dicit ad Abraham scriptura diuina per decẽ iustos patriã posse saluari. Igitur si iusti sunt qui saluam faciant patriam, utiq; iniusti sunt qui eam relinquunt. Et si illi propter præsentiam suam consequuntur gratiã: necesse est ut ij propter desolationem mereantur offensam. Iniustus plane & impius est filius qui periclitantẽ deserit matrem. Mater enim quodammodo dulcis est patria, quæ te genuit, quæ nutriuit, quæ ut fugere possis diuitẽ te fecit. Nam si nõ tibi suppeteret sumptus copiosa substãtia, fugę præsidium non haberes: atq; ideo auaritia ductus, dum metuis diuitias tuas perdere, impius in matrem esse non dubitas. Vnde intelligimus plus te pecuniæ tuæ consulere quàm saluti. Dic mihi ô bone ciuis, cur fugere disponis, cur patriam derelinquis? Captiuitatem fortasse metuis. Da ueniam, non intelligis, nescis quòd hæc est prima captiuitas, patriam non uidere, & quòd grauius est omni malo hostili, peregrinationis exiliũ. Solet qui aliquid sceleris admiserit, huiusmodi pœna damnari, ut pellatur patria, regionibus incognitis relegetur. Hoc igitur malum propria tibi prouides uolũtate, quod solet supplicij causa dãnatus excipere. Sed ponamus te forti esse animo, & æquanimiter tolerare posse peregrinationis iniuriam. Dic mihi, qua inter extraneos libertate uicturus, nónne cũ loqui cœperis, obijcietur tibi, Vnde iste exul, unde iste fugitiuus aduenit? Num & nostrã ciuitatem opprimere nititur, sicut patriã suam pressit? Ita autem aporiaberis, ita conturbaberis, ut libertati tuæ metuẽs uerearis ne ingenuitatis tuę ibi non inuenias assertorẽ. Mihi crede, in aliena patria tanta auditurus es, quanta in tua patria alijs sępe dixisti. Illud autem nolo dicere quod quamuis diuersis in patria tua copijs perfruaris, statim ut exieris de domo tua, mendicus & pauper es. Dicit ergo deus ad Abraham, per decẽ iustos ciuitatẽ posse saluari. Male igitur de te sentis populę Christiane, si in tanto cœtu nostro ad saluandã ciuitatẽ decem iustos esse non credis. Dum enim deseris patriam, profiteris nõ in ea esse dignos quorũ meritis liberetur. At ego uereor ne omnibus in ea iustis relictis, tu solus qui deseris, inueniaris iniustus. Sed nolo de decẽ iustorum numero te perturbes. Legimus etiam quòd de Sodomitarum excidio meritis suis Loth solus liberauerit ciuitatem, quod magis ualuerit ad saluandum uuius gratia, quàm ad euertendũ peccata multorum. Exeunti enim illi de Sodomis hospitij caussa Segor parua conceditur. Quod si iusto hospitij donatur ciuitas, quanto magis iusto patria conceditur?

Genes. 18

Item de eodem. Sermo LXXXVI

§ Aepe dixisse me memini quòd hostium tumultus bellicosos timere minime debeamus, nec quamlibet copiosam hostium multitudinem formidare, quoniam sicut ait dominus, maior est qui in nobis est, quàm qui in hoc mundo. Hoc est, potentior est ad protegendos famulos suos Christus, quã diabolus ad instigandos inimicos. Quamuis enim idẽ diabolus colligat sibi turbas, & crudeli eas armet insania, tamen facilè destruuntur, quia melioribus populũ suum saluator circundat auxilijs. Ait enim propheta: Immittet angelum dominus in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Quod si angelus domini timentes eum de periculis eripit, non potest timere Barbarum qui timuerit saluatorẽ, nec potest metuere hostis impetũ qui Christi præcepta seruauerit. Præcepta enim Christi, arma sunt Christianis, & diuinus timor terrorẽ à nobis expellit hostilem. Arma autem hæc nostra sunt quibus nos saluator instruxit, oratio, misericordia, atq; ieiunium. Ieiuniũ enim melius quàm murus tuetur, misericordia facilius liberat quàm rapina, oratio longius uulnerat quàm sagitta. Sagitta enim nõ nisi proximè conspectum percutit aduersariũ, oratio autẽ etiã longius positũ uulnerat inimicum. Sic nanq; Helisæus propheta cum eum uellet rex Syrię captiuare, ac suæ subdere ditioni, multisq; eum armatorum cinxisset agminibus, non est territus, non turbatus, sed annuncianti puero ait: Noli timere, plures enim nobiscum sunt quàm cum illis. O fides sancti prophetæ, non timet aduersarios quos prospicit, quoniam scit angelos secum esse quos credit. Nõ metuit terrenas insidias, quia cœlestia adesse sibi nouit auxilia. Plures, inquit, nobiscum sunt, quàm cũ illis. Mira res, plures è cœlo defensores meretur sanctitas, quã in terris oppugnatores adduxit improbitas. Plures nobiscũ sunt, quàm cum illis. Videte beatitudinis meritum, propheta nũciat etiam de multitudine, cum puer adhuc incertus sit de salute. Spirituales oculi carnalibus quanto plus cernũt? Hic perspicit armatorum numerum,

Psalm. 33

4. Reg. 6

numerum,& ille non cernit defensionis indicium. Quanta est diuina misericordia? defertur hominibus beneficium, nec uidetur auxilium: periclitantem consequũtur,& nesciunt. Hęc est enim pietas saluatoris, ut interueniat saluti, ac nõ se prodat aspectu. sentiatur beneficijs,& non cernatur obtutibus. Vnde errat qui putat cum prosperè aliquid gesserit, propria se fortitudine superasse. Scire enim debet quòd aduersarij meritis magis quàm uirtute uincuntur, & nõ tam uirtute quàm sanctitate superantur, sicut sanctus Helisæus hostes suos non armis superabat, sed oratione uincebat. Nam cum idem ministro suo ad depellendũ eius timorem plures adesse diceret defensores, nec metus ab illo posset auferri, tunc orauit ad dominum dicens: Domine aperi oculos eius ut uideat,& aperti sunt oculi eius,& uidit,& ecce mons totus plenus equitatu.& reliqua. Oratio ergo prophetæ aperuit oculos pueri. nõ mirum si oratio aperuit oculos, ut uideret exercitus. Non mirum inquam si nouos inserit oculos, qui noua promeretur auxilia. Aut cur non acieí producat obtutũ, qui acies instruxerat angelorũ? Cur inquã non oratione sua hebetudinẽ pupillarũ detergeret, qui meritis suis caliginẽ nubium penetrauit? Necessario ergo sanctus Helisæus hoc facto ministro formidoloso præstitit securitatẽ, cui iam refuderat claritatẽ,& remouerat uisionis cęcitatem, geminoq; eum remunerãs beneficio, absoluit eius metum, absoluit obtutum, minus timere cœpit postquam plus uidere promeruit, Nam & pacem pariter promeruit,& uisum. In montibus ergo cernuntur armati, apparet eos uere descendisse de cœlo, quorum aduentus primum in montibus reperitur. Ipsa enim locorũ proximitas hoc demõstrat, quòd descendentes de cœlo non nisi iuga colliũ sibi uicina calcauerint. Tunc igitur orauit Helisæus,& omnẽ hostilẽ exercitum cæcitate percussit. Non mirum si aduersarijs cæcitatem intulit, qui famulo largitus est claritatẽ: & si hostibus aufert uisum, qui ministro præstat aspectũ. Vbi sunt qui dicunt, plus quàm preces sanctorũ hominũ arma posse? Ecce una oratio Helisæi totum exercitũ uulnerauit,& unius prophetæ meritis omnis est hostium numerus captiuatus. Quæ cateruæ regum, quæ turba militũ talem uictoriam perpetrarunt, ut ita hostes prosternerent, unde illis nullus occumberet? Hæc est uera, hæc incruenta uictoria, ubi sic aduersarius uincitur, ut de uincentibus nemo lædatur. *Ibidem.*

De sancto propheta Helisæo. Sermo LXXXVII

MIrum forsitan uideatur quòd ante dies aliquot sancti Helisæi gratiam describentes diximus in defensionem ipsius de cœlis auxilia descendisse, & armatos equites siue quadrigas ei diuinitus affuisse, astitisse etiã circa ipsum quadrigam igneam. Magna quidẽ res, sed in uiro sancto miranda nõ est. Quid enim mirum si is auxilia meretur è cœlo, cuius animus semper in cœlo est? sicut ait Apostolus: Nostra autem cõuersatio in cœlis est. Ergo si nostra conuersatio in cœlis est, & cœlestium conuersatio potest esse nobiscum: hoc est, ut qui uita uiuimus, angelorũ rectè consortiũ mereamur. Est ergo sancte uiuentibus quædam inter se cognatio, coniunctio atq; societas: nec interest utrũ in cœlis maneãt, an in terris: angelici sint habitus, uel humani, dummodo in ijs sit eadem uita uel sanctitas. Conuersatio enim connectit quos separat elementum,& diuersis licet corporibus diuidantur, ijsdem tamen actibus coniunguntur. Atq; ideo fit ut sancti sibi quodam consortio cohęrentes à se inuicẽ non discedãt.& modo angeli ad terras ueniãt, modo homines ad cœlestia transferantur, ac profectu meliore quibus uita communis est, incipiunt illis uiuendi etiam elementa esse communia. Sed dicit aliquis: Frequenter audiuimus angelos ad homines descendisse, audire etiam cupimus quãdo homines ad cœlestia transmigrarint. Manifesta res est,& in prõptu posita. Helias magister Helisæi nónne angelis ducentibus raptus ad cœlũ est,& quadriga ignea impositus quasi in quodã triumpho uictor ascendit? Victor enim extiterat non gentium Barbararũ, sed secularium uoluptatum. Siquidem grauiores inimici sunt praui mores quàm hostes infesti, ut facilius intelligamus hoc tempore malignitatẽ hostiũ uinci posse quàm morũ. Ergo Heliam angeli ad cœlum perferunt, Helisæum angeli qui magistrum portauerant, discipulum tuebantur, & notitia quadam obsequia quæ patri exhibuerant, etiam filio deferebant. Ipse enim Heliæ spiritualis est filius, ipse eius hæres est sanctitatis. Rectè autẽ Helisæus Heliæ spiritualis filius dicitur, qui ascendens ad cœlum, spiritum duplicẽ ei suæ gratiæ dereliquit. Cum enim data esset facultas Helisæo ut *Philip.3* *4.Reg.2*

peteret quid uellet prius quàm ab eo reciperetur Helias, petiuit ut duplex ſpiritus Helię fieret in ipſo. Tũc dixit Helias, dure petiſti, ſed fiet tibi. O hæreditas precioſa, in qua plus hæredi relinquitur quàm habetur: plus conſequitur qui accipit, quàm poſſideret qui largitur. Precioſa planè hæreditas, quæ dum à patre transfertur ad filium, meritorum quodam fœnore duplicatur. Igitur Helias cum ſimplicem ſanctitatis ipſe haberet ſpiritum, Heliſæo duplicem dereliquit. Mirum ergo in modum plus Helias gratiæ dimiſit in terris, quàm ſecum portauit ad cœlos: & licet ipſe ad altiora totus trãsfertur corpore, apud filium tamen maiore manet ſanctitate. De Heliſæi autẽ meritis quid dicamus, cuius hæc prima laus eſt quòd patrẽ uoluit gratia ſuperare, dũ dari ſibi amplius poſtulat, quàm ſcit apud eum eſſe qui poſſidet? Auarus quidem eſt in petendo, ſed idoneus in promerẽdo. Dum enim à patre plus exigit quàm habebat, facit cum meritis ſuis plus præſtare quàm
Ibidem. poterat. Nam cum idem Heliſæus poſt aſcenſum ſui magiſtri ueniſſet Hiericho, & rogaretur à ciuibus ut in eadem conſiſteret ciuitate, dixerunt: Commoratio oppidi bona eſt, ſed aquæ malæ & ſteriles ſunt. Tunc præcepit ſibi dari uas fictile, & recondito in eo ſale ueniẽs ad exitus aquarũ proiecit in aquas, dicẽs: Hęc dicit dominus, Sanaui aquas iſtas, non erit ex eis moriens neq; ſterilis, & ſanatæ ſunt aquæ uſq; in hunc diem. Videte ergo Heliſæi quanta ſint merita cuius prima in ciuitate hoſpitalitas, filiorum eſt magna fœcunditas. Dum enim ſterilitatem auertit aquarũ, ſucceſſionem largitur hæredum. Non enim hoc facto unum Heliſæus ſanauit hominem, aut unius domus præſtitit medicinã, ſed totius ciuitatis populum reparauit. Si enim tardius hoc feciſſet, interueniente ſterilitate ſeneſcentibus cunctis ciuitas ſine habitatore remanſerat. Igitur Heliſæus dum curauit aquam, curauit & plebem: & dum fontem benedixit undarum, fontem quendam indulſit animarum. Nam ſicut ſanctificatione eius de occultis terræ uenis aqua ſana prodiuit, ita de occultis uuluæ uiſceribus ſoboles ſana proceſſit. Non enim ſola tantum fluenta benedixit Heliſæus, quę fontium iam gremio tenebantur, ſed & illa quæ humido ter-
4. Reg. 2 ræ ſolo adhuc indiſcreta paulatim erant in poſterũ defluxura. Vnde ait ſcriptura ad exitus aquarũ benedixiſſe Heliſęum, ut ſtillantem aquã prius ſanctificatio ſuſciperet, quàm
1. Cor. 10 ſinus fontis includeret. Igitur quoniã dicit Apoſtolus Paulus, Hæc in figura contingebant illis: uideamus ergo ipſa figura quam habebat ueritatem, hoc eſt, requiramus quæ ſit iſta ciuitas quæ ſterilitate laborabat, uel quid ſibi uelit uas fictile, quid etiam ut aſperſi ſales afferant ſuauitem. *Galat. 4* Legimus in eodem Apoſtolo dictum eſſe de eccleſia: Lætare ſterilis quæ non paris, erumpe & exclama quæ non parturis. Ergo eccleſia eſt illa ſterilis ciuitas quæ ante aduentũ Chriſti aquarum uitio, hoc eſt ſacrilegio gentilium populorũ ſterilitatem ſuſtinens, deo filios procreare non potuit: at ubi uenit Chriſtus, uelut uas fictile aſſumens corpus humanũ, ſanauit aquarum uitia, hoc eſt reſecauit ſacrilegia popu-
Eſaiæ 54 lorum: & ſtatim eccleſia quæ erat ſterilis, cœpit eſſe fœcunda. Vnde & Apoſtolus dicit:
Gala. 4 Lætare ſterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filij deſertæ magis quàm eius quæ habet uirum. Plures enim filios ex ea eccleſia quę erat ſterilis, procreauit, quàm ſynagoga, quę erat fœcunda, ſuſceperit. Aſperſi autẽ ſales qui ſunt qui
Matth. 5 attulerunt medicinam, facile cognoſcemus, dicit dominus ad Apoſtolos ſuos: Vos eſtis ſal terræ. Ergo ſi Apoſtoli ſalibus cõparati ſunt, rectè figura completur. Sicut tunc effuſi de uaſculo ſales condierunt aquas, ita & nunc miſſi à ſaluatore Apoſtoli populos condiunt uniuerſos, ut ablata ſterilitate uitiorum, prolem incipiant germinare uirtutum.

De bellico tumultu. Sermo LXXXVIII

M Ouet fortaſſe uos fratres, quòd tumultus bellorum, & incurſiones præliorũ fieri audiuimus aſſidue: & cur noſtris temporibus fiãt, dilectionem ueſtram fortaſſe plus moueat. Sed hæc cauſſa eſt, quia quanto magis proximi ſumus
Luc. 21 mundi excidio, tanto magis regno ſumus proximi ſaluatoris. Ipſe enim dominus ait: In nouiſſimis diebus exurget gens aduerſus gentem, & regnum aduerſus regnum: cum autem uideritis bella, & terræ motus, & fames, ſcitote quoniam in proximo eſt regnũ dei. Ergo uicinitas iſta bellorum uicinum magis nobis Chriſtum eſſe demonſtrat. Atq; ideo uenientem aduerſarium timere nõ debeo, quia per hæc ſigna uenire potius intelligo ſaluatorem. Quamuis enim iſte metum incutiat temporalem, ille tamen deſerit ſempiternum. Potens eſt idem dominus ut & hoſtilem à nobis repellat pauorem, & ſuam nobis præſen-

præsentiam largiatur. Per hos igitur bellorum tumultus, mundi quoddam significatur excidium. Futurum enim iudicium dei hæc inquietudo præcedit. Est autem quoddam commonitionis indicium dei, uidere quod metuis, ut possis intelligere plus superesse quod metuas. Dum enim cauti sumus ad ea quæ cernimus, cautiores ad illa efficimur quę speramus. Vir autem sapiens his actibus terrenis instruitur, quemadmodũ futuri seculi debeat declinare iudiciũ. Dum enim perspicit in hac communi perturbatione priores uiros tuitiones mœnibus præparare, ipse admoneẽ quemadmodũ in futura euersione mundi defensionẽ Christianis prępparet animabus. Cernimus armari ciuitatis portas debemus etiã prius in nobis portas armare iustitiæ. Sunt enim portæ iustitiæ, de quibus sanctus propheta dixit: Aperite mihi portas iustitiæ, & reliqua. Tunc autẽ ciuitatis porta munita esse poterit, si prius in nobis portæ iustitiæ muniantur. Cæterum nihil prodest muros munire propugnaculis, & deum prouocare peccatis. Illa enim constituitur ferro, saxis & fudibus: hæc armetur misericordia, innocẽtia, castitate. Illa telorum multitudine custoditur, hęc orationum frequentia defendatur. Et ad plenam tuitionem urbiũ portas principum solent signa prędcedere. Animarum autẽ nostrarũ portas signũ saluatoris anticipet. Ergo fratres propter futurũ mundi iudiciũ armis nos cœlestibus muniamur, accingamur lorica fidei, salutis galea protegamur, uerbo dei uelut spirituali gladio defendamur, qui enim his armis instructus fuerit, nec præsentem perturbationem metuit, nec futurum iudicium pertimescit. Siquidem sanctus Dauid hac deuotione protectus, Goliam illum fortissimum armatum & inermis occiderit, & uirum bellicosum sub munitionibus undiq; circunseptum sola fidei uirtute prostrauerit. Cum enim sanctus Dauid nõ operiretur galea, nõ prædcingeretur clypeo, non lancea uteretur, occidit illum non telo ferreo, sed gladio spirituali. Quamuis enim inermis oculis hominum uideretur, satis tamen erat gratia diuinitatis armatus. Verum ipse spiritualis gladius nõ fuit gladius. Non enim gladio Golias, sed lapide prostratus occubuit. Legimus in scripturis lapidis uocabulo Christum figuraliter designari, sicut ait propheta: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Igitur cũ lapide Golias percutitur, Christi uirtute prosternitur. Et in qua tandem corporis parte percutitur? In fronte scilicet. Gentilis enim & sacrilegus homo ibi percutiẽ à Christo, ubi deerat Christus, & ibi infertur ei mortis exitiũ, ubi signũ salutis nõ inuenitur. Quamuis enim esset Golias undiq; armorũ protectione munitus, frons tamẽ eius patebat ad mortẽ: quia signaculũ saluatoris nõ gestabat. Atq; ideo ibi perimitur, ubi nudus à dei gratia reperitur. Hæc autẽ in figura facta esse nemo est qui nesciat, Nam & Dauid armorũ indumentis sese antè prędcinxerat: sed cũ esset in ijs grauis & impeditus, ita ut ambulare uix posset, eadẽ sine cunctatione proiecit, significãs arma illa huius mundi uana & luxuriosa esse opera, quibus qui se permisce re uoluerit, tanquã grauis & gradiendi ad cœlũ cursum liberũ nõ habebit. Simul & illud nos docuit, quod nõ in armis tantũ sperãda uictoria est, sed in nomine saluatoris orãda.

De dedicatione Basilicæ. Sermo LXXXIX

L Egimus in sancto Euangelio, cum Centurionis cuiusdam seruus qui erat illi preciosior, graui paralysis ægritudine laboraret, & per seniores Iudæorum ille Centurio rogaret saluatorem ut eius doloribus mederetur, erat enim, ut ait scriptura, moriturus: inter cętera ad maiorem cõmendationis gratiam seniores dixisse domino: quia dignus est ut hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse ędificauit nobis. Si ergo commendatur domino qui ædificauit synagogã quanto est commendatior qui ædificauit ecclesiam? Et si is meretur gratiam qui impietatis receptaculum præstitit, quanto maiorem meretur gratiã qui religioni domiciliũ præparauit? Et si ille cœlesti misericordia uisitatur qui cõstruxit locum ubi Christus semper negatur, quanto magis uisitandus est, qui fabricari fecit tabernaculum ubi Christus quotidie prædicatur? In Centurione enim dominus nõ quid operis fecit, sed qua mente operatus sit comprobauit. Nã qui tempore quo nondũ Christiani erant, solicite synagogam fecit: si fuissent utiq; Christiani, intelligitur quòd multo solicitius fecisset ecclesiam: sed tamen licet synagogam ædificet, Christum prædicat, in ipso enim opere cõmonet Pharisęos, debere illos suscipere saluatorẽ: & demonstrat propterea se tabernaculũ amplius edidisse, ut multipliciter domini gloriam loquerentur. Si enim credit in Christum con- Luc.7 Ibidem.

ditor synagogæ, multo magis credere debet habitator ipsius synagogę. Centurio ergo si iustificatus est propter opus fragile uel terrenum, iustificandus plane uir clarissimus & prouidentissimus comes noster propter opus tam perpetuum uel cœleste: qui comes si cut est Centurione dignitate potior, ita & fide debet esse deuotior. Sapiens uir & religiosus comes, qui quantum in bello Imperatori militat, tantum & in pace militat saluatori: & quantum festinat de hostium manibus captiuos eruere, tanto magis festinat à diaboli se sacrilegio liberare. Ibi inimicos terreni regis interficit, hic aduersarios domini cœlestis insequitur. Ibi Barbaros uincit, hic dęmones. Sapiens inquam, qui sicut comes Imperatoris est, ita & comes Christi esse desiderat. Nam bene utiq; & religiose agendo dignitatem suã cupit esse perpetuam, secundum quod scriptũ est in propheta: Et uos ô boni reges bonas facite uias uestras, & studia uestra, & audite uocem domini dei uestri, & pœnitebit dominũ mali quod locutus est aduersus uos. Ergo cum Centurio rogaret dominum ut de morte erueret ægrotantem, & uellet dominus ad domum Centurionis perge re, in qua seruulus decumbebat, ait Centurio: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum. Excusat igitur Centurio, & ne sub tectum eius ingrediatur dominus, indignum se dicit. Ecce dignus est comes noster, sub cuius tectũ hodie saluator ingreditur. Videamus, ipsa Centurionis excusatio quam habeat gratiã. Ait enim hodie: Nõ sum dignus ut intres sub tectum meum, sed dic tantum uerbo, & sanabitur. O fides Christiana, quæ cũ humilitate totum impetrare cõsuesti. Ecce religiosus Centurio ad accipiendam salutem dignior fit dum se profitetur indignũ: & dum ædes suas iniuriosas putat, magis eas honorificas fecit & gratas. Magnę enim & perfectę fidei uir, qui intelligeret Christũ cœlorum esse, dum uerebatur ne hospitij sui eum angusta non acciperent. Ergo contradicente Centurione non pergit ad domum dominus. Non pergit dominus, sed pergit domini medicina, non uisitat ægrũ saluator, sed uisitat sanitas saluatoris. De fratribus uero nostris sanctis uiris Vitaliano & Maiano quid dicam? Scio illos gloriam ab hominibus non quærere, nisi à solo deo, sed tamen laudem eorum etsi ego taceam, ipsa opera loquũtur. Ad ipsorum enim laudẽ pertinet quicquid in alijs paulò antè laudauimus. Nam hoc tabernaculũ etsi plurimi construxerunt, hi tamen sumptu operati sunt uno assensu. Et quo tandem sumptu, cum sint in seculo mediocres & tenues? Illo scilicet de quo ait Apostolus: Abundãtia fidei, & diuitijs simplicitatis. Est enim sanctis uiris semper diues ipsa paupertas. Vnde credo hos beatos hanc ecclesiam nõ minus orationibus quàm impendijs fabricasse. Sic enim oportebat ut opus Christi precibus magis crescceret, quã cæmentis. Totam enim substantiam in huius facturam operis expenderũt, & ipsis certè nihil deest. Ipsa planè est, sicut diximus, diues locuplesq; paupertas, quæ expendit omnia. Sed hæc à deo benedicta est, sicut illa uidua de qua dicit dominus in Euangelio: Mulier hæc uidua pauper plus quàm omnes misit, nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera dei: hæc autem totum uictum suum quem habuit misit.

Hiere. 26

Luc. 7

2. Cor. 9

Luc. 21

De passione beatæ Agnetis uirginis. Sermo xc.

S Eruus Christi Ambrosius Virginibus sacris. Diem festum sacratissimæ uirginis celebremus. Hinc Psalmi resonent, inde concrepent lectiones: hinc populorum turbæ lætentur, inde sustententur pauperes Christi. Omnes ergo gratulemur in domiuo, & ad ædificationem uirginum, qualiter passa sit Agnes beatissima, ad memoriam reuocemus. Tertiodecimo ætatis suæ anno mortẽ perdidit, & uitã inuenit: quia solũ uitæ dilexit authorẽ. Infantia quidem computabatur in annis, sed erat senectus mentis immensa. Corpore quidem iuuencula, sed animo cana. Pulchra facie, sed pulchrior fide, & elegantior castitate, Quæ dum à scholis reuertitur, à præfecti urbis filio adamatur. Cuius parentes dum requisisset, & inuenisset: cœpit offerre plurima, & plura promittere. Denicq; detulerat secum preciosissima ornamenta, quæ à beata Agne uelut quædam stercora sunt recusata. Vnde factum est, ut iuuenis maiori perurgeretur amoris stimulo, & putans eam meliora uelle accipere ornamenta, omnium lapidum preciosorum secum detulit gloriã, & per seipsum, & amicos, & notos, & affines, cœpit aures uirginis appellare, diuitias, domos, possessiones, familias, atq; omnes huius mũdi delitias repromittere, si consensum suum eius coniugio non negaret. Ad hæc beata Agnes tale fertur iuueni dedisse responsum: Discede à me fomes peccati, nutrimentũ facinoris,

pabulum

pabulum mortis: discede à me, quia iam ab alio amatore preuẽta sum, qui mihi satis meliora te obtulit ornamenta, & annulo fidei suæ subarrauit me, longe te nobilior & genere & dignitate. Ornauit me inæstimabili dextrocherio. Dextram meã & collum meum cinxit lapidibus preciosis. Tradidit auris meis inæstimabiles margaritas, & circũdedit me uernantibus atq; coruscantibus gemmis. Posuit signum in facie mea, ut nullum præter ipsum amatorem admittam. Induit me cyclade auro texta, & immensis monilibus ornauit me. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se daturum si ei perseuerauero, repromisit. Non ergo potero ad contumeliam prioris amatoris uel aspicere alium & illum relinquere, cum quo sum charitate deuincta. Cuius est generositas celsior, possibilitas fortior, aspectus pulchrior, amor suauior, & omni gratia elegantior. A quo mihi iam thalamus collocatus est, cuius mihi organa modulatis uocibus resonant, cuius mihi uirgines iustissimis uocibus cantant. Iam mel & lac ex ore eius suscepi. Iam amplexibus eius castis astricta sum, iam corpus eius corpori meo sociatum est, & sanguis eius ornauit genas meas: Cuius mater uirgo est, cuius pater fœminã nescit. Cui angeli seruiunt, cuius pulchritudinẽ sol & luna mirantur, cuius odore reuiuiscũt mortui, cuius tactu fouentur infirmi, cuius opes nunquã deficiũt, cuiusq; diuitiæ nunquã decrescũt. Ipsi soli seruo fidem, ipsi me tota deuotiõe cõmitto. Quẽ cum amauero, casta sum: cum tetigero, munda sum: cum accepero, uirgo sum. Nec deerunt nuptijs filij, ubi partus sine dolore succedit, & fœcunditas quotidiana cumulatur. Audiẽs hæc insanus iuuenis, amore corripitur cęco, & inter angustias animi anhelo cruciabatur spiritu. Inter hęc lecto sternitur, & per alta suspiria amor à medicis aperitur. Fiunt nota patri quæ fuerant inuenta à medicis, & eadem paterna uoce quæ fuerant iam dicta à filio, ad petitionem uirginis reuoluuntur. Abnegat Agnes beatissima, & se nullo pacto prioris asserit sponsi fœdera uiolare. Cũq; pater diceret in fascibus præfecturæ se agere, & idcirco quamuis etiam illustrem uirum minime sibi debere præferri, cœpit tamen uehementissime inquirere quis esset sponsus de cuius se Agnes potestate iactaret. Tũc extitit quidã ex parasitis eius, qui diceret hãc Christianam esse ab infantia, & magicis artibus ita occupatã, ut dicat Christum spõsum suum esse. Audiens hæc præfectus lętus efficitur, & missa apparitione cum ingenti strepitu suis eã tribunalibus præcipit sisti. Et primo quidẽ blãdis eam sermonibus secretius prouocat, deinde terroribus puls at. Sed uirgo Christi nec blandimentis seducitur, nec terrore concutitur: sed eodem uultu, eodẽ animo perseuerans, & terrentẽ similiter sicut blandientem animo deridebat. Videns itaq; Symphronius præfectus tantam in puella constantiam, parentes eius alloquitur. Et quia erant nobiles, & uim eis inferre non poterat, titulum eis Christianitatis opposuit. Sequenti nanq; die Agnem sibi præsentari iubet. Et iterũ iterumq; repetẽs, replicare cœpit de iuuenis amore sermonẽ. Cumq; omnis sermo eius casso labore deficeret, sisti eam iterum suis tribunalibus iussit. Cui & dixit: Superstitio Christianorum, de quorum te magicis artibus iactas, nisi à te fuerit segregata, non poteris insanias abijcere pectoris, neq; æquissimis consilijs præbere cõsensum. Vnde te ad uenerandam deam Vestam properare necesse est, ut si perseuerãtia uirginitatis placet, eius die noctuq; sacrificijs reuerẽdis insistas. Ad hæc beata Agnes dixit: Si filium tuum, quamuis iniquo amore uexatũ, tamen uiuentem hominẽ recusaui: hominẽ utiq; qui est rationis capax, qui & audire & uidere, & palpare, & ambulare potest, & flore lucis huius cũ bonis frui: si ergo hũc caussa amoris Christi nulla possum ratione respicere: quomodo possum idola muta & surda, & sine sensu, & sine anima, colere, & ad iniuriã summi dei ceruicẽ meã uanis lapidibus inclinare? Audiẽs hæc præfectus Symphronius dixit: Cupio consultum infantiæ tuæ, & adhuc te deos blasphemantem idcirco differo, quia annos tuos infra sensum aspicio. Noli ergo temetipsam ita despicere, ut motus deorum incurras. Beata Agnes dixit: Noli infantiã corporalem ita in me despicere, ut putes me te uelle habere propitiũ. Fides enim non in annis, sed in sensibus inuenit, & deus omnipotens mentes magis comprobat, quàm ætates. Deos autẽ tuos quorũ motus me incurrere non uis, ipsos irasci permitte, ipsi loquantur, ipsi hoc mihi præcipiant, ipsi iubeãt se coli, ipsi iubeant adorari. Verum quoniam ad hoc uideo te tendere quod impetrare non poteris quicquid tibi uidet, exerce. Symphronius præfectus dixit: Vnũ tibi è duobus elige, aut cum uirginibus deæ Vestæ sacrifica, aut cum meretricibus scortaberis in

contubernio lupanari. Et longe erũt à te Christiani, qui te ita magicis artibus imbuerũt, ut hanc calamitatem intrepido animo te posse perferre confidas. Vnde, ut dixi, aut sacrifica deæ Vestæ ad laudem generis tui: aut ad ignominiam natalium tuorũ, eris publicę abiectionis scortũ. Tunc beata Agnes cum ingenti cõstantia dixit: Si scires quis est deus meus, non ista ex ore tuo proferres. Vnde ego quia noui uirtutem domini mei Iesu Christi, secura contemno minas tuas, credens quòd neq; sacrificem idolis tuis, neq; polluar sordibus alienis. Mecum enim habeo custodem corporis mei angelũ domini. Nam unigenitus dei filius quem ignoras, murus est mihi impenetrabilis, & custos mihi est nunquam dormiens, & defensor mihi est nunquam deficiens. Dij autem tui aut ærei sunt, ex quibus cucumæ melius fiunt ad usus hominũ: aut lapidei, ex quibus sternuntur plateæ. Diuinitas ergo non in lapidibus uanis habitat, sed in cœlis. Non in ære aut aliquo metallo, sed in regno superno consistit. Tu autem & similes tui nisi ab istorum cultu recesseritis, simul uos pœnæ concludent. Sicut enim illi igne conflati sunt ut funderentur, sic colentes eos perpetuo incendio conflabuntur: non ut fundãtur, sed ut confundãtur in æternum, & pereant. Ad hęc insanus iudex iussit eam expoliari, & nudã ad lupanar duci, sub uoce præconis dicentis, Agnem sacrilegam uirginem, dijs blasphemiam inferentẽ, scortum lupanaribus datam. Statim autẽ ut expoliata est, crine resoluto tantam densitatẽ capillis eius diuina gratia concessit, ut melius uideretur fimbrijs eorum, quàm uestibus tecta. Ingressa autem turpitudinis locum, angelum domini ita præparatum inuenit, ut circundaret eam immenso lumine, ita ut nullus posset eam præ splendore respicere. Fulgebat enim tota cellula illa quasi radians sol in uirtute sua: & quanto quis curiosior oculis esse uoluisset, tanto sibi usus aciem obtundebat. Cumq; se in orationẽ domino prostrauisset, apparuit ante oculos eius stola candidissima, & apprehendens eam induit se, et dixit: Gratias tibi ago domine Iesu Christe, qui me in numero ancillarum tuarum computans, uestem hanc mihi largiri præcepisti. Ita nanq; ad mensuram corpusculi eius aptum erat indumentum, & ita nimio candore conspicuũ, ut nullus dubitaret hoc angelicis manibus præparatum. Interea lupanar efficitur locus orationis, in quo omnis qui fuisset ingressus, adoraret & uneneraretur, dans honorẽ immẽso lumini, & mundior egrederetur foras, quàm fuerat intus ingressus. Cũq; hæc agerẽtur, præfecti filius qui author erat huius sceleris, uenit ad locũ cum sodalibus suis iuuenculis insultaturus puellæ, cum quibus libidinis suæ se posse credebat ludibriũ exercere. Et ingressos ante se furentes pueros & turpiter sæuientes, cum omni ueneratione & ingẽti admiratione egressos cœpit impotentes arguere atq; uanos & molles ac miseros iudicare. Et irridẽs, locũ in quo uirgo orabat audacter ingressus est. Et uidens tantũ lumẽ circa eam, non dedit honorẽ deo, sed irruens in ipsum lumẽ, priusquã uel manu eam contingeret, cecidit in faciẽ suã, & prefocatus à diabolo expirauit. Videntes autẽ socij eius quod moras intus faceret, putabant obscœnis eũ operibus occupari. Et ingressus est unus ex iuuenibus qui ei familiarior erat, ut cõgratularetur insultationi eius, & mortuũ eum inueniẽs, exclamauit uoce magna dicens: Pijssimi Romani succurrite, magicis artibus ista meretrix præfecti filiũ interfecit. Fit repẽte concursus populorũ ad theatrũ, & uaria furentis populi acclamatio. Alij dicebant magam, alij innocentẽ, alij sacrilegam conclamabant. Præfectus autem audiens filium suum interisse, cum ingenti tumultu uenit ad theatrũ. Et ingressus locũ in quo corpus filij eius iacebat exanime cum ingenti clamore dicebat: Crudelissima omniũ fœminarum, ad filium meum uoluisti apodixen tuæ artis magicæ demonstrare? Et cum talia atq; alia huiuscemodi uerba repeteret, & causam mortis eius ab ea uehementer inquireret, ait ad eũ beatissima Agnes: Ille cuius uoluntatẽ uolebat perficere, ipse in eũ potestatẽ accepit. Quare autẽ omnes qui ad me ingressi sunt, sani sunt? Quia uniuersi dederunt honorem deo, qui misit angelum suũ, & induit me hoc indumẽto misericordiæ, & custodiuit corpus meum, quod ab ipsis cunabulis Christo cõsecratum est, & oblatum. Videntes ergo splendorem angelicum adorabant omnes, & abscedebant illęsi. Hic autem impudens statim ut ingressus est, sæuire cœpit & fremere. Cumq; manum suam ad me contingendum aptaret, dedit eum angelus domini in reprobã quam conspicis mortem. Dicit ei præfectus: In hoc apparebit quia nõ magicis artibus ista gessisti, si deprecata fueris ipsum angelum ut restituat mihi filium meum sanum. Cui beata Agnes dixit: Licet fides

uestra

uestra hoc impetrare non mereatur à domino, tamen quia tempus est ut uirtus domini mei Iesu Christi manifestetur, egredimini omnes, ut solitam ei orationē offeram. Cumq; uniuersi fuissent egressi, prosternens se in faciem planam, rogare cœpit dominum ut iuuenem suscitaret. Orante autē illa, apparuit angelus domini, qui eleuauit eam flentem, & confortās animum eius, iuuenē suscitauit. Qui egressus foras cœpit uoce publica clamare & dicere: Vnus deus in cœlo, & in terra, & in mari, qui est deus Christianorū. Nam omnia templa uana sunt. Dij qui coluntur, omnes uani sunt, & penitus nec sibi possunt nec alijs aliquod auxilium exhibere. Ad hanc uocē omnes aruspices, & templorū pontifices conturbabantur, & fit per eos uehementior quàm fuerat seditio populorū, atq; omnes una uoce clamabāt: Tolle magā, tolle maleficā, quæ & mētes mutat, & animos alienat. Præfectus autem uidens tanta mirabilia, obstupuit. Sed ueritus proscriptionē si contra templorum pontifices ageret, & Agnem contra suam sententiā defensaret, uicarium ad seditionem populi iudicem dereliquit: ipse aūt tristis abscessit, quòd eam non potuit post resurrectionem filij sui liberare. Tūc uicarius Aspasius nomine, iussit in conspectu omnium ignem copiosum accēdi, & in medium eam præcepit iactari flammarū. Quod cum fuisset impletum, statim in duas partes diuisæ sunt flāmæ, & hinc atq; illinc seditiosos populos exurebant, ipsam autem penitus in nullo contigebat incendium. Eo magis non hoc uirtutibus diuinis, sed maleficijs reputātes, dabāt fremitus inter se populi, & infinitos clamores ad cœlos. Tunc beata Agnes expandēs manus suas in medio ignis his uerbis orationem fudit ad dominum: Omnipotens adorande, colende, tremende pater domini nostri Iesu Christi benedico te, quia per filiū tuū unigenitū euasi minas hominū impiorum, & spurcitias diaboli impolluto calle trāsiui. Ecce & nunc rore cœlesti perfusus per spiritum sanctum focus iuxta me moritur, flāma diuidit, & ardor incendij huius ad eos à quibus in me ministratur, effunditur. Benedico te pater prædicande, qui etiam inter flāmas intrepidā me ad te uenire permittis. Ecce iam quod credidi uideo: quod speraui, iam teneo: quod concupiui, cōplector. Te confiteor labijs & corde, te totis uisceribus concupisco. Ecce ad te uenio uiuum & uerum deum, qui cum domino nostro Iesu Christo filio tuo, et cum spiritu sancto uiuis et regnas in cuncta secula seculorum, amen. Cumq; complesset orationem, ita omnis ignis extinctus est, ut nec tepor quidē incēdij remaneret. Tunc Aspasius urbis Romæ uicarius, populi seditionem non ferens, in guttur eius gladiū mergi præcepit. Atq; hoc exitu, roseo sui sanguinis rubore perfusam Christus sibi sponsam & martyrem consecrauit. Parentes uero eius nullam penitus tristitiam habentes, cum omni gaudio abstulerunt corpus eius, & posuerūt illud in prædiolo suo non longe ab urbe, in uia quę dicitur Numētana. Vbi cum omnis turba Christianorum concurreret, insidias à Paganis perpessi sunt: & uidentes populum infideliū super se uenientem armatum, omnes fugerunt. Aliquanti tamen lapidū ictibus læsi euaserūt. Emerentiana autem, quæ fuerat collactanea eius, uirgo sanctissima, licet catechumena, constanter intrepida stabat & immobilis, & his uerbis exprobrabat eis: Superflui, miseri, caduci, atq; atrocissimi, deum omnipotentem colentē occidistis, & pro defensione lapidū homines innocentes iugulastis. Hæc & his similia dum turbis furentibus diceret, lapidata est ab eis, & orans iuxta sepulchrū Agnes beatissimæ emisit spiritū. Non dubium est quòd in suo sanguine sit baptizata, quæ pro defensione iustitiæ dum confiteretur dominum, mortem constanter excepit. Eadem denicq; hora fit terræ motus uehementissimus: & cum nimia esset cœli serenitas, tātæ coruscationes, tantaq; fulgura & tonitrua extiterūt, ut pars maxima insani populi expiraret. Vnde factum est ut nullus penitus ex eo aduenientibus ad sepulchra sanctorum aliquas molestias excitaret. Venientes autem parentes beatæ Agnes cum sacerdotibus nocte, abstulerunt corpus sanctæ Emerētianæ uirginis, & sepelierunt illud in confinio agelli beatissimæ uirginis Agnes. Igitur dū parentes beatæ Agnes assiduis pernoctationibus uigilarent ad tumulū eius, uident in medio noctis silentio exercitum uirginum, quæ omnes auro textis cycladibus indutæ, cum ingenti lumine præteribant. Inter quas uident beatissimā Agnem simili uestę fulgentē, & ad dexteram eius agnum niue candidiorem. Hæc itaq; dum uiderent parentes eius, & qui simul erant, stuporē mentis incurrūt. Sed beata Agnes rogat sanctas uirgines parumper gradum figere & stans parentibus suis dixit: Videte ne me quasi mortuam lugeatis, sed

congau-

congaudete mihi & congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi. Et illi sum iũcta in cœlis, quẽ in terris posita tota animi intentione dilexi. Et his dictis pertransiit. Hæc uisio publice ab omnibus qui uiderant quotidie uulgabatur. Vnde factũ est ut post aliquantos ad Constantiã Constantini filiam hoc factum ab his qui uiderant, narraretur. Erat enim ipsa Constantia regina uirgo prudentissima, sed ita obsessa uulneribus, ut à capite usq; ad pedes nulla membrorum pars libera remansisset. Accepto autem consilio, spe recuperandæ salutis uenit ad tumulum martyris nocte, & licet pagana, ramen credula animi intentione preces fideliter fundebat. Quod dum faceret, repentina somni suauitate corripitur, & uidet per uisum beatissimam Agnem talia sibi monita præferentem: Constanter age Constantia, & crede dominum Iesum Christum filium dei esse saluatorem tuum, per quẽ modo consequeris omnium uulnerum quę in corpore tuo pateris sanitatem. Ad hanc uocem Constantia euigilat sana, & sic sana, ut nec signũ in eius membris alcuius uulneris remaneret. Reuersa igitur ad palatium sanissima, facit gaudiũ & patri suo Augusto, & fratribus suis imperatoribus. Coronatur ciuitas tota: fit lætitia militantibus atq; priuatis, & uniuersis audientibus hæc. Infidelitas gentiũ confundebatur, & fides dominica lætabatur. Interea patrẽ & fratres Augustos rogat ut basilica beatæ Agnes construeretur, & sibi illic mausoleum collocari præcepit. Currit hæc opinio ad omnes, & quotquot credentes ad eius tumulum aduenissent, sanabãtur, quacunque fuissent infirmitate detenti. Quod facere Christũ nullus dubitat usq; in hodierum diem. Perseuerauit autem Constantia Augusti filia in uirginitate, per quam multæ uirgines & mediocres, & nobiles, & illustres, sacra uelamina susceperunt. Et quia fides mortis damna non patitur, usque in hodiernum diem multæ uirgines Romanæ Agnem beatissimam quasi in corpore manentem attendunt, & eius exemplo agentes uiriliter, integræ perseuerant, credentes sine dubio quòd perseuerantes perpetuæ uictoriæ palmam ac quirãt. Hæc ego Ambrosius seruus Christi dum in uoluminibus abditis inuenissem scripta, non sum passus infructuoso silentio tegi. Ad honorẽ igitur tantæ martyris, sicut gesta eius agnoui, conscripsi, & ad ædificationem uestram, ô uirgines Christi, textum passionis eius credidi destinandum, obsecrans charitatem spiritus sancti, ut labor noster in uestra imitatione fructum in conspectu domini ualeat inuenire. Amen.

De inuentione corporum sanctorum Geruasii & Prothasii. Sermo XCI

Psalm. 18

H Esterno tractaui uersiculum, Dies diei eructat uerbum, prout nostri captus tulit ingenij: hodie mihi non solum superiore tempore, sed præsenti quoque prophetasse uidetur scriptura diuina. Nã cum diebus ac noctibus continuatam uideam sanctitatis uestræ celebritatem, istos esse dies prophetici carminis, oracula declararunt hesternũ atq; hodiernum, de quibus opportunissime dicitur: Dies diei eructat uerbũ, & istas noctes de quibus aptissime disputatur, quia nox nocti indicat scientiam. Quid enim aliud hoc biduo nisi uerbum dei intimo eructastis affectu, & scientiam uos habere fidei probauistis? Cui tamen celebritati uestræ, qui solent, inuident. Et quia celebritatem uestram inuidis animis ferre non possunt, caussam celebritatis odere, atq; in tantum amentiæ prodeunt, ut negent martyrum merita, quorum opera etiam dæmones confitentur. Sed hoc non mirum. Siquidem tanta est incredulorum perfidia, ut tolerabilior sit diaboli plerunq; confessio. Dicebat enim diabolus: Iesu fili dei uiui, quid uenisti ante tempus torquere nos? Et cum hæc audirent Iudæi, ipsi tamen dei filium denegabant. Et nunc audistis clamantes dæmones & confitentes martyribus quod pœnas ferre non possint, & dicentes: Quid uenistis ut ante tempus nos tam grauiter torqueatis? Et Arriani dicunt: Non sunt isti martyres, nec torquere diabolum possunt, nec aliquem liberare, cum tormenta dæmonum ipsorum uoce probentur, & beneficia martyrum remedijs cæcorum, & absolutorum indicijs declarentur. Negant cæcum illuminatum, sed ille non negat se sanatum. Ille dicit: Video, qui non uidebam. Ille dicit: Cæcus esse desiui, & probat facto. Isti beneficium negant, qui factum negare nõ possunt. Notus homo est, publicis cum ualeret mancipatus obsequijs, Seuerus nomine, lanius ministerio. Deposuerat officium postquam inciderat impedimentum. Vocat ad testimonium homines quorum ante sustentabatur obsequijs. Eos indices suæ uisitationis accersit, quos habebat testes, & arbitros cæcitatis. Clamat, quia ut contigit fimbriam de ueste martyrum

Matth. 8

qua

qua sacræ reliquiæ uestiuntur, redditum sibi lumen sit. Nónne símile illud est, atq; illud quod in Euangelio legimus? Vnius enim potentiam laudamus authoris: nec interest utrum opus sit an munus, cum & muneretur in opere, & operet in munere. Quod enim alijs faciendum donauerit, hoc in aliorum opere nomẽ eius operatur. Legimus ergo in Euangelio, Iudæos cum uiderent in illo cæco sanitatis remedium, requisisse parentum testimonium. Interrogabãt: Quomodo uidet filius uester? Cum ille diceret, Cæcus cum essem, modo uideo. Hoc & iste dicit: Cæcus fui, & modo uideo. Interrogate alios si mihi non creditis, interrogate extraneos, ne astipulari mihi parentes putetis. Detestabilior istorum quàm Iudæorum pertinacia. Illi cum dubitarent, uel parentes interrogabãt: Isti occulte interrogant, palam negant, iam nõ operi increduli, sed authori. Sed quæro quid non credant, utrum à martyribus possint aliqui uisitari, hoc est Christo non credere. Ipse enim dixit: Et maiora his facietis. an ab istis martyribus, quorum merita iamdudum uigent, corpora dudũ reperta sunt? Quæro hic, utrũ mihi an sanctis martyribus inuideãt? Si mihi, nunquid à me aliquę uirtutes fiunt? Nunquid meo opere, meo nomine? Cur igitur mihi inuident, quod meũ non est? Si martyribus, (restat enim ut si mihi nõ inuident, martyribus inuidere uideantur) ostendunt alterius fidei fuisse martyres, quàm ipsi credunt. Neq; enim aliter eorum operibus inuiderent, nisi fidem in his fuisse eam quam isti non habent, iudicarent. Fidem illam maiorum traditione firmatam, quam dæmones ipsi negare non possunt, sed Arriani negant. Audiuimus hodie dicẽtes eos quibus manus imponebatur, neminem posse esse saluum qui patrem & filium, & spiritum sanctum negaret, qui trinitatis omnipotentem uirtutem non crederet. Confitetur hoc diabolus, sed Arriani nolunt fateri. Dicit diabolus, sic torqueatur quemadmodum ipse à martyribus torquebatur qui spiritus sancti deitatem negarit. Non accipio diaboli testimonium, sed confessionem. Inuitus dixit diabolus, & exactus & tortus. Quod nequitia supprimit, ex torquet iniuria. Cedit diabolus plagis, & adhuc cedere nesciũt Arriani. Quanta perpessi sunt, & quemadmodum Pharao malis suis indurantur. Dicebat diabolus, ut scriptum legimus, Scio te quis sis: Tu es filius dei uiui. Dicebãt Iudęi: Nescimus quis sit. Dicebant hodie, & superiore die uel nocte dæmones, Scimus quia martyres estis. Et Arriani dicunt: Nescimus: nolumus intelligere, nolumus credere. Dicunt dæmones martyribus: Venistis perdere nos? Arriani dicunt, Non sunt dæmonum uera tormenta, sed ficta & composita ludibria. Audiui multa componi, hoc nemo unquam fingere potuit ut dæmonem se esse simularet. Quid illud quod ita exagitari eos uidemus quibus manus imponitur? ubi hic locus fraudi est? ubi suspicio simulãdi? Sed non ego ad suffragium martyrum usurpo uocem dæmoniorum. Beneficijs suis sacra passio comprobetur. Habet iudices, sed purgatos: habet testes, sed absolutos. Melior uox est quam sanitas loquitur eorum qui debiles aduenerunt. Melior uox est quam sanguis emittit. Habet enim sanguis uocem canoram, quæ de terris ad cœlum peruenit. Legistis dicẽte domino: Sanguis fratris tui clamat ad me. Et hic sanguis clamat coloris indicio: Sanguis clamat operationis præconio: Sanguis clamat passionis triumpho. Satisfactum est petitioni uestræ, ut condendas hesterno in hodiernum diem differremus reliquias.

Ioann. 3

Ioan. 14

Luc. 4

Ioann. 9

Genes. 4

In natali sanctorum martyrum Nazarij & Celsi. Sermo XCII

E Tiam si martyribus regionis extraneæ pia uotorum debita redderemus, pro prijs consulere utilitatibus & cõmodis probaremur. Nostros enim eos fides faceret, & remotis quamlibet finibus sperata nobis patrocinia conrogarent. Studiorũ siquidẽ sunt huiusmodi suffragia non locorum. Proinde apud domesticos dei tantũ intercessionis promeueris, quantũ uenerationis impẽderis. Oportet itaq; ut alienos potius nobis deuotio religiosa cõciliet, quàm fortè ꝓprios à nobis negligẽtia inreligiosi teporis alienet. Agnoscamus charissimi circa ecclesiã nostrã uberiorẽ diuinorũ munerum largitatẽ. Exultant felices singularũ urbiũ populi, si unius saltẽ martyris reliquijs muniantur. Ecce nos populos martyrum possidemus. Gaudeat terra nostra nutrix cœlestium militum, & tantorũ parens fœcũda uirtutũ. Rectè itaq; & ex debito à filijs parentis ecclesiæ horum beatorum martyrũ celebrant insignia. Qui inluminantes uirtute fidei suę innumerabiles populos, soli quidem in latam sibi sensere mortẽ, sed non solum mortis suæ beneficia possederunt. Immẽsa enim dei nostri pietas multiplex ad bonitatẽ,

&

& artifex ad ſalutem, proponens arduam uirtutum palmam, raro appetitore precioſam in paucorum triumphis, plurimorum commodis proſpicit. Illorum ſiquidem merita noſtra uult eſſe ſuffragia. Simulq; dum nobis fidem ueram duro martyrij agone commendat, afflictionem precedentium, inſtructionem efficit poſterorum. Quanta eſt circa nos dei noſtri ſolicitudo? Illos examinat, ut nos erudiat. Illos conterit, ut nos adquirat: eorumq; cruciatus noſtros uult eſſe profectus. Merito ergo eos colimus, qui periculis ſuis pugnant, & noſtris utilitatibus militant, qui per lucis uitæq; contemptum edocent nos quantum deo noſtro debeamus affectum. Nouerimus itaq; quia non ſine magno diſcrimine de religionis ueritate dubitamus, quam tantorum ſanguine confirmatã uidemus. Magni periculi res eſt, ſi poſt prophetarũ oracula, poſt Apoſtolorum teſtimonia, poſt martyrum uulnera, ueterẽ fidẽ quaſi nouellam diſcutere præſumas, & poſt tam manifeſtos duces in errore permaneas, & poſt moriẽtium ſudores, ocioſa diſputatione contendas. Congratulamur ergo dilectiſſimi fratres magnæ fidei ueſtræ, per quam dum exules profluæ charitate ſuſcipitis, etiã incolas paradiſi & cœli ciues habere meruiſtis. Beatum itaq; Nazariũ martyrẽ Chriſti ſancta Mediolanẽſis eccleſia licet totũ corpore ſecũ retineat, & mundo tamen totum in benedictione tranſmiſit. Hæc eſt enim ſanctorum martyrum gloria, quorum & ſi per uniuerſum mundum ſeminetur in cineribus portio, manet tamen integra in uirtutibus plenitudo. Veneramus ergo in tanto Chriſti milite fidem noſtram, mater nanq; martyrij fides catholica eſt, in qua iſte illuſtris athleta ſanguine fuſo mortẽ pro ipſa calcauit. mater, inquã martyrij fides eſt. Veneremur ergo in ſanctorum martyrũ gloria fidẽ noſtram. Quomodo fidẽ noſtram? Ab iſtis enim dum mortis tolerantia indubitanter excipitur, ſpes immortalitatis euidenter aſſeritur. Nunquam enim hanc uitam tam cõſtanter expenderent, niſi eſſe alteram incomparabiliter beatiorem perfecta definitione ſentirẽt. In ſanctis itaq; præconibus ueritatis reſurrectionis auctoritas eſt. Prompti enim pereunt in melius reparandi, quibus per anguſtias tribulationum aperitur exitus ad amplitudinem gaudiorum. Vnde & beatus Nazarius cuius hodie glorioſam de mundi hoſte uictoriam uniuerſalis eccleſia feſta exultatione concelebrat, cum tempore gentilitatis non ignobilibus parentibus oriundus exiſteret, ſacrilegi adhuc puer genitoris militiam ſimul & doctrinam deteſtari ex improuiſo cœpit: atq; ab innocente matre, quæ iam Chriſtianæ fidei titulis inſignita, Chriſto ſedulè inſiſtebat, ſacroſanctæ regenerationis fluenta fidelis iam ſpiritu ac fide inſtituta præueniens demonſtrari ſibi flagitabat. Nondum ſiquidem baptiſmum conſecutus, ſed inter religionis principia conſummatus: & nondum manifeſtatis ſibi legibus, deo plenus, repente poſſeſſio atq; habitaculum dei factus eſt, atque ita peruenturę ad cœlos turris prius eleuare faſtigium, quàm diſponeret fundamentum, nondum ſacramentorum conſcius, & in ſacrificium iam præelectus. Quid ad hæc nos infelices reſpondere poterimus? Qui poſt nitorem baptiſmi, poſt conlatum nobis ſacra regeneratione candorem, poſt adquiſitam indumẽti nuptialis angelicam dignitatem in peccatorum cœnum relapſi, & in antiqua criminum uolutabra reuoluti, niueum ueſtimentum tetris iniquitatum ac libidinũ contagijs ſordidamus, & holoſericã, in qua ſigillum diuinæ imaginis acceperamus impreſſum, maculis mortiferæ corruptionis infecimus, & poſt ſingularem dei noſtri indulgentiam innouata fœdamus, integra reſcindimus, expiata uiolamus, repetentes opera non iam undis purganda, ſed flãmis. Quid illud, quamq; inſigne diuinæ gratiæ munus, quod accepto iam ſalutari lauacro, poſt innumera uirtutũ ſigna, poſt peragratas circunquaq; ob Chriſti prædicationem innumeras regiones, cùm pro dei ſummi confeſſione diuerſa per ſupplicia aduerſus eum totus penè orbis baccharetur, & nunc atrociſſimis artaretur pœnis cruciandus, nunc in longinquis finibus tranſueheretur exulandus, ita robuſtiſſimo Chriſti athleta pectore tormenta omnia deuincebat, ut ſtrenuũ de proſtrato reportaret hoſte trophæum, interq; cruenta Cæſaris iuſſa uaſti maris deiectus gurgitibus ambulare ei diuina ſuper aquas conceſſum eſt prouidentia, & rerum obſtupeſcente natura, per inſueti itineris nouas uias pendulum inferẽs greſſum tumentia maris dorſa calcauit. Videres ęquoreas ſanctis ſubſterni meritis undas, ſupraq; angelicis confortatum alloquijs in Chriſti leſu laudibus exultare. Ecce prophanus hoſtis nunquam beato martyri tantum prodeſſet obſequio, quantum profuit odio. Sed tandẽ perfecto agonis certamine,

tamine, cum Celso puerulo, quem ipse in holocaustum deo polluto adsumpserat ex seculo, crudeli imperio damnatione absoluitur, gladio cõsecratur. Felix hic tali exitu, quo omne delictum ita ab eo exijt, ut etiam redire non possit. quo sic debita sua soluit, ne ultra creditorem timeret: quo in se hostiũ peccata fide clausit, fide damnauit. per quem innocentiam deuotione quæsiuit, perseuerantia inuenit, morte seruauit. Quæ cum ita sint charissimi, licet hic tantus Christi testis precios⁹ cõfessione, precios⁹ sanguine, crudeli uulnere precios⁹, & tincta ueste candidior, licet hic Mediolanensium peculiaris putetur priuilegio sepulchri, sed omnium est cõmunione suffragij. Neq; enim istius urbis charitas profl ua & fides auara tantum huic martyri derogauerit dum sibi arrogat, ut solum erga mœnia sua, patrocinij illius beneficia affutura esse crediderit. Non claditur locis, quod diffunditur meritis. Inuocasti ubiq; martyrem, ubiq; te exaudit ille qui honoratur in martyre. Moderante itaq; eo qui pensat uota tua, & dispẽsat munera sua intantum uicina præsentia efficacis præbebitur aduocati, inquantum fuerit fides deuota susceptí. Oratio enim quæ castitatis, iustitiæ, eleemosynarum operibus adiuuatur, excedit mundum, penetrat paradisum, euolat usq; ad ipsum summæ maiestatis angelo conferẽte conspectum. Sicut quodam loco uox testatur angelica: Et cum tu, inquit, orares, ego obtuli orationem tuam in conspectu claritatis dei. Beata anima charissimi cuius uotum, cuius compunctionis incẽsum, cuius supplicationis holocaustũ, nulla infidelitate fumidum, nullo carnalis inlecebrę fœtore pollutum, nulla sæuitia cruentũ, nulla odij simultate maculatum, sed fide igneum, conscientia nitidum, sinceritate cordis odoriferum, cõcordia & charitate perfectum, usq; ad dei uultum per cœlestium nũciorum defertur obsequia. Quæ cum ita sint, honoremus beatos martyres principes fidei, intercessores mundi, prę cones regni, cohæredes dei. Quod si dicas mihi, quid honoras in carne iam resoluta atq; consumpta, de qua nulla iam deo cura est? Et ubi est illud charissimi quod ipsa ueritas loquitur per prophetam? Preciosa, inquit, in conspectu domini mors sanctorum eius? Et iterum, Mihi autem ualde honorificãdi sunt amici tui deus. Honorare debemus seruos dei, quantomagis amicos dei? De quibus alio loco dicit: Dominus, inquit, custodit om nia ossa eorum, & unum ex his non cõteretur. Honoro ergo in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro uiuentis memoriam perennitate uirtutis, honoro per confessionem domini sacratos cineres, honoro in cineribus semina æternitatis, honoro corpus quod mihi dominum meum ostendit diligere, quod me propter dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles quod reuerentur & dæmones? quod & adfixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro. Honoro itaq; corpus, quod Christus honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in cœlo. *Psalm. 33*

FINIS.

AMPLISSIMO D. CLAV DIO CARONDELETO, PRAEPOSITO

BRVGIS AD S. DONATIANVM, CANCELLARIO FLANdriæ, Consiliario C. M. Petrus Nannius. S. P. D.



VAEDAM templa eius sunt amplitudinis, ut quãuis quotidie reficiantur, nunquam tamen ad plenũ sint sarta tecta. Idem mihi in plerisq; ueterum libris castigandis usu uenire uidetur. Quoties post castigationem Hermolai Barbari, nouæ emendationes in Plinium à compluribus sunt tentatæ? Vix quisquam est eruditiorum quin ali quid adnotet, quod uel latuit Hermolaum, uel in peius ab illo mutatum uolunt: quum nihil eo uiro à multis seculis fuerit, nec eruditius, nec ingeniosius, nec accuratius. Correxit ita Erasmus Hieronymi uolumina, ut hactenus sepultus, tum demum integer ab inferis redijsse uideretur, & tamen nunc pulcherrimæ in eum librum castigationes per Lypsium nostrum instruuntur, cui accessere, quæ Henricus Grauius subnotauit, uiri & industrij magnopere, & in literis bene culti. Miratus sum cum uidi, & gratulatus sum Hieronymo, qui iam breui à tot hulceribus per Frobenianam typographiam sanabitur. Idem prorsus contigit in Ambrosio. Qui quũ & Erasmo & alijs doctis uiris tum in Gallijs, tum in Germania ita enucleatim uidebatur emendatus, ut nihil uideretur ullius opera ad castigationem adijci posse, & meritò uiderentur sibi eam gloriam usurpare, deterserant enim infinitas maculas, longè tamẽ aliud apparuit, ubi Costerius multa antiquissima exemplaria nactus, omnia simul, multorum opera ex suo collegio adiutus, in unum cõtulit. Videre erat uerba deprauata, omissos subinde tres, quatuor, quinq; uersus, falsi subinde tituli, alia aliò traiecta, & ex suis sedibus euulsa, ut ausim dicere, in solis epistolis Ambrosii, plusquam mille & ducenta uitia eaq; grauia sublata esse. Nec mirum est, Costerium & eruditum & industrium tam multa præstitisse, quum exemplaria omnia quæ circumiacentes regiones habent, ad illius Musæum delata fuerint, inter quæ Anglicani libri quos à Richardo Brandisbæo, omnium mortalium optimo & beneficentissimo, nactus est, summum momentum attulere. Laboratum est biennium totum in hoc negotio, multæq; manus præside Costerio huic operi insudarunt, nec nos defuimus, ubi nostro uel iudicio & diuinationi, multijuga ad electum, perplexa ad diuinationem proponebantur. Cæterùm ut res erat, & multi tædij, multi laboris, nec exigui sumptus, non perduratũ fuisset in hoc negocio, nisi uir præstantissimus D. Claudius Carondeletus præpositus Brugis ad S. Donatianum, magna pecunia subueniisset. Ille fessos artus, fessum ingenium Costerij nostri ad laborem reuocauit, præmium non in pollicitatione, non in spe positum, sed iam eorũ manibus repræsentatum, omnem lassitudinem detersit. In qua ille uir præclarissimè ostẽdit, quanti pietatem, quãti recta studia faceret, qui ut Ambrosius emaculatior in lucem rediret, ut & religio & literarum cognitio defecatius ex Ambrosianis libris hauriretur, primũ animauit omnes promissis, ut liberet incipere. Vbi inceptũ est, statim iubet me sibi significare, quanta pecunia opus esset, & certior factus, ne teruntium quidẽ de summa detrahit, missurus plura, si aut eorum nomine plus exegissem, aut postea aliquam accessionem oportere fieri indicassem. Ceterùm hæc Mecænatica liberalitas non studijs illi tantummodo accersita, sed etiam innata uidetur, & generis ipsius esse cõmunis. Talis enim auunculus eius Episcopus Panormitanus in Erasmum, & in alios eruditos fuit. Verùm quia in Erasmi mentionem incidimus, operæprecium est narrare, qualem ille alium Episcopum in operis præclari dedicatione expertus est. Allatus est liber inauratus, & purpura uestitus, ut non solum scripta, sed scriptorum ornamẽta amplitudini prę sulis responderent. Ille hinniente risu (ut solet) primum malignè donum intuetur, deinde iubet uocari purpurarium, ut de purpura: χρυσοχόον, ut de auro: librarium, ut de compaginatione edoceret, quanti constaret: summula in unum collecta, secundum eam pecuniam dedit. Erasmus, ut erat etiam in ira festiuus, ego, inquit, librũ meum arbitrabar

donasse: uendidi, ut apparet: si præsul uellet uti ingenio, optimus euaderet bibliopola, nec facile decoqueret, qui tam examussim nouit precia librorum. Atrocius negligẽtia sui indoluit Theodorus Gaza, qui quum Aristotelis libros à se magna ex parte uersos obtulisset pontifici summo, datiq; illi essent aliquot miseri nummuli, progressus ad Tyberim, pecuniam cum hac execratione abiecit, pereant nummi, pereant labores. Hæc ideo à me dicta sunt, ut intelligatur, quantum hic heros disiũctus sit ab illorum ingenio, qui lucubrationes sibi dedicatas uel oderunt, quia aliquid dandum est, si pudore ducantur, uel inani spe & falsissimis promissis miserum scriptorem eludunt. Statuimus igitur ego & Costerius, quo gratitudinem declaremus, quisq; suos labores illi dedicare: speramusq; nostras lucubrationes ut gratas illi, ita in publicum cæteris utiles futuras. Quid præstiterit Costerius, & quantis laboribus insudatum sit, ex ipsius præfatione cognosci potest. Ego ut sermonem ad te conuertam, Claudi Carondelete, nostra hæc scholia sub cisiuis horis, alijs negocijs surrepta, tuo nomini, & quod generis claritate, & fortunarũ amplitudine, & tuis uirtutibus maximum est, inscribimus ac consecramus, cui pòst consecrare destino, quicquid domi nostræ elucubrabitur. Bene uale, quarto Calendas Decembres, Anno à natali Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo.

SCHOLIA PETRI NANNII ALCMARIANI IN QVAEDAM OPERA DIVI AMBROSII, AC PRIMVM IN FVNEBREM eius orationem, de obitu Valentiniani Imperatoris.



STI incrementum sit doloris id quod doleas scribere.] Verba hæc cõsentiunt cum hemistichio Ouidiano, Pars est meminisse doloris. Nec longe abludit illud Aeneæ apud Virgilium, qui iussus referre excidium Troiæ ita respondit: Infandum Regina iubes renonare dolorẽ. Signare aliquid.] Minus est signare quã indicare: quod enim notulis cõpendiarijs obiter & succinctim rẽ significat, id signare dicitur: unde apud Græcos à signis σημειογράφος is dicit, qui à Latinis Notarius, siquidem notæ ea signa sunt, quæ uulgo abbreuiationes uocãtur, atq; ita prothesim istius orationis mira modestia tẽperatã reddit.

2 Pignoris.] Quicquid datur ad confirmandam securitatem creditoris pignus appellamus. hic tamen pignus ferè idem est quod filius aut alumnus, eoq; nomine dignatur Valentinianum, quod illum & catechismo Christianitatis instruxerat, & baptismo regeneraturus erat, nisi mors interceßisset.

3 Perfectæ ætatis insigne.] Lanuginem primum barbescentis intelligit. Vnde postea barbæ Aaronis mentionem facit.

4 Intus mysteria diuidẽtes.] Græcanica propemodum loquutio πλεχόμενοι τὰ μυστήρια ad nomen clericorum allusum est.

5 Quos uno uelut corio.] Quia toties putamen (ut sic dicam) mali punici coriũ nominat, distinguendum est, quid putamen, crusta, corium, cutis, in fructibus differant, cæterũ optimè eam rem enucleauerint uerba Plinij lib. 15 cap. 28. Putamine (inquit) clauditur nuces, corio castaneæ, crusta teguntur glandes, cute uuæ, corio à membrana punicæ, carne & succo mora constant, cute & succo cerasi.

6 Et quid iam de alijs dicam, qui etiam ludo ætatis putauerit abstinendũ?] Totus iste locus mihi uidetur alludere ad uerba M. Tullij pro Cælio, maxime criminibus petulantioris iuuentutis grauato. Datur enim (inquit) concessu omnium huic aliquis ludus ætati: & ipsa natura profundit adulescentiæ cupiditates, quæ si ita erumpunt, ut nullius uitã labefactent, nullius domum euertant, faciles ac tolerabiles haberi solent: ac paulo post, Detur aliquid ætati, sit adulescentia liberior, non omnia uoluptatibus denegentur, non semper superet uera & directa ratio, uincat aliquando cupiditas, uoluptasq; rationẽ, & ceter. Hac enim ratione Cicero Cœlium in capitali crimine defendit, lapsusq; adolescẽtiæ deprecatur: quid si sic legas? Et quid iam de alijs dicam, quum etiam ludo ætatis Cicero non putauerit abstinendum, non resecandam ætatis licentiam seueritatis publicæ duritiem molliendam, lenitatemq; deferendam ei qui in periculum cõuicti criminis uocaretur? Certe ut nunc legitur infestis cornibus seipsa impetit oratio.

7 Iam promiseram, nam me profecturum respondens, uel honoratis petentibus, uel Prefecto, ut tranquillitati Italiæ consulerem, me sicut superfluo ingerere non posse, ita necessitati non defuturum.] Honorati sunt, qui honores in militia adepti sunt, quales sunt, centurio, primipilus, prefectus castrorum, magister militum, Alciatus lib. 1 Prætermissorum, etiam illi honorati sunt, qui palatinam quidem dignitatem habent, sed tamẽ administratione abstinent, & quod Ausonius ait: Muneris exortes nomine participes. Iam quod sequitur (Propris animalibus) non uideo quomodo sanari posset, nam si illi defuerunt sua iumenta, cur in publica legatione non usus est publicis iumentis? Deum animalia usurpare pro iumentis prorsus est infacetum, nec Ambrosianæ elegantiæ.

8 Ecce rescriptum accipio, ut sine mora pergendum putarem, eo quod uadem fidei tuæ habere me apud Comitem tuũ uelles.] Saniora ista quam in omnibus impressis, deest tamen aliquid integræ ualetudini: Sic enim uerba ordinãda existimo, eo quod uadem tuæ fidei me apud te comitem habere uelles. Vt autem sic putem, faciunt illa quæ

paulò pòst sequuntur: uerba illa postrema, quibus me uadem tuum fieri postulabas, nisi comitem aliquem intelligas ex palatinis officiarijs. Lingua enim eius seculi familiares principis aliqua administratione rerum ornatos, Comites appellabat, adiūcto titulo eius rei cui præfecti essent, ut comes sacrarum largitionum, comes sacri palatij, comes sacri patrimonij, comes consistorij. Scriptores aliquando eius seculi comitem accipiunt pro summo præfecto, sic Maximus comes Gratiani tantum potuit, ut eum Imperio & uita spoliaret: Idem facit in hoc ipso Valentiniano Comes Abrogastes, quos alij nunc præsides, nunc legatos interpretantur: Eos autem non esse magistros equitū, quod propemodum tamen ita esse uidetur, docet Ammianus Marcellinus sub his uerbis: Tūc & Equitius Illyricano pręponitur exercitui, nōdū magister sed comes: nisi intelligas magistrum hic esse, qui præest scholis militaribus, quod officium tunc inter maxima reputabatur. Alciatus author est comitem inde dictum, quod ex comitatu Cæsaris ad aliquā prouinciam, uel eius partem regēdam mitteretur. Eustathius in Homerum asserit comites eos dictos qui maritimis prouincijs præsiderent. Operosior hic fui, quia hoc uocabulum uario significatu frequentissime occurrit.

9 In horum amore feralis hæreditas.] Id est, funebris. Feralis hic non à fera dicitur, sed à ferijs, id est inferijs mortuorum. Est autē hic feralis hæreditas idem quod exequialis: quæcunq; enim ad mortuos pertinent feralia dicuntur. Piū sanctis sororibus impressit affectum ut concedendi prædij uoluntatem haberent, iudicium daret.] Lego quam quam ex diuinatione, pro darent, declinarent, nimirum, ut sine lite prædiū restituerent.

10 Non igitur uelut penicillo.] Penicillus tametsi proprie, ex peniculis, hoc est, caudis animalium constet, quibus pictores in ducendis coloribus utuntur, non tamē infrequens est eos pro spongijs usurpari, quemadmodum & hic & in Terentiana Eunucho: Quid ignaue peniculo ne pugnare? Quid isthuc huc portas, cogitas: Sāga. Ego ne? Imperatoris uirtutē nouerā & uim militū, sine sanguine hoc fieri nō posse, quin abstergerē uulnera. 11 Sed id postulo ne uel infixum pectori releuetis.] Ego existimo legendū (releueritis) deducit enim à relino releui, nō à releuo, releuas, releuare. Est autem relinere idem quod resignare, sigillum detrahere, & delere. Terentius in Heautō timoroumeno, releui omnia dolia omnes serias releui.

12 Virtutum stipendijs.] Quot bellis aliquis militauit, tot stipendia dicitur explesse, atq; ideo capitur aliquando pro annua militia. hinc miles qui octodecim stipēdia non absoluisset, uacationem à bellis obtinere non poterat. Cicero pro lege Manilia, partem militum qui iam confectis stipendijs erant, dimisit. Ideo de Senectute, animum tam quam emeritis stipendijs, libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatū omnium secum esse. hinc factum, ut operam diuturnam & functionem stipendium uocent. Ita Symmachus: In illis stipendijs castitatis, uestalem pudicitiā designans. Ita & hic quoq; uirtutum stipendijs dixit, inde uocabulum deductum, quod militi stipes depēdebantur in salarium: operosior & hic quoq; fui in hoc uocabulo exponēdo, quia multus est Ambrosius in hac uoce usurpanda. 13 Solue ergo seruo tuo munus tuę gratiæ, quam ille nunquam negauit, qui ante diem mortis templorum priuilegia denegauit urgentibus his quos reuereri posset.] Arbitror deesse ✻ tibi scilicet quam ille tibi nunquam negauit. Non mirum est Ambrosium nihil scribere de genere mortis, quo Valentinianus in fata concessit, quia Tyrannum Abrogastem, qui iam imperio incubabat, & Valentinianum laqueo præfocauerat sparsa opinione, tanquam princeps sibi manus attulisset, nōdum opportunum existimabat, eum eius criminis impetere. Sed est hic nō nulla obscuritas, opinorq; sensum talem esse. Solue Valentiniano gratiam baptismi & Christianitatis, quum ille tibi semper gratificatus sit, hoc enim esse puto, quam ille nūquam denegauit. Iam quod sequitur (qui ante diem mortis templorum priuilegia denegauit) approbatio est uel quod Christianitatem amplexus sit, uel quod Christo gratiā non denegauit qui templis idolorum sua priuilegia denegauit, spreto Symmacho præfecto urbis qui nomine totius senatus à Valentiniano petebat, ut templis templorumq; gentilium sacerdotibus sua stipendia incolumia seruarentur. Puto autem ut dixi hic deesse (tibi) ut ita legas. Solue ergo seruo tuo munus tuæ gratiæ, quam ille tibi nunquā denegauit. Cōmata enim ista per cōpensationem, & paria officia decurrere uidentur.

14 Hic

14 Hic tuus iam,& tuo iudicio uindicatus.] Id est tibi assertus:alludit ad uindicias, secundum libertatem & seruitutem:qui enim in seruitutem petebatur,aut qui in libertatem prouocabat, assertorem adhibebat, cuius patrocinio iussum tueretur, is Valentiniano Christus erat. 15 Date manibus sancta mysteria.] Apuleius author est,malas animas ubi de corpore egressę essent,uocari lemures,bonas lares:eas autem de quibus incertum est, quo in grege essent,uocari manes: sed ea differentia postmodum abolita est,ut deos etiam infernales manes appellarint,unde illa frequens in aris sepulchralibus inscriptio, D. M. hoc est, dijs manibus,adeo ut prorsus sub nomine manium sanctiores animas comprehenderint.

16 Non ego floribus.] Alludit ad carmina illa Virgilij de Marcello filio Octauiæ sororis Augusti.

Manibus date lilia plenis
Purpureos spargam flores animamq; nepotis
His saltem accumulem donis & fungar inani Munere.

17 Dixi tamen absens & dicentem me fidem pro te Christus audiuit.] Optime restitutum(dixi)pro(dixit)ut alia infinita,quæ facile lectori hanc impressionem cum cæteris conferenti, occurrent. Apparet ex hoc loco locisq; superioribus uadem adhiberi solere in baptismo,qui de Cathecumeno baptizando promitteret eum post sacramentum datum,in fide mansurum:hanc fideiussionem indicat se absenti Valētiniano apud Christum obijsse.Est enim fidem dicere,fideiubere.

18 Cogitationes rationabiles,fidei odor,circumcisionis intentio, ornatus capitis gloriosus.] Addendum puto(ideo)ut sit,ideo autem gloriosus, quod nō regalia diademata,sed dominici sanguinis insignia coronent.Ita ego hunc locum legendum existimo, sed prouocatio semper libera sit ad codices scriptos, si qui usquam castigatiores apparuerint.Diadema Alciato fascia linea est,& recte à reuinciendo nomen inditum:gemmis unionibusq; id obsitum habebant Reges,nūc adhuc in capitibus Ducum & Comitum apparet,nostris temporibus sponsarum est ornamentum: olim sanctis uirginibus semper additū martyriū passis,quod Christi reginæ essent.Germani uocant een treck.

19 Beati ambo si quid meæ orationes ualebunt.] Et hic quoq; alludit ad carmina Virgilij de Niso & Eurialo.

Fortunati ambo si quid mea carmina possunt
Nulla dies unquam memori uos eximet æuo.

PETRI NANNII SCHOLIA IN D. AMBROSII ORAtionem funebrem de excessu fratris sui Satyri.

1 In utroq; & fidei ambiguum & uitæ periculum.] Vita aliquando ipsa anima est. Virgil.de Turno:Vitaq; cum gemitu fugit indignata,sub umbras. Aliquādo idē quod uictus Græcanico more quibus βίος & uitam & uictū significat Digestis de officio præsidis. Ne tenuis uitæ homines sub prętextu aduentus officiorum uel militum limine unico uel breui suppellectile ad aliorum usus translato iniurijs uexentur,præses prouinciæ prouidebit.Aliquando mores significat alicuius, quapropter qui operosiores sunt in scribendis ingenijs principum libros suos uitas inscribunt non historias. huic Plutarchus opus suum βίων παραλλήλων nuncupauit:atq; ex eadem ratione est titulus ille Vitæ sanctorum patrū:atq; eam significationem uerba Ambrosii hic requirunt:hinc est quod Donatus in Phormione dicit,uita, & mores & animam & alimentum significat & spatium uiuendi. 2 Nihil mihi profuit ultimos hausisse anhelitus,nihil flatus meos inspirasse morienti.] Alia lectio flatus in os inspirasse. Summa cum ubertate & uehementia cum Virgiliano luctu decertat, & in prosa elegantissimi carminis uim & gratiam exuperat.

Date,uulnera lymphis
Abluam & extremis si quis super halitus exit,Ore legam.

Nec aliter Statius secundo Syluarum.

Te uultu moriente uidet,linguaq; cadente
Murmurat,in te omnia uacui iam pectoris efflat.

Relliquias. Nec diſſimiliter Theocritus.

ἄχρις ἀφ' ψυχῆς ἐς ἐμὸν στόμα κἠσ' ἐμὸν ἦπαρ πνεῦμα πορ ῥεύσῃ.

Solent autem id facere, ut recepta in ſe per μεταμψύχωσιν morientis anima, quaſi eius ſpiritu deinde potius quam ſuo uicturi eſſent. Sed Ambroſius id luctuoſius interpretatur, quaſi communionem mortis ex fratris anhelitu accipere ſtuderet, ne uideretur ad iſtam μεταμψύχωσιν Pythagoricam alludere. Quàm dolores in alpium uallo ſummã noſtræ ſalutis conſiſtere lignorum concedibus conſtrui murorũ.] Habent alij pro concedibus, congeribus, alij aggeribus nimirum ſtragibus deiectarum arborum ut itinera hoſtibus intercluderentur, quid melius ſit, alijs diuinandum relinquo, nam & concedibus intelligi poteſt, quaſi multa ligna communi cæde, & ſimul ſint ſtrata.

3 Fœlix igitur tam oportuno obitu, quia non es ſeruatus in hunc dolorem.] Eadem imago ſententiæ in uerbis Virgilij. Tuq; ô ſanctiſſima coniunx

Fœlix morte tua, nec in hunc ſeruata dolorem.

4 Qualem te nunc ego frater aſpicio.] Et hoc quoq; ad Virgilianum carmẽ effigiatum eſt. Hunc ego te Euryale aſpicio. 5 Quanti tibi dixerunt aliquid, qui ſe mihi dixiſſe memorarent: quæ mihi hinc gaudia, quanta frequẽter oborta lętitia, quod eos errare nobis cernerem, quam gratus error, quam iucunda prolapſio.] Et hoc quoque aliqua ex parte à Virgilio mutuo ſumptum eſt:

Daucia Laridæ Tymberq; ſimillima proles
Indiſcreta ſuis gratusq; parentibus error.

Quanti autem hic poſitum pro quot, ut tanti in Euangelio pro tot, ſed quid hoc inter tãtos? Ita Græcis eadem ſignificatione τόσοι & ποσοῖ dicuntur quo & numerum continuum & diſcretũ oſtendunt, Ioan. 6. ἀλλὰ ταῦτα τί ἐσι εἰς ποσόσους, ubi interpres uetus, ſed quid hæc inter tantos, id Eraſmus caſtigat, inter tot de numero, inquiens, loquitur. Fateor raras huiuſmodi loquutiones, ſed tamen quia (quanti) pro quot, apud probatiſſimos reperitur, ueriſimile eſt eius ἀποδοτικὸν tanti, in eoſdem uſus receptum eſſe. Catullus, & quãtum eſt hominum uenuſtiorum, pro quotquot ſunt uenuſtiores dixit. Certe quum dicimus, Tantum nummorum non dicimus quam magni ſunt nũmi ſed quam multi.

6 Etenim ligari fecit in orario.] Orarium hic idem genus ueſtis cum eo quod nunc in ſacrificali cultu ſtola dicitur, apud ueteres infula nominatum, cuius extremitates uittæ dicuntur, etiam nunc in baptiſmo pueris initiandis imponitur: inſigne illud & hoſtiarum & ſacerdotum eſt, credo id ideo Chriſtianis ſolenne fuiſſe, quod diuus Petrus genus Chriſtianorum & regium & ſacerdotale appellat.

7 Quod ſi homini non referre, ſimile homicidio iudicatum eſt.] Nõ abhorret hoc ipſum à lege Perſica, cuius meminit Xenophon, ſecundum quam ſumma pœna plectebãtur, qui ingratitudinis conuicti eſſent.

8 Eſt enim huiuſmodi gratiæ uis, ut quum refertur habeatur, & habendo referatur.] Pulcherrima Anthypallage, mutuoq; ſumpta ex oratione Ciceronis pro Cn. Planco. Quanquam diſſimilis eſt pecuniæ debitio & gratiæ. Nam qui pecuniam diſſoluit, ſtatim nõ habet quod reddidit: qui autem debet æs retinet alienum, gratiam autem, & qui refert, habet: & qui habet in eo ipſo quod habet, refert. hactenus Cicero. Criſpũ, inquit Iulianus, agmen orationis rotundumq; ac modulo ipſo numerorum uenuſtum. Meminit huius ſententiæ Aulus Gellius Noctium Atticarum lib. 1 cap. 4.

9 Nam quid ſpectatam ſtipendijs forenſibus eius facundiam loquar.] Stipendijs forenſibus, id eſt, agendis cauſis in foro. Iam enim militiam in duo genera diſtinguunt in armatam & forenſem. 10 Is enim non quærit aliena qui ſeruat ſua, nec inflatur in modico qui contentus eſt proprio.] Exiſtimo legendum pro inflatur, inflammatur, & pro in modico, una dictione, immodico ut ſit ſenſus non ardeſcit ad immodica qui contentus eſt proprio. 11 Quid uero illud recenſeam quod ſupra ipſam iuſtitiam progreſſus, cum quædam incubator conuiuium, non omnium fructuum mei contemplatione muneris putabat eſſe tribuenda.] Incubatori detẽtori, qui rebus alienis toto corpore inhæret. Ita Dionyſius à Macrobio Siculę incubator aulæ nominatur. Metaphora ſumpta à canibus, qui toto complexu corporis prædę quã rapuerũt, imminẽt, quale Cerberũ deſcribit Virgilius. Corripit obiectã atq; immania terga reſoluit.

Fuſus

Fusus humi, toto ingens extenditur antro.

Huic tamen improbo detentori, aliquid concedendum putabat, respectu episcopalis functionis, quæ sui iuris tenax esse non debet.

12 Ex te conceptum per te lenire mœrorem.] Integer heroicus est, si pro mœrorem dolorem. Etsi diutius morari tibi uideor, accersi.] Allusum ad Didonem Vergilianã, ubi Dido ideo magis ad mortem properat, quod mariti uoce se uocari putaret. Quo magis inceptum peragat, lucemq; relinquat. Hinc exaudiri uoces & uerba uocantis Visa uiri. Eius functa solatio, id est usa: sic supra in hac eadem oratione. Itaq; perfunctus sum, quamdiu licuit commisso mihi fœnore. Neq; enim unquam prolixius abfuimus à nobis, tu tamẽ solebas reuisere, mutilũ uidetur, & tale aliquid deesse, neq; enim unquã prolixius abfuimus à nobis inuicem, quin si ego nõ te, tu tñ me solebas inuisere.

IN ORATIONEM DE FIDE RESVRRECTIONIS.

1 Fuisse etiam quidam feruntur populi qui ortus hominum lugerent, obitusq; celebrarent.] Thraces hi sunt, & potissimum ex gente quibus nomen est Drausis, author Pomponius Mela, Herodotus, Solinus.

2 Eos qui in hoc uitæ salum uenissent.] Salum dictum putant quasi salem, hoc est, aquam marinam: sed ego non minus à Græco uerbo σάλω, quod commotionem tumultumq; maris significat, deductum puto. Virg. Aen. primo. Percq; undas superante salo, percq; inuia saxa. Idem libro secundo, Fit sonitus, spumante salo. Iustinus lib. XLIIII. Tũ plane manifesto quodã numine, inter furentes æstus, ac reciprocantes undas, uelut naue non fluctu ueheretur, leui salo in littore exponitur. hic tamen Ambrosius salum pro mari posuit. 3 Denicq; Lyciorum feruntur præcepta, quæ uiros iubeãt muliebrem uestem induere, si mœrori indulgeãt.] Mœrere est uicem mortui dolere. Cic. in primo Tusculanarum. Quis est qui suorum mortem primum nõ eo lugeat, quod eos orbatos uitæ commodis arbitretur. Tolle hanc opinionem, luctum sustuleris: nemo enim mœret suo incommodo, dolent fortasse & anguntur.

4 Cur enim mœstitiam tuam non ratio potius quàm dies leniat.] Primum hæc sententia deformata est ex uerbis Terentij in Heautontimorumeno, Aut ego profecto ingenio egregiè ad miseriam natus sum: aut illud falsum est, quod uulgo audio dici, diẽ adimere ægritudinem hominibus. Cadere deinde summa ab alijs multis occupata. Cic. ad Atticum lib. XII. epistola quinta. Consolationum autem multæ uiæ sed illa rectissima, impetret ratio quod dies impetratura est. Aegrotationẽ autem Cicero in tertio Tusculanarum quæstionum libro, corporis esse dicit, ægritudinem animi. Sic & Grammatici ægrotum corpus, ægrum animum appellari uolunt.

5 Quasi cuidam certa sit redeundi.] Lego pro cuidam, cuiquam.

6 Quanto magis anima nostra corporeum istud euadere gestit ergastulum.] Ergastulum est ubi serui uincti tenentur πρὸς τὰ ἔργα, id est, ad opera facienda.

7 Morte obita.] Id est tolerata. Sic Lucretius, morte obita quorum tellus amplectitur ossa. 8 Ecce ueteres posuisti dies meos, & habitudo mea tanquam nihil ante te.] Vetus translatio habet, ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te. Græca habent ἰδὸὺ παλαισὰς ἔθου τὰς ἡμέρας μου, καὶ ὑπόστασίς μου ὡσεὶ οὐθὲν ἐνώπιόν σου. Quod reddi posset, ecce unius spithamæ uel palmi reddidisti meos. Ambrosius uidetur legisse non παλαισὰς sed παλαιὰς, nam ueteres transtulit, quasi dies senio & uetustate annorum grauatos. Hieronymus uertit, ecce breues posuisti dies meos, & uita mea quasi non sit in conspectu tuo. Est autem hic substantia idem quod materia, aliquando idipsum quod essentia. 9 Melius utiq; quam illi qui philosophiã mortis meditationem esse dixerunt.] Verba Ciceronis sunt in Tusculanis ex authoritate Platonis, philosophiam esse commentationem mortis. Est autem meditari rebus aliquando agendis quasi præludere: meditatioq; nihil aliud est quàm præexperimẽtum & prætractatio qua te instruis antequam ad ipsum agona uenias.

10 Habes pœnarum ferias.] Ferias insolenter dixit pro fœderibus ac sanctionibus, quod in fœdere porcam silice ferire solent.

11 Quam multi uitam solo mortis titulo consecrarunt.] Nimirum quod uitam mortis honestate sanctam reddiderunt, alioquin uituperabiles, qualis fuit, inter cæteros,

Otho & Catonis filius. Auſonius:

Mox Otho famoſus clara ſed morte potitus.

Idem de eodem.

Aemula polluto geſturus ſceptra Neroni
Obruitur celeri, raptus Otho exitio
Fine tamen laudandus erit, qui morte decora
Hoc ſolum fecit nobile quod periit.

Sic & Suetonius, denicp magna pars hominum incolumem grauiſſime deteſtata, mortuum laudibus tulit, ut uulgo iactatum ſit, etiam Galbā ab eo, non tam dominandi quā Reip. ac libertatis reſtituendę cauſa interceptum.

12 Denicp multa gignentia quamuis iugi ſerenitate humo arido arenoſocp naſcuntur.] Non humo arida & arenoſa, & recte. Priſcianus uerba illa Saluſtij in bello Iugurtino ita legit, Sed ex medio quaſi collis oriebatur, in immenſum pertingēs, ueſtitus olea ſtro, ac myrtetis alijſcp generibus arborum, quæ humo arido arenoſocp gignuntur, non ut uulgo legitur, humo arida arenoſacp. Id admonendum fuit, quia ſæpius Ambroſius humum in maſculino genere uſurpat, ne uitium putetur.

13 Auis in regione Arabiæ cui nomen Phœnix.] Lactantius.

Hoc nemus, hos lucos auis incolit unica Phœnix
Vnica ſed uiuit morte refecta ſua.
Ipſa ſibi proles, ſuus eſt pater, & ſuus hæres
Nutrix ipſa ſui, ſemper alumna ſibi.
Ipſa quidem, ſed non eadem, quia & ipſa, nec ipſa eſt
Aeternam uitam mortis adepta bono.

Quod ſi ueteres ſapientes ſatis hydræ dentibus.] Et Iaſon in Colchis, & Cadmus in Thebana regione dentes ſerpentum ſeminauerunt ex qua ſemēte homines armati prodierunt. Multi dormientes in terrę foſſu, una apertione exurgent.] Aliqui legendum putant in terra defoſſi, ſed Græca uerba Danielis aſtipulantur priori lectioni καὶ πολλοὶ τῶν καθευδόντων ἐν γῆς χώματι ἐξεγερθήσονται. nouè autē dixit Ambroſius foſſu pro foſſa ſiue foſſura. 14 Audiuit ergo defunctus & exiuit de monumentis ligatus pedes & manus inſtitis & facies eius orario colligata erat.] καὶ ἐξῆλθεν ὁ τεθνηκὼς δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις, καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίῳ περιεδέδετο. pro inſtitis tranſtulit Eraſmus ſepulchralibus faſcijs: & in annotationibus in eundem locum idem tradit quaſi κειρία ἀπὸ τοῦ κείρω hoc eſt, à morte ſit deriuatum. Ariſtophanes in auibus κρίσσα zonas ſiue cingula lectorum interpretatur, arbitrorcp ueteris interpretis uocem caſtiſſimam & huic loco congruam eſſe. Eſt enim inſtita lymbus ille ſiue faſcia quæ matronali ueſti ſubaſſuitur, ut prętexta, purpura illa quæ togę pretexitur. Horat. Saty. 2. lib. 1

Quarum ſubſuta talos tegat inſtita ueſte

Arbitror autem Iudæos his faſcijs uſos eſſe, ut membra reſoluta tabe uinculis illis cohærent ac potiſſimum ideo manus & pedes uinciri ſolitos, quod illi à cęteris membris ſe paratiores eſſent & facillime diſiungerentur, niſi zonæ iſtæ intercederent, certe beatus Auguſtinus author eſt, morientibus ſolere pollices ligari. Exiſtimo autem in Chriſti ſepultura Iudaico more inhumati, ea uincula ex lino fuiſſe ac proinde ea ſub linteorū nomine ibi ſubintelligi. Iam quod Dauidis Pſalmus ait 18. quia circundederunt me contritiones mortis, torrentes Belial terruerunt me, funes inferi circumdederūt me, pręuenerunt me laquei mortis, traductum metaphoricôs uideri poteſt ab iſto uſu ſepulchraliū uinculorum. Comprehende ſi potes, quemadmodū clauſis oculis iter carpat, uinctis pedibus gradum dirigat, inſeparabili greſſu, ſeparabilicp progreſſu.] Non hic uitij quicquam, ſed obſcuritas magna. Eſt autem hic ſenſus, quomodo uinctis pedibus iter dirigat, cruribus inter ſe reuinctis tamen quaſi diuaricatis alterno motu pedū incedens.

15 Vnde oportet uocis tubæ nos ſcire uirtutem ne uideamur barbari.] Id eſt, uel indocti bellorum uel non Romanæ ditionis, ut qui Romanas conſuetudines non intelligamus: hic aūt Barbari pro allophylis ponuntur, qui ad Eccleſiæ Chriſti rituscp inſolentes ſunt. 16 Iudicantes uidelicet grauiorem metum mortis quàm mortem.] Habebant alia exemplaria grauiorem metum mœroris, ſed recte mutatum

à Co-

à Cosserio: allusum enim ad uersum illum Senecæ tragici.

Peior morte timor ipse mortis.

17 Leui cornua quærat.] Leui cui contrarium est asperum. Virgilius de Præti filiabus: Et sæpe in leui quæsisset cornua fronte. Sic enim cuius alterius ornant nuptiæ,] Arbitror legendum. Sic enim cuiusq; aliis atq; aliis ornantur nuptiæ.

IN EPISTOLAM I. D. AMBROSII AD IVSTVM de didrachmo, Scholia.

1 Interrogans me quid significet illud didrachmum.] Noue dixit didrachmum pro didragma, eadem ratione & ἡμιδράχμον dicit. Quanti illud sit pretij, inter Budæum, Alciatum, Georgium Agricolam multis disputationibus iactatur: alij denarium & drachmam idem uolunt: alij drachmam minorem censent, ut est, binas drachmas unum didrachmum facere in confesso est. De didrachma multa mentio est Exodi tertio, ubi collatis Græcis uerbis Septuaginta interpretum cum interpretatione Hieronymi siclum & didrachmum idem esse, continereq; inter se obolos uiginti, deprehẽdas, cuius dimidiũ pretium domino offerendũ erat in singula capita, lõge alia ratione quàm Dioscorides ceteriq; tradunt, qui drachmam sex obolorum esse uolunt. Sed in Septuaginta interpretum translatione euidenter describitur hunc didrachmum sui generis esse & peculiaris pretij, secũdum numisma templi, quum inquit κ̄ϛ̄ δ' δίδραχμον τὸ ἅγιον εἴκοσι ὄβολοι δ' δίδραχμον tertio Exodi. 2 Quod si acceperis computationem filiorum Israel in uisitatione ipsorum & dabunt singuli redemptionem animæ suę domino, & nõ erit in his ruina in uisitatione eorum.] Visitatio hic idem est quod censitio, nimirum quum singuli citati nomen suum profiteri coguntur, quod in censendo exercitu fieri solet. Eadẽ prope ratione accipitur illud in quarto Sapientiæ Salomonis cap. 3. ἐκ γὰρ ἀνόμων ὑπνων τέκνα γνόμενα μάρτυρες εἰσὶ πονηρίας κ̄ϛ̄ γονέων ἐξετασμῷ αὐτῶν, liberi enim ex illegitimo concubitu testes sunt nequitiæ parentum, in ipsorum examinatione: nimirum quum ab ipsis quæritur, ut nomina suorum parentum edant, coguntur stupra parẽtum ipsa professione nominum quasi contestata reddere. Pro examinatione habet Latinus interrogatione, quod eodẽ recidit, capite item 14. ἔστω καὶ οὐ εἰδώλοις ἐθνῶν ἐπισκοπὴ ἔσται, ideoq; in simulachra gentium uisitatio fiet, sed Latinus interpres incommodus hæc uerba transtulit propter hoc in idolis nationum erit respectus, sed respectus eorum est, quorum cura & reuerentia aliqua habetur. Alij hoc ipsum uitantes addiderunt τὸ non, inquientes, propter hoc in idolis nationum non erit respectus, diluta prorsus sententia. Totum autem istud caput trigesimum Exodi non parum sapit mores censuræ Romanę. Quum enim numerus Romanorum in condendo lustro iniretur, singuli ciues citati ad censores prodibant, si nihil in ijs nota dignum apparebat, inoffense transmittebantur: si quid cõtra ignominia dignum uidebatur, senatori curiam, equiti equum, plebeio centuriam tribumq; adimebant. Id ita esse ex Græcis uerbis intelligemus, ἐὰν λάβῃς τὸν συλλογισμὸν τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ εἰς τὴν ἐπισκοπὴν αὐτῶν, δώσουσιν ἕκαστος λύτρα περὶ τῆς ψυχῆς αὐτῶν τῷ κυρίῳ, καὶ οὐκ ἔσται πληγὴ ἐν τῇ ἐπισκοπῇ αὐτῶν, καὶ τοῦτο ἐστὶν ὃ δώσουσιν, ὅσοι αὐ παραπορεύονται εἰς τὴν ἐπισκεψιν δ' ἥμισυ τοῦ δραχμου κατὰ τὸ δίδραχμον τὸ ἅγιον, εἴκοσι ὄβολοι τὸ δίδραχμον, δ' δ' ἥμισυ τοῦ δίδραχμου εἰσφορὰ κυρίῳ πᾶς ὁ παραπορευόμενος εἰς τὴν ἐπισκεψιν ἀπὸ εἰκοσαετοῦς καὶ ἐπάνω δώσουσιν τὴν εἰσφόραν κυρίῳ. Quod ita non inconcinne reddideris. Quum numerum filiorum Israelis colliges, in uisitatione, siue lustratione, eorum dabit quisq; domino munera pro capite suo, neq; erit ruina si ue cadauer in illorum uisitatione, & hoc est quod dabunt singuli quotquot in uisitationem prodierint, nimirum dimidium didrachmæ secundum didrachmam sanctam. Faciunt autem hanc didrachmam oboli uiginti, huius dimidium oblatio est domino, quicunque processerit ad uisitationem à uiginti annis & supra, dabunt hanc oblationem Domino. Quare optime transtulit ita D. Hieronymus, Quando tuleris summam filiorum Israel iuxta numerum, dabunt singuli precium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis quum fuerint recensiti, hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli iuxta mensuram templi. Siclus uiginti obolos habet, media pars sicli offeretur Domino, qui habetur in numero à uiginti annis, & supra dabit hoc

Gomar.

Gomar. Gomar mensura est trium chenicum Atticarũ, teste Hieronymo. Iosephus inquit eam habere τρεῖς ἡμιονικοτύλιον cotylia autem & hemina idẽ est, teste Fannio, cõtinet ergo heminum & eius dimidium. 3 In ore piscis inuentum stateré sumat.] Stateres, Dorici nummi sunt, eius ponderis, cuius didrachma, quod ipsum cõuenit cum tractationibus Ambrosianis, qui se de didrachmo loquuturũ promisit. Certe Matth. 17 didrachma exigitur & postea Petrus in ore piscis staterem inuenit, ex quo loco ista desumpta sunt. Hieronymus agnoscit staterem & didrachmã idem esse. Ambrosius item hoc ipsum præ se fert quum inquit.

4 Et ideo pro se & Petro tanquam singulas drachmas in statere soluit.] Quamobrem Budæi authoritas qui quatuor drachmarum staterem censet, in presenti negotio locum non habet. Id autem obiter annotandum, cur quum integrum staterem uideantur à solo Christo exigere, unus stater potuit sufficere quæstoribus pro binis capitibus, nẽpe pro Christo & Petro. Sed mihi uidentur Imperatores tributum quod Moyses trigesimo Exodi in censendo populo instituit, reseruasse, & ut ibi mentio est de didrachma, & ultra eius dimidium nec à diuite nec à paupere exigitur, ita hic quoq; formula petendi tributi, nomen didrachmi præ se tulisse, suffecisse tamen in singula capita eius dimidiam partem. 5 Dilexi dominum, & uxorem & infantes, non abibo liber, quod non solum ad dominum, sed etiam ad eius refertur infirmitatem, qui se subiecerit mundo, quod diligat mundum, uel mentem suam id est, non huius authorem uoluntatis.] Habent alij libri pro non, νοῦ huius authorem uoluntatis. Ego arbitror olim sic scriptũ fuisse, quod diligat mundum uel νοῦ huius authorem uoluntatis: iam quod scriptum erat pro interpretamẽto in margine (id est mentem suam) in contextum irrepsisse: sed etiam ne sic quidem locum istum omni suspicione libero.

6 Cognouimus itaq; ideo didrachmi dimidium lege postulari, quia dimidium generi huius mundi, & usui domestico, & posteritati reseruabatur, quibus necesse erat sortẽ ex sorte id est, transmissionis deputari.] Sensus hic est, quanquam uerba aliqua deesse uideantur. Dimidium didrachmi à Iudeis ex lege petitur, quia dimidiam bonorum partem relinquere in hęredes oportebat, & sortem quam in sua familia nactus erat, de successore in successores transmittere, quia prædia non licebat de familia exire, fortasse sic legendum, id est, ius transmissionis. 7 Vnde nec numerum monada sed elementum numeri quibus ea cura est appellauerunt.] Arithmetici unitatem numerũ esse nolunt. In ijs enim numerus est ubi summa in plura singula diuidi potest. Iam dicũt omnem numerum repetita unitate confici, nõ tamen unitatem esse, sicq; omnia ex deo fieri, Deum tamen ea ipsa non esse, sed quod sint, ex Deo habere.

8 Degener sui.] Degener est, qui à genere suo deficit, in utramq; partem & bonam & malam capitur, sæpius tamen in deteriorem.

IN EPISTOLAM SECVNDAM, AD SIMPLICIANUM, Scholia.

1 Dimidiam partem sanguinis in crateras miserit.] Crateras uel est Græcus accusatiuus ἀπὸ τοῦ κρατῆρος uel Latinus à cratera craterę deductus, horatius Satyra quarta, libro secundo Sermonum.

Siue grauis ueteri craterę limus inhæsit

In cratere uinum misceri solet, unde & nomen ἀπὸ τῆς κράσεως hoc est à mixtura.

2 Tamen quia collatio sermonis, ut pecuniæ, magno est usui, atq; ea maximus in cõmune emolumentũ negotiationis profectus paratur.] Collatio hic idem quod commercium, permutatio, συνάλλαγμα, siue quod magis ad etymologiam accedit συμφολαῖα.

3 λόγος enim est animarum atq; uirtutum, λόγος autem uerbum Dei ualidum & acutum.] Non leuis causa est cur hanc uocem Græcam retinuerit Ambrosius, cui in πολυσήμοις significationibus nulla uox Latina par est. Sæpe enim id est quod uerbũ, quę interpretatio maxime increbuit: à nonnullis transfertur sermo, sæpe id quod ratio, sæpe idem quod cogitatio, sæpe id quod eloquentia: & fit ut ad multa eius significatio simul alludatur: quod quũ fit nullo modo sensus eius transferri potest. Mirorq; quod alij exemplum Ambrosii in retinenda Græca dictione sequuti non sunt: sed, puto, deterruit eos, quod apud Latinos logi dicãtur nugę & inania uerba. Veriti igitur sunt patres, ne dignitas quę est in uerbo dei, sordido uocabulo euilesceret. Sed plura de hac re diuus Basilius.

IN

IN EPISTOLAM TERTIAM AD EVNDEM SIMplicianum, Scholia.

1 Si hodie obtulerit pro peccato suo holocausta sua contra dominũ.] Aut legendũ, corã dño, aut intelligendũ, contra, pro ex aduerso: sic in Euãgelio: Ite in castellum, quod contra uos est: Græce κατὰ τὴν κώμην. 2 Rara itaq; cõfessio de peccato, rara pœn. etc.] Assertio, id est, ut hanc uocem pœnitentiam, sibi uendicent, & usurpent, & agnoscant se errasse. 3 Quia cito impetus irrationalis præuenit & flamma quædã celerrimi motus animam depascitur.] Alluſum est ad Abiud & Nadab, qui ideo combusti fuerũt, quod alieno igne incẽsum Domino adoleuissent: sed hoc plenius postea ipse indicat. 4 Facile corrumpitur ac deterioratur.] Deteriorare, uerbũ etiã in Pandectis legum obuium est, ne quis tanquam barbarum, auersetur.

5 Vt reficiat & pascat animum obnoxium pœnitentia.] Obnoxius qui in noxa siue qui in noxia est. Discrimen inter utrunq; Grammatici ponunt, sed authores ijs uocibus promiscuè utuntur. 6 Ideo & alibi legis duos hircos, unum in quo sors domini, alterum transmissionis.] Hæc inuenies Leuit 16. Cæterum hircus iste trãsmissionis, ab Hieronymo appellatur emissarius, quod in solitudinem emittatur, et à septuagin ta Interpretibus ἀποπομπαῖος, quasi dicas ablegaturus, siue dimissarius, nam emissarius longe alterius est significationis, uideat diligens lector num uox dimissarius corrupta sit apud Hieronymum in emissarium.

IN EPISTOLAM QVARTAM AD IRENAEVM, SCHOLIA.

1 Abraham autem & Iacob & postea Moyses, Dauid pastores fuerunt, regalem quãdam in hoc munere disciplinam induentes.] Alluſum ad hoc, quod Homerus reges ποιμένας λαῶν hoc est, pastores populorum nominet, atq; adeo ipsi simpliciter reges ποιμένες appellantur: sed & alia lectio melior est quam in margine ascripsit Costerius, nõ disciplinam induentes sed innuentes, nimirum significantes: nam quod leui nutu significatur, innui dicitur. 2 Neq; nos dulcis pluribus secularium diuitiarũ cupiditas teneat.] Dulcis pluribus, id est, uulgo τοῖς πολλοῖς, siue τῷ πλήθει, multitudini scilicet. 3 Lætitia luxuriæ.] Id est splendor nitorq; opulentię, unde mox cõtraria opponit. 4 Hæc sunt quæ plena inopiæ atq; egestatis arbitramur: uocibus mutis, cymbalis animam ferientibus.] Vocibus mutis, id est, non humanis: qua forma, muta animalia uocamus, non quod sono carent, sed quod humana loquela.

6 Præferens incensilibus simulachris uirtutum spirantem decorem.] Id est, decorẽ uita preditũ & quasi spiritum uegetũ, sic & Virgilius. Excudẽt alij spirãtia mollius æra.

IN EPISTOLAM QVINTAM AD FOELICEM, SCHOLIA.

1 Tamen ubi sermonem unanimis mihi pectoris tui legi non mediocrem sumpsi ad conualescendum gratiam, quasi quodam tui alloquij pulegio refotus, uel (ut alij habẽt) polio.] Vtrũq; tolerabile puto. Nam ex authoritate Dioscoridis pulegium extenuat, calefacit, & concoctiones adiuuat, potum cum melle & aloe uitia pulmonis educit, cõuulsis succurrit, nauseas, & erosiones stomachi bibitum cum posca mitigat, uenenatorum morsibus subuenit, Idem admotum naribus ex aceto, animæ deliquijs medetur. Polium autem quod nonnulli ob depulsionem serpentum φθειροκτόνον uocant, & à canicie uerticis sui polium dicitur, decoctum uenenatorum morsibus succurrit, hydropicis itẽ & regio morbo laborantibus, & cum aceto etiam spleneticis.

IN EPISTOLAM VI. AD IRENAEVM, SCHOLIA.

1 Nam cum ex populo Iudęorum (ut pleriq; arbitrantur) genus duxerit.] Fere omnes eum Samium tradunt, nonnulli Thyrrenum, ex insulis quas Atheniẽses eiectis Barbaris occuparunt. Vnde hauserit Ambrosius eum esse ex Iudæorum populo, nondum comperi. Versatum autem eum apud Sacerdotes in Aegypto: apud magos in Chaldęa, multa mentione scriptorum testatum est.

2 Parietinis animæ ruinosus.] Parietinæ sunt parietum ruinæ, muri semiconsumpti. Cicero ad Seruium Sulpitium, In tantis tenebris & quasi parietinis Reip. Tusculanarum tertio, Magisq; me mouerant Corynthi subito aspectæ parietinę, quàm ipsa Corynthus. 3 Atq; ut cicadas aiunt, aura quadam pasci cupiditatum, uere sicut cicadas, quia de die in diem uiuunt, quæstuq; rumpuntur suo.] Cicadas rore uesci ex

Plinio

Plinio libro secundo, capite uigesimosexto, ex quarto Aristotelis de Animalibus & ex illo notissimo carmine Virgilij apparet.

Dumq; thymo pascentur apes, dum rore cicadæ.

Aristoteles hoc animal maxime ieiunum censet: Sed & Plinius Cameleontem ut in pastu animal uicinum, quod haud dubie uento alitur, uno tractatu cum Cicadis coniũgit. Aura autem leuis est spiritus, cœlo sereno rore abundans.

4 Quin & illud quæstuq; rumpuntur suo.] Optimè & ad cantum, & ad querelas, & acquisitiones temperatum est. Queri enim dicuntur aues in cantando, queri de suis fortunis expostulant, quærere qui intendunt possessionibus comparãdis & quęstus nomen uerbale ab omnibus istis æquè deriuari inflectiq; potest.

5 Ad mortem nati diurnam.] Et intra unum diem moriantur. Sunt apud Aristotelem Animalia quædam in ponto ἐφήμερα dicta, quasi diurna, quod eorum ætas diem unũ non excedat. Et Philosophi apud Lucianum ἐφημέρους cæteros mortales uocant.

6 Viæ tortuosæ serpentum, qui uenenato lapsu corporis esse trahunt.] Ea dicuntur proprie labi, quæ in motu pedibus non nituntur sed uoluuntur, ut serpentum & rotarũ actus. Virgilius in secundo Aeneidos,

Pedibusq; rotarum
Subijciunt lapsus,

& in octauo eius libri

Ac dum prima lues udo sub lapsa ueneno
Pertentat sensus, atq; ossibus implicat ignem.

FINIS.

IN SECVNDVM DIVI AMBROSII EPISTOLARVM LIBRVM, PETRI Nannij scholia.



ICET difficilius sit tuo iudicio quàm plurium non displicere.] Plurium uulgi, τῶν πολλῶν, sic Demosthenes οἱ πολλοὶ dixit, Origenes πλοῦς ita aliquando accipit, ut omnes intelligat, quod si hic ita capiatur, sensus erit, omnium iudicio citius posse satisfieri quam tuo unius.

2 Ostendens libertatem nostram in Christi esse sapientia, siue (ut alij uolunt) in Christi cognitione esse sapientia.] Ego lego, in Christi cognitione esse sapientiam, iuxta stoicum dogma, solum sapientem esse liberum. Cicero in Paradoxis ὅτι μόνος σόφος ὁ ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος, id est omnes sapiẽtes esse liberos, & omnes stultos seruos: quid enim est libertas? Potestas uiuendi ut uelis. Quis igitur uiuit ut uult, nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui uiuendi uia cõsiderata atq; prouisa est, qui ne legibus quidem propter metum paret, sed eas sequitur, atq; colit quod salutare esse maxime indicat, qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denicq;, nisi libenter ac libere, cuius omnia consilia, resq; omnes quas gerit, ab ipso proficiscuntur, eodemq; ferũtur, nec est ulla res, quæ plus apud eum polleat quam ipsius uoluntas atq; iudicium.

3 Maledictus Cham seruus domesticus erit fratribus suis.] Græce sic, ἐπικατάρατος Χαμ παῖς οἰκέτης ἔσται τοῖς ἀδελφοῖς, id est, maledictus Cham puer, famulus erit fratribus suis, hoc est, qui in familia uel domi seruit. Vernæ autem sunt, qui ibi seruiunt ubi nati sunt.

4 Affectus enim necessitudine fertur.] Sosipater Charisius, necessitas inquit imperij, necessitudo sanguinis coniunctio. Salustius tamen necessitatem sæpe pro necessitudine ponit. Cornelius autem Frõto aliquanto distinctius, necessitudo inquit uel sanguinis, uel meritorum, ut cum præceptoribus, cum amicis. Necessitas immutabilis res est, ut mori necessitatis est. 5 Vt si exasperatos eos excutere toros uiderint, fugiant.] Virgilianum est.

Tum demum mouet arma leo, gaudetq; comantes
Excutiens ceruice toros.

Toros autem hic iubas uocat, in toris hoc est musculosis & puluinatis carnibus nascentes. 6 Vt gentes pluuia sermonis sui faceret humescere.] Alludit ad id Psalmi,

Psalmi, Audite cœli, quæ loquar, audiat terra uerba oris mei, concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super terram, & quasi stillæ super gramina. 7 Sed non ille solum liber qui dominum licitatorem non pertulit, aut tollentem digitum non uidit.] Id est, non solum ille liber, qui emptus non est, & de cuius capite licitatio facta non est, aut qui non uidit emptorem sui, qui digitum in sublime sustulit, quo indicabat sibi eo precio mancipium addici cupere, quod in auctione præco pronũciauerat, ut enim χειροτονία est ubi sublata manu suffragiũ declaramus, ita tollere digitum solemus, ubi indicamus, quid nobis addici uelimus.

8 Sed nõ ista libertas quam manumissus accipit & palma lictoris donatus acquirit.] Non dissimiliter Persius. Quem quærimus hic est

Non in festuca, lictor quam iactat ineptus. Horat. item

Tu ne mihi dominus rerum imperijsq; hominumq;
Tot tantisq; minor, quem ter uindicta quaterq;
Imposita haud unquam misera formidine priuet?

Est autem uindicta, uirga prætoris quæ seruis iniecta libertatem donat. hanc etiam festucam dici nonnulli opinantur, eandemq; hic palmam nominari mihi persuadeo. Vt autẽ uindicta liberat à seruitute, ita rudis quæ est lanistæ uirga liberat gladiatorem ab operis harenę. 9 Et quanta in ipsis insipienti refragia sint.] Refragia à refragari cui contraria sunt suffragia. Vt enim astipulatio alienæ sententiæ suffragium est, ita refragium dissentio est, & obluctatio: à Comitijs ducta translatio.

10 Furta belli.] Quæ per insidias geruntur, & non aperto marte, furta belli nominãtur, quum uictoriam dolo furantur, non ui eripiunt. Virg. 11. Aen. Furta paro belli. Salustius, gẽs ad furta belli peridonea. Rursus Virg. 10. Aen. Haud melior furto sed fortibus armis. 11 Stultus complexus est manus.] Ecclesiast. 4. Stultus complicat manus suas & comedit carnes suas dicẽs: Melior est pugillus cum requie, quam plena utraq; manus cum labore, & afflictione animi, Græce, ὁ ἄφρων περιέλαβε τὰς χεῖρας αὐτοῦ. Quod & ita interpretari potest, Incurius siue stultus circunplexus est manus suas. Descripsit autem habitum ignaui & inertis, qui alteram manum alterius palma inuoluit et utramq; ita ad opus inutilem reddit, fere idem, quod consertis inter se digitis sedere.

13 Calami uox, maximum ignis uiuentibus dolorem corporibus inurit & gignit corruptionẽ, super hunc nos sumus.] De calamo ita Suidas. Indus unus ex numero Brachmannorum (ita enim sapientes Indi uocant) huic Alexander Macedo, quum se præsente obijsset funebres ludos exhibuit, & merobibas in certamem produxit ob temulentiã Indorum. Calamus autem ad omnia Alexandro concinne respondit. Cæterum sermo iste ex interpretatione Græcorum uerborum nonnihil græcissat. quale illud (gignit corruptionem) quod nihil aliud significat quam ignem perdere & absumere, quale & illud (super hunc nos sumus) pro istis nos superiores sumus & uincimus, quæ prorsus indolẽ Græcanicam sapiunt. 14 Quid Theclam, quid Agnem, quid Pelagiãlo quar, quę tanquam nobilia uitulamina pullulantes ad mortem quasi ad immortalitatẽ festinauerunt?] Vitulamina Græcè μοσχεύματα, stolones, plantę teneræ, malleoli uitiũ, uiui radices. Cæterum uocem hanc in Sapientia Solomonis obuiam improbat Augustinus, mirumq; est Ambrosium eam ut probam retinuisse. Fortasse publicæ lecturæ nihil uoluit derogare. & ideo quoq; uocem consuetam reseruauit, ut melius allusio intelligeretur. Sapient. 4. Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, & spuria uitulamina non dabunt altas radices.

In Epistolam secundam libri Secundi

1 Inter ferarũ diuersarijs spelæa.] Spelæa, id est, spelũcas, Virgilius in Bucolicis: Certum est in syluis inter spelæa ferarum Malle pati.

2 Nempe de Bononiẽsi ueniens urbe à tergo Claserniam, ipsam Bononiam, Mutinã, Regium.] Imitatio est Seruij Sulpitij ad Ciceronem de obitu Tulliæ filiæ, ex Asia rediens: Quum ab Aegina Megaram uersus nauigarẽ, cœpi regiones circum circa prospicere, post me erat Aegina, antè Megara, dextra Piræus, sinistra Corinthus, quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nũc prostrata & diruta ante oculos iacent, cœpi egomet mecum cogitare, hem nos homunculi indignamur, si quis nostrum interijt,

aut occisus est, cum uno in loco tot oppidum Cadauera proiecta iaceant.

In tertiam secundi libri Epistolam

1 Sed non excuti dilationibus.] Puto legendum sed non exequi dilationibus, nimirum quia propositum Christianę religionis susciendæ dilationibus protrahebat, non executioni mandatum fuit, fortasse ueterum more ita scriptum fuit execui pro exequi.

IN EPISTOLAM PRIMAM TERTII LIBRI.

Ad Simplicianum.

1 Non enim (inquit) sit extrinsecus capillorum implicatio.] Verba Petri Græca hęc sunt, ὧν ἔστω ὄχ ὁ ἔξωθεν ἐκπλοκὴς τρίχων, interpres uetus, quarum non sit extrinsecus capillatura: Erasmus transtulit plicaturam. Cæterum D. Petrus intellexit omnem ornatum qui capillis adhibetur, siue eos in nodum colligunt, siue in corymbos glomerant, siue in cincinnos uibrant, siue gradibus frangunt, siue eos quasi in funiculos triplici quadruplici ordine reuinciunt, siue crobylis innectunt, siue aurea scobe aspergunt.

2 In summis diuitijs inops.] Horatius, magnas inter opes inops.

3 Posteritas sicut odor agri, sepultura sicut messis.] Ad duo loca scripturarum simul allusum, Gen. 27. Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus: & Iob 5 Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici tempore suo.

4 Inferetur apothecis.] Vbi aliquid reponitur apotheca dicitur. nunc autem Pharmacopolarum officinas ita appellamus. 5 Ideo raptus est ne cor eius malitia mutaret.] Verba ex quarto Sapientię, raptus est ne malitia mutaret intellectū eius, aut ne fictio deciperet animam illius. 6 Alter despiciens βασιλέων πολυχρύσους τύχας.] Regum fortunas auro abundantes.

IN EPISTOLAM SECVNDAM AD IRENAEVM.

1 ὡραῖος κάλλει πρὸ υἱῶν ἀνθρώπων, ὡς ὡραῖοι πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων εἰρήνην.] Id est, Speciosus pulchritudine præ filijs hominum, quam speciosi pedes annunciantiū eum.

2 In quo & uidetur & clarificatur pater sicut ipse clarificat filium.] Mutuatitium id, ex uerbis Ioann. cap. 17. δόξασόν σου τὸν υἱόν ἵνα καὶ ὁ υἱός σου δοξάσῃ σε, uetus interpres, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Quia hoc idem uerbum multis in locis glorificet transfertur, ueni in eam cogitationem, num gloria dicta sit quasi claria: Esse autē promiscuū usum inter C, &, G, in Caio & Gaio, Cneo & Gneo. omnib. liquet. qua αὐτοσχεδίῳ gladiū pro cladiū, rursum o in a transire in moro & mauro, codice & caudice, ola in aula euidenter cognoscitur, nec tamen interim ignarus sum Varronem de lingua Latina, qui uulgo Festus Pompeius dicitur, gloriam ἀπὸ τοῦ κλέους dictam existimare, sed quid uetat in Latino uocabulo Latinam etymologiam quærere?

3 Volebat enim nos in figura esse istius mundi non in possessione atq; usu.] Subobscurus sermo, sensum hunc opinor, uolebat nos uersari in mūdo quasi in re imaginaria, & quę nulla quasi soliditate subsisteret. Puto enim illum alluisse ad illud primæ ad Corinthios cap. 7. Præterit enim figura mundi, nam postea addit, ambulantes tanquam in imagine seculi. 4 Velocissima dispositione ipsam imaginem huius mundi transeuntis.] Dispositione, œconomia, ut tractatus mundanarum rerum sit quasi alienarum. 5 Tunc supinatur per arrogantiam.] Describit uultum superbi qui os sublime in cœlum erigit, cui contrarius est demissus, qui uultum in terram deijcit. 6 Vt renouatis alarum remigijs.] Metaphora Virgiliana est.

Redditus his primum terris, tibi Phœbe sacrauit
Remigium alarum.

7 Corde nos cepisti soror nostra.] Græcis id maiori emphasi dicitur, ἐκαρδίωσας ἡμᾶς ἀδελφὴ ἡμῶν νύμφη, ἐκαρδίωσας ἡμᾶς ἐν ἑνὶ ὀφθαλμῶν σου. Excordiasti (ut hoc uerbi fingā, quia Latini nihil tale habent) nos soror nostra sponsa, excordiasti nos uno oculorū tuorum. Vetus autem interpres, uulneraſti cor meum soror mea sponsa mea, uulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum. 8 Tabernaculum circa quod scribæ dominī prætendunt.] Tendere est tētoria habere, Virg. Hic sæuus tēdebat Achilles. Prętendere qui ante alios tendunt, & suis custodijs cingunt & tuentur.

IN TERTII LIB. EPISTOLAM TERTIAM.

1 Si tempus uobis ut habitetis in domibus cælatis.] In ueteri translatione, Nūquid uobis

uobis tempus ut habitetis in domibus laqueatis: fere eodem sensu, tangit enim eã magnificentiam ædium, quæ uel cælato opere uel lacunaribus constant, Græce autem, εἰ καὶ ῥᾳθ ἡμῖν μλλ τὰ οἰκοδομεῖν ἐν οἴκοις ἡμῶν κοιλοστάθμοις, hoc est, in ædibus quę habent cauas mansiones, atq; eò uidetur alluisse Ambrosius ex ijs quæ subtexit.

2 Quid ergo istud est nisi in superioribus habitandum, non in uallestribus & subterraneis habitaculis.] Quasi per domos cælatas intellexisset, domos quæ habent subterraneas cellas, & hypogæa. 3 Quia luxuriosorum est hypogæa quęrere.] Hypogæa loca subterrestria ubi caupones & meretrices stabulari solent, quæ ob similitudinem cubilium ferarum lustra Romanis appellantur, meretrix certe χαμαιτύπη & χαμαιτύπις nominatur. 4 Eiusdemq; resuscitati pignoris.] Arbitror legendum Ibidemq; resuscitati, &c. Fit enim loci superioris repetitio.

Quid de Petro dicam, qui ad horam sextam ascendens in superiora.] Ne quis per superiora montis cacumen aut simile quid intelligat, sciat hoc uocabulum ad quod toties alludit Ambrosius ὑπερῷον esse quod significat cœnaculum superius, uox composita ab ὑπὲρ & ὠόν, ueteres testudinata siue concamerata ouum appellabant, ita Leda in fabulis quũ in tali cubiculo peperisset, finxerunt eam oua peperisse. In actis tamen δῶμα reperitur, quod tectum significat, nimirum Iudæorum more in sublimi oraturus.

Aedificasti, inquit, domum, metire superiora eius, perflatilia, distincta fenestris, cõtignata cedro, & illita minio.] Græce habetur, ᾠκοδομήσασ σεαυτῷ οἶκον σύμμετρον, ὑπερῶα ἁπτὰ καὶ διεσταλμένα θύραισι, καὶ ἐξυλωμένα ἐν μίλτῳ. Cæterum ego duas uoces castigandas existimo, primum ut pro ἁπτὰ legatur ἁπτυδυτὰ et pro ἐξυλωμένα ἐξηλωμένα καὶ κεχρισμένα ἐν μίλτῳ. Videturq; Ambrosius non σύμμετρον sed συμμίτριον legisse, Græcorum uerborũ hic sensus. ædificasti tibi domum proportionibus suis inter se congruentem, cœnacula perflatilia & distincta fenestris, cõpacta cedro, illita minio. Hieronymus autem sic, Aedificabo mihi domum latam, & cœnacula spacioſa, qui aperit sibi fenestras & facit laquearia cedrina. hæc ideo diligenter annotaui, ut ex tot translationibus sentiretur, quænam sint laquearia siue lacunaria in ædibus; nimirum ubi super transtra domorum nõ temere materia iniecta est, quę tegat mãsionem, ut fit in tugurijs, sed trabes inter se reuinctæ tectũ sustinent. Currus ex Ephrem & equus ex Hierusalẽ.] Aut ἐν ἅρμα δύω currus equis iunctis significat, aut duo genera bellatorum innuit, quorum alij ex curribus depugnabant, alij ex equis singulis, ita quoq; & in Psalmo 19. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine domini sperabimus.

In epistolam primam libri quarti. Ad Ireneum

1 Lamentare ad me super sponsam præcinctam saccum in uirum eius uirginalẽ.] Γρ̃ cc θρλώνσον πρός με ὕπερ νύμφλω πεπεζωσμένλω σάκκῳ, ἐπὶ δ᾽ ἀνδρα αὐτ̃ παρθενικὸν. Hiero. Plange quasi uirgo accincta sacco, super uirum pubertatis suæ, sed eodem recidit. Homerus huiusmodi maritum κεδίδιον appellat quasi dilectissimum qui adulescens & intactus alia libidine in matrimonium uenerit κεδίδιον ποθέουσα πόσιν eadem ratione & uxor κουρίδια dicitur, quod Virgilius quum tali epitheto careret longa periphrasi extulit, Et magno miserę dilectus amore, Cui pater intactã dederat, primisq; iugarat, omnibus. Sic alibi, obuiauit ei & quasi mulier à uirginitate susceptit eum, hoc est uxor uirginalis. Quod autem hic saccum nominat, id postea cilicium uocat, rerum uicinarum uocabula permiscens.

2 Exuens uestimentis captiuitatis ut depositis omnibus capitis sui capillis.] Allusum uideri potest præterquam ad 21 Deuteronomij, etiam ad mores Romanos qui eorum quos manu mittebant caput radere solẽt. Plautus, Quid superest nisi ut raso capite accipiam pileum? Arbitrorq; idem institutum, ut monachi radãtur: quo se agnoscant libertos Christi. Contraq; qui seruile quiddam in moribus habent dicuntur seruiles pilos retinere. Diuersum in Nazaræis, in quorum caput nouacula non ascendebat.

In quarti libri, Epistolam secundam.

1 Est enim amabilis animæ species.] Græcè est Deuteronomij 21 ἠγαπημένη, id est, dilecta, sed hanc appellat amabilem eo significatu ac si φιλήδονον esset, hoc est uoluptuaria & ad delicias prona.

2 Quæ mentem non afficiat sed oblectet.] Afficiat, id est, cruciet, anxiam & ægram faciat, fere idem quod conficiat, quod postea subijcit. Tibullus, Iuppiter affectæ tãdem

miserere puellæ, sunt autem affecta quæ fere confecta sunt & consumpta.

4 Scortari comparem suum noluit.] Coniugem intelligit, translatio sumpta à paribus boum qui simul iugum trahunt.

In quarti libri, Epistolam tertiam.

1 Quid in pullis quàm canora uox Gallic nocturnisq; uicibus solenne munus ad excitandum & canendum.] Deest autem aliquid plenitudini orationis, credo autem legẽdum sic, nocturnisq; uicibus quàm solenne munus & cæt. Omnis auitij generis fœtus, pulli dicuntur, ut quadrupedum catuli, proprie tamẽ partus Gallorũ pulli appellantur, inde pullarius qui gallinaceos nutrit ad obseruandum tripudium solistimum. Plinius libro 10. capite 21. de gallis, Proxime gloriam sentiunt & hi nostri uigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus rumpendoq; somno natura genuit. Norũt sydera & ternas distingunt horas interdiu cantu, cum sole eũt cubitum, quartaq; castrensi uigilia ad curas laboresq; reuocant, nec solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemq; uenientẽ nunciãt cantu, ipsum uero cantum plausu alarum. hactenus Plinius. quamobrem à Prudẽtio appellatur, ales diei nuncius, ab Ausonio excubitor, Excubitorq; diem cantu præ dixerat ales. Ab eorum cantu Græci duo gallicinia faciunt, Latini unum.

In quarti libri, Epistolam quartam.

1 Nulla epistola tantum benedictionis increpuit.] Increpuit, insonuit, sonitum edidit, Virgilius, At tuba terribilem sonitum procul ære canoro Increpuit.

2 Legem mandatorum in decretis euacuauit.] Græca uerba Pauli hæc sunt, τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι καταργήσας. uox δόγμα πολυσημίαν magnam habet: nunc hæresim siue sectam, nunc placitum siue edictum, nunc decretum significat sic Lucæ 24. ἐγένετο δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐξῆλθε δόγμα παρὰ καίσαρος αὐγούστου, factum est autem in diebus illis exijt edictum à Cæsare Augusto, arbitrorq; secundi anni discipulos in iurisprudentia cognoscẽda, quos iubet Iustinianus ab edictis appellari, dogmaticos Græco uocabulo appellatos fuisse, id ut credam facit perpetuus græcismus illius procemij quod Pandectis à Iustiniano præfixum est, ut prorsus uideatur primum Græce natum esse, deinde in Latinam linguam conuersum. 3 Ex quo totum corpus fidelium & sapientum, per harmoniam rationabilem uerbi, hoc est enim συναρμολογούμενον, ἁρμονίαν τοῦ λόγου δεδεμένον, id est harmonia uerbi compaginatum.] Et Græcè & Latinè interpretatur uerbum Pauli συναρμολογουμένη, quod compositum ex σὺν & ἁρμονία & λόγος.

4 Hoc est quod dixit Græcus ἀφὴν τοῦ χορηγίαν καὶ ἐνέργειαν ἐν μέτρῳ.] Quis ille Græcus sit ignoro, & an integra sint Græca addubito. huius modi tamen ex illis sententia confici potest, tactum materię suppeditatæ, pro ut officio functionicq; eius congruebat attemperatum. Quędam exemplaria pro Græcis habebant characteres male expressos, quos ad coniecturam libuit studiosis proscribere. Quod si pro ἀφὴν legas ὑφὴν ut sit materiæ unitionẽ, quod sequentia uerba indicant, quæ ex castigatione Costerij ita legenda sunt. Quod non difficile erit tanto architecto, secundum mẽsuram uniuscuiusq; meritorum ac fidei conuenientem sibi connectere, cum ædificatio charitatis ruinam excludat.

5 Postremo quasi bonum bellatorem sumere arma Dei ac prętendere.] Prętendere hic rursus pro in castris agere, de quo supra meminimus.

In libri quarti, Epistolam quintam.

1 Si non illis cedant pro studio uoluntaria.] Arbitror legendum, pro studio uoluntatis. 2 Quasi aliter sumptum exercere nequeam.] Id est, quæstum exercere ad impendia uitæ sustinenda, paulo post & hæc subiungit.

3 Quasi uero hoc solum sit in clerico ut sumptum expediat suum.] Hoc est ut necessaria ad usum uitæ obtineat, sumptus enim proprie est quod ad usus nostros sumitur & impẽditur. Cicero in Officijs, Pecunię collocãdæ ratio est, quæ perpetuos sumptus suppeditat. Item pro Q. Ligario, Sumptus nusquam melius poni potest.

In libri quinti, Epistolam secundam.

1 Inde transiuit in paradisum ubi se capiendum dedit.] Paradisum, hortũ illum Gethsemani nominat, ubi Christus à Iudæis captus est, & recte. Est enim Paradisus non proprium nomen loci, sed appellatiuum. Vjuaria enim ubi feræ habentur, à Græcis παράδεισοι uocantur, nec non & horti & uiridaria & ambulationes Regum ita nominantur.

Quam

2 Quam suscepit in Golgotha Christus ubi Adæ sepulchrum est.] Ex opinione illa qua dicunt sanguinem Christi in Adæ sepulchrum defluxisse.

In quinti libri, Epistolam tertiam.

1 Iura pietatis.] Id est, iura paternæ necessitudinis, pietas enim & religio est erga deum, & obseruantia erga parentes, & gratitudo erga benemeritos: nam & irreligiosus impius & in sanguine coniunctos sęuus, impius quoq; dicitur, nec non et is qui uicē meritis ob animi malignitatem non reponit.

2 Exhæredatione uel abdicatione contumacis pignoris.] Latini exhęredāt. Græci abdicant. hoc discriminis inter utrunq;, quod abdicamus in uita, exhæredamus in morte. Abdicato, statim gratia parentum, iusq; liberorum denegatur: exhęredato, successio bonorum. Per pignora autem hic intelligimus liberos.

3 Honorata autem quæ pietate defertur.] Hoc est honoratum obsequium, quod ex philostorgia exhibetur. Est autem hic deferri, cedere, submittere se & obsecundare, quo in significatu sæpius antè usurpauit, quod semel admonendum fuit.

4 Lex ergo pædagogus fuit, id est nomos.] Puto ordinē uerborum inuersum esse, ac sic debere legi: νόμος igitur, id est lex, pædagogus fuit. Vsurpauit autem Ambrosius Græcum uocabulum, ut dulcior esset allusio in uocabulis, quæ ambo sunt masculini generis. nam lex & pædagogus quasi sexu inter se discrepare uidentur.

In quinti lib. Epistolam quartam.

1 Quod ipsum se mouet, & non mouetur ab alio, ipsa tibi anima uidetur.] Sententia Platonis est in primo De legibus, ψυχὴν εἶναι τὴν δυναμένην αὐτὴν αὑτὴν κινεῖν κίνησιν. Congerit Ambrosius fere omnium philosophorum opiniones de anima. Siquidem Xenocrati anima mens est nullo corpore, Zenoni ignis, Aristoteli quinta quædam essentia, quā entelechiam nominat, Aristoxeno corporis intentio quædam, Empedocli cordi suffusus sanguis, Euripidi Deus, Pythagorę numerus, Dicæarcho nomen inane, Democrito atomi. 2 Quotiens sol obtexitur nubibus, quotiens obiectum afferunt terræ, uel quum è regione lunæ suus radius fuerit repercussus.] Alij codices habent obiectu terræ, quum è regione luminis sui radius fuerit repercussus. Ego quia triplici de causa spoliamur lumine solis uel obiectu nubium, ut in caligine, uel obiectu terrę, ut in singulis noctibus, uel obiectu lunæ, ut in eclipsi contingit, ita legendū arbitror, quotiens sol obtexitur nubibus, quotiens obiectum afferunt terrę, uel quum è regione lunæ suus radius fuerit repercussus. Deinde in fine ipsius epistolæ.

3 Quam nostrorum peccatorum ultricibus pœnis interpolari.] Legendum interpellari. Interpolantur enim quæ speciem renouationis accipiunt, ut uestes quæ à fullone interpolantur: interpellantur quæ perturbantur & in rerum suarum tenore impediuntur, sed tam sæpe in his libris occurrit interpolari, pro interpellari, ut dubitem num Ambrosius promiscue his uocibus utatur.

In quinti lib. Epistolam quintam.

1 Et comparturiat illum fortasse spiritum salutis.] Græcum uerbum ὠδίνω & parturio & doleo significat, ad utramq; significationem hic allusit Ambrosius, quæ in Latina dictione parturio non est, sed in δίλογίαν interpretes omnes, tum in philosophicis tum theologicis his, uiolentiores fiūt ipsa necessitate, cogūtq; Latinas uoces sępe πλεονασμῶν Græcarum dictionum accipere. 2 Quid sit quod primitiarum, uel initij nomine declarauerit, & postea. 3 Licet aliqui distantiam uelint esse inter primitias & primogenita, id est quæ primo nascūtur, eo quod collectis seminibus quasi ex omnibus initia offerantur areæ, tamen de messibus quod primum tollitur, id offertur domino.] Hanc differentiam Ambrosius facit inter primitias & initia, quod primitiæ sint ex messe, initia ex tritura. Primitiæ cum aristis sint, initia puro semine constent: quod primum metitur, primitiæ, quod primum excusso frumento ex tritura colligitur, initia uocat. Decimæ porro, non ordine nascendi, ut primitiæ, non ordine colligendi, ut initia, sed de numero uocabulum suum trahunt: nimirum quod decima pars sit, eodemq; modo uigesimæ, trigesimæ, centesimæ dicuntur. hoc quoq; adijci potest. Initia tum propriè uocari, quum deo initiata sint & consecrata, sic primitias esse in concipiendis uotis, initia in reddendis.

In quinti lib. Epistolam sextam.

1 Et enim aduocati nostri Iesu.] Fortasse legendum aduocatus nostri Iesu. Verum haud dubie allusum ad uocabulum τῷ παρακλήτῳ, quod uel aduocatum uel consolatorẽ significat. 2 Ventrem meum doleo.] Metaphora sumpta uidetur à parturientis dolore, de quo supra in uerbo ὠδίνω meminimus.

In quinti lib. Epistolam septimam, ad Marcellum.

1 Erubui recusare fateor, cum præsertim togati utriusq; partis inuicem se lacesserẽt.] Togati ex habitu cultuq; quo causas agebant, patroni litium & causidici appellari cœpti sunt. 2 Vt expensas iurgij posceres.] Iurgij litis, dictum enim est iurgium quod iure agatur. 3 Sed possessionem regeret tributariam.] Id est, quæ tributa dependunt: ut uectigalis, quæ uectigal, quæ si suo die non represententur, magna mulcta inuoluunt proprietarium.

4 Sibi ascribit Letus conditionem oblationis suæ.] Id est, suo periculo pensitationem sustinebit, eamq; ab oneribus extraordinarijs expediet, & indeminutã persoluet. Argumentum quãtum ex uerbis Ambrosianis colligi datur, tale fuit. Marcellus agros suos sorori in usum fructum, Ecclesiæ in proprietatem dedit. Hanc donationem Letus frater litibus inquietabat, & rescriptis principum donatione labefactabat.

5 Et hoc Letus faciet, recepta iam etiam nominis sui proprietate.] Hoc est, hilaris id faciet, proprietatiq; & etymologiæ sui nominis, quod lætitiam sonat, respondebit.

In lib. quinti Epistolam octauam, Gratiani ad Ambrosium.

1 Non ei obijciens, quam in me uideo creaturam.] Arriani ideo negant Christum esse Deum quia & homo sit, id est, creatura. hanc impietatem quam de matre sua didicerat, nunc se detestari & abijcere ostendit. 2 Velle tamem ut etiam patri me commendem, filium prædicando. Non ego in Deo uerebor inuidiam.] Arriani asseuerabant si diuinitatem adderes filio, eam patri detrahi, patremq; prædicationibus filij in inuidiam prouocari. has ineptias Gratianus amplius non agnoscit. Videntur autem ista nonnihil mutuata esse ex Athanasio de Trinitate, ubi ostendit patrem non irritari filij laudibus, imo iniquè ferre, si quis sibi iniustas laudes attribuat, quemadmodum amici Iob in eo reprehẽdendo fecere, asseuerãtes deum neminem mortaliũ, nisi ob peccata sua affligere, ac proinde Iob multa antea deliquisse, qui tot malis affligeretur. Hoc Patrocinium de iustitia sua Deus aspernatus est. Videat diligens lector num error sit in titulo, ac potius hæc epistola sit Valẽtiniani quàm Gratiani. Certum est ex Oratione funebri Valentinianum per literas ab Ambrosio postulasse, ut ab eo sacra mysteria doceretur. hæc enim sunt uerba Ambrosii: Illa priuata, quod sæpe me appellabat absentem, & à me initiandum se sacris mysterijs præferebat.

In lib. quinti Epistolam nonam D. Ambro. ad Gratianum.

1 Nocte & die in tuis castris cura & censu locatus.] Arbitror legendum, cura & sensu, quod prius dicta uidentur requirere. 2 Orationum excubias prætendebam.] In castris sunt qui excubias agunt, sunt etiam qui ante castra, hos Græci προφύλακας nominant: Latini aliquando præexcubitores. Horum officium indicat Ambrosius se orationibus præstitisse. 3 Perfidorum ora atq; (quod utinam) & corda clausisti.] Parenthesis autem male suis finibus distincta est, quæ post (ora) incipere debebat, & desinere post (corda) hoc modo, Perfidorum ora (atq; utinam & corda) clausisti. Optat enim ut ora perfidorum obstruxerat, ita quoq; & animos obstruxisset. hanc appendicem, Domine imperator Auguste, diuino electe iudicio, princeps glorioßimme, adiectam puto ab indocto aliquo nebulone, qui id genus adulationis ex moribus posteriorum seculorum assuerat. Nõ enim electus fuit Gratianus, sed natus Imperator. Deinde Princeps glorioßimme, ineptam adulationem habet, in adulescente principe, qui nondum magnis rebus gestis inclaruerat. nec cõueniebat, ut ei alium titulum daret in fine Epistolæ quàm dederat in principio, ubi beatißimum Augustum, & Christianißimum principem uocat.

In quinti lib. Epistolam decimam, ad Valentinianum.

1 Me uiolentiam à Maximo non recepisse.] Græcissat oratio. πλὼ τρίαν πλὼ ἀπὸ μαξίμου, pro uiolentiam maximi. Recepisse autem hic significat, approbasse ut Græcis suum ἀπο-

δέχομαι

Νέχομαι. 2 Quia tamen regredienti mihi decernendi impoſuit neceſſitatem.] Decernendi pro diſputandi poſitum uidetur. 3 Certe eſſe aliqua de quibus ſerio deberem cum ſuo principe fabulari.] Certe pro (ſaltem) Cicero in Tuſculanis. homines mortem optare incipiant, uel certe timere deſinãt. Horat. lib. 1. Serm. Sat. 9. Certe neſcio quid ſecreto uelle loqui te aiebas. 4 Quia tunc inquã ut inferiori pacem petebam, nunc ut æquali.] Id eſt, tunc Valentiniano exuli & excluſo à regnis pacem poſtulabam. Superiorem, uictorem, inferiorem, imparem & uictum, Græco more, qui ita τὸν κρείττονα καὶ τὸν ἥττονα appellant. 5 Et annonas à me accipiant.] Annonas, ſalaria: quia olim in frumento dabatur ſtipendium.

6 Qua acie, quibus numeris.] Numeris id eſt, legionibus: quibus à numero nomẽ imponi ſolet. ſic quarta, quinta, decima, decimaſexta legio in multam mentionem apud ciuilium bellorum ſcriptores. 7 Qui deuotionem imperatori exhibuit ſuo.] Deuotionem, fidem ſummam & obſequium ad omnia, qualem præſtant qui ſe aliorum ſaluti addixerunt & deuouerunt. 8 Quoniam dum tu militẽ Romanum occupas, dum is aduerſum ſe utrinq; prætendit.] Hoc eſt, dum miles Romanus binis hinc inde caſtris quaſi contra ſeipſum ſtipendia facit, nimirum in legiones & Maximi & Valentiniani diſtractus. 9 In medio Romani imperij ſinu Iuthungi populabantur Rhetias.] Arbitror has gentes fuiſſe Iutlandos qui nunc in Dania ſedes habent. In ratiocinario imperij Romani inter præſidia Auguſtanicæ prouinciæ cohors quarta Iuthungorum ex Aphrodito numeratur. 10 Nec tibi uicem etſi non parilis dignitatis, eiuſdem tamen neceſſitudinis retulit.] Occiſo Gratiano fratre ſuo Valentinianus habuit in poteſtate ſua fratrem Maximi, quem non occidit quum potuit. Quod ſi feciſſet, in mactando Maximi fratre, fratris ſui necẽ ultus fuiſſet. Par quidem in homicidijs ius ſanguinis uerſatum eſſet, non par dignitas, quia Gratianus Imperator erat, frater Maximi homo priuatus. 11 Ni fallor uſurpator bellum infert.] Vſurpator, id eſt, inuaſor. eſt enim uſurpator proprie, qui non iure, ſed uſu, rem alienam ſuam facit. hinc apud Grammaticos, illud uſurpatiuè dictum cenſent, quod licentia occupantis ita dicitur, & contra regulam eſt.

12 Iuſſeram eum deduci Cabillonum.] Opinor oppidum fuiſſe Cabalorũ, quos Nitiobrigibus fuiſſe uicinos conſtat. hos Cæſar ait, ſub clientela Auernorum fuiſſe.

13 Sine plumatio paterentur extrudi ſenem.] Veſtis haud dubie genus, ſed an ab opere plumatili dicta ſit, alijs diuinandum relinquo. Eſt autẽ ueſtis plumatilis, ubi diuerſi colores ſimul relucent quales uides in collis auium maxime columbarum: quod ideo fit, quod ex polymitis & ſtaminibus uerſicoloribus contexta ſit. Sed quia res in coniectura poſita eſt, uideat quoq; lector, num plunatium legendum ſit, ut ſit ueſtis linea ſiue ephod ſiue alterius formæ quæ ſæpe lauari ſolet.

In lib. quinti Epiſtolam 11 ad Theodoſium.

1 Et ueteris amicitiæ dulcis recordatio eſt, & beneficiorũ quæ crebris meis interceſſionibus ſumma gratia in alios contuliſti, gratiæ memini.] Gratiæ uidetur abundare. Eſt enim ita conſtruendum, beneficiorum memini. Niſi ſic uelis interpretari gratiæ beneficiorum memini, ſed genitiuus, qui alterum genitiuum regit, nimium diu dilatus uidetur, non ſine uitio ὑπερβάσεως. Eſt alioqui πεπυγμένον non ingratum, & quiddam πολύπτωτον in gratia & gratiæ. 2 Soli mihi in tuo comitatu ius naturæ ereptum uidebam audiendi.] Vt & loquendi priuarer munere. Integrum quidem, ſed plenius eſſet, ſi forma loquendi ad hunc modum concepta fuiſſet: ſoli mihi in tuo comitatu ita ius naturæ ereptum uidebam audiendi, ut & uidendi. Indicat ſibi in Cæſaris familia nec liberũ fuiſſe auditum nec uiſum. Comitatus autem hic, eſt familia imperatoris cum officiarijs & ſtipatoribus, quæ olim cohors dicebatur.

3 Aut non audiam per metum omnium.] Quod omnes præ metu muſſent & taceant, nec ad aures Ambroſii perferant.

4 Sed aures non poſſum cera ueterum fabularum claudere.] Alluſum ad id quod Vlyſſes ſociorum aures cera obturauerit, ne audirent Sirenum cantus.

5 Accipe illud Imperator Auguſte.] Conceſſionis eſt, magna illi dat, ut inoffenſus alia detrahat. Sic & Paulus, Laudo uos, in hoc non laudo.

6 Prætendí ægritudínem re uera grauem,& níſi à uíris mitíoribus uix leuandam.] Re ctũ uídetur ſi pro mitíoribus legas,peritíoribus:ut res ad medícos pertíneat. quãdo pri mum auditum eſt,quum propter,&c. 7 Vt uſurpes, quod uſurpaſſe mul tis officit.] Vſurpes,occupes & peruícaciter teneas,ut íuſtum uíderí prętendas quod ſceleratum eſt.

In quínti lib.Epiſtolam duodecímam,ad Theodoſíum.

1 Et fecerit delíctum quía non diſtínxiſti ei,hoc eſt,quía non dixiſti quid eſſet cauen dum.] Septuagínta ſic habent,υἱὲ ἀνθρώπου σκόπον δέδωκά σε τῷ οἴκῳ ἰσραὴλ, καὶ ἀκούσῃ ἐκ τοῦ στό ματός μου λόγον,καὶ διαπλάσῃ αὐτοῖς παρ' ἐμοῦ,οἱ τῷ λέγειν με τῷ ἀνόμῳ, θανατώσῃ,καὶ οὐ διεστείλω, οὐδὲ ἐλάλησας,τοῦ διαστέλλεσθαι τῷ ἀνόμῳ,τοῦ ἀπορρέψαι ἀπὸ τῆς ὁδοῦ αὐτοῦ,τοῦ ζῆσαι αὐτόν. Fílí hominís de dí te ſpeculatorem domuí Iſrael,& audíes ex ore meo ſermonem meum, & íntermínaberis íjs meo nomíne,dícendo ad íníuſtum morieris.& nõ díſtínxiſti neq; loquutus es, ut díſtínguéres íníuſto,quo ípſe cõuerteret ſe à uíjs ſuís,ut uíueret.Eſt autem hic díſtínguere,díſerte & expreſſe denunciare,ſine ambage aut ínuolucrís uerborum.

2 Imo corrípiatis,ſi non utatur mílitiæ ſuæ ordine.] Prorſus & hic & ín príncipio hu íus epiſtolę uídetur mílití am ponere,non tantummodo pro caſtrenſi ſtípendio,ſed pro quauis functíone, mínſterío, & officío.

3 Non aſtruo expectandam fuiſſe aſſertionem Epíſcopí.] Aſſertionem, íd eſt, de-fenſionem. Metaphora índe ſumpta, quod ín cauſa líberalí aſſertorem ſiue uíndicem adeſſe oportebat, quo alterius líbertatem, quí ín ſeruítutem petebatur, aſſereret.

4 Sí autem prævaricarí cogatur aut ſubíre martyrium.] Prævaricatío hic ídem quod ídololatría: quod ípſum alíquando adulterium, alíquando ſacrílegium appellatur. Eſt quoque & ílle prævaricator,quem nunc Apoſtatam uocant. In líteris prophanís ís prævaricator eſt, quí cum reo colludit & cauſam aduerſarío prodit.

5 Huíc labarum, hoc eſt, Chriſti ſacratum nomíne ſignum.] Vexíllum Augu-ſtale quod ín ſumma galea Conſtantínus Magnus geſtare ſolebat, ípſi & ín ſomnís & cœlítus oſtenſum. Euſebius líbro primo, de eíus uíta, ἀμφὶ μεσημβρινὰς ἤδη ὥρας, ἤδη τῆς ἡμέρας ἀποκλινούσης αὐτοῖς ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν ἔφη αὐτὸν τοῦ οὐρανοῦ ὑπερκείμενον τοῦ ἡλίου σταυρὸν τροπαιοῦχον ἐκ φωτὸς συνεστῶτα,γραφήν τε αὐτῷ συνῆφθαι λέγοντα,τοῦτῳ νίκα. Circa horas merí-dieí, íam luce uergente, uídíſſe ſe ſuís oculís aíebat ín ípſo cœlo ſupra ſolem crucís trophæum, quod non níſi luce conſtabat, addítumq; títulum hís uerbís, hoc uínce. Deínde quum hoc ípſum ín ſomnís apparuiſſet, talí ſpecie iuſſit effigurarí, ὧν δὴ τοιῷδε σχήματι κατεσκευασμένον. ὑψηλὸν δόρυ χρυσῷ καταμφιεσμένον, κέρας εἶχεν ἐγκάρσιον σταυρὸν σχῆμα περιτιθέμενον. αὖθις δὲ πρὸς ἄκρῳ τῷ πανὶ,στέφανον ἐκ λίθων πολυτελῶν, καὶ χρυσὸν συμπεπλεγμένον κατὰ σημεῖον,καὶ δι' οὗ τὸ σωτηρίου ἐπιγραφὴν τὸ σύμβολον δύο στοιχεῖα τὸ χριστοῦ παραδηλοῦντα ὄνομα διὰ τῶν ὑπεστραμμένον χαρακτήρων,χι ζομένου τοῦ ρ,κατὰ τὸ μεσόπαττον,ἃ δὴ καὶ τοὺς βασιλέως φέρειν εἴωθε, κἀπὶ τοῖς μετὰ χρόνοις ὁ βασιλεύς. τοῦ δὲ πλαγίου κέρως τοῦ κατὰ τὸ δόρυ συμπλεκομένου,ὀθόνη τις ἐκ πορφύρας ἀπῃώρητο, βασιλικὸν ὕφασμα,ποικιλίᾳ σπουδῆς ὑπερμέτρου πολυτελῶν λίθων φωτὸς αὐταῖς ἀκτῖσι καταπρέποντων καταυγόμενον. σὺν πολλῷ τε καθυφασμένῳ χρυσῷ, ἀδιήγητόν τι χρῆμα τοῖς ὁρῶσιν παρεῖχον τοῦ κάλλους. ἔστω μὲν οὖν δὴ φέρειν τοῦ κέρως ἐγκεκομμένον,σύμμετρον μήκους τε καὶ πλάτους πολυγράφῳ ἀπελάμβανε. Erat autem huiuſmodi ſpecie configuratum. Haſtile ín ſublíme erectum, auroq; ueſtítum, antemnam ſiue ce-ruchos habebat tranſuerſos inſtar crucís. In ſummo faſtígío corona ex lapídibus pretío-ſis & auro conſerta collocabatur,ín qua erat ſalutarís uocabulí ínſigne,nímirũ duo uer ſiculí Chriſti nomen præſeferentes,ita ut lítera, P, decuſſatím ín medío poneretur

	X	I	Σ
Quas quídem líteras ín cono galeæ		P	
	T	O	Σ

ſequentíbus deínde te mporíbus geſtare ſolebat Imperator. ab antemna autem ílla ſiue ceruchís haſtílí ín tranſuerſum ínſertís,uelum pendebat, opus regium, uarietate gem-marum multa luce fulgurantium obtectum,auroq; íntertexto, ineffabílem magnífícen tíam pulchrítudínemq; ſpectantíbus de ſe præbens. Cæterum hoc uelum íta ceruchís dependulum, íuxta latitudínís & longitudínís modum bona & congrua proportío-ne ſíbí ípſí reſpondebat.

6 Non audíſtí Imperator quía quum fuſſiſſet Iulianus reparari templum Hieroſoly-mís

mis quod diuino qui faciebant repagulum igne flagrauerunt.] Alij pro repagulum habent repurgium, quod rectius uidetur, & pro flagrauerunt legendum opinor flagrauerint, eo sensu, Non audisti Imperator eos qui purgabant areã à parietinis & caducã materiam eruderabant, ut ibi nouum templum iussu Iuliani consurgeret, cœlesti igne combustos esse. Nam in Theodoreti libro 3. Ecclesiasticæ historiæ legitur ignem ex fundamentis erupisse & concremasse operarios.

7 Quid igitur dignius, ut Callinici castri in parte.] Castrum hic pro castello posuit, est autem castellum oppidulum paruum, sed munitum.

8 Incensa est Basilica.] Basilica Vitruuio est, ubi ius dicitur, hic autem pro templo usurpatum est. 9 Licet gentiles duodecim Deos appellent, isti triginta duos æonas colant.] Valentinus unde eius gregales Valentiniani nominati sunt, Platonicę sectæ perstudiosus fuit, is (ut in Decretis refertur) æonas in origine dei induxit. Plura de eo Irenæus. Deos autem istos duodecim Consentes appellat quod Iouis consiliȷs interfint: quorũ hæc nomina sunt, in uersu Enniano, Iuno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo. Horum singuli singulis mensibus secundum gentiles errores præsidebant.

10 Quanquam uindictam cœlestem non euaserit suo superstes hæredi.] Hæres hic non qui in ius defuncti successit, sed successurus esse sperabatur: ut intelligas filium ante patrem mortem obȷisse.

11 Scriptumq; eo quod referre non debuerit sed uindicare.] Non consulere principem quid facto opus esset, sed statim factum punire.

12 Si Iulianus non est ultus Ecclesiam, quia præuaricator fuit.] Semper præuaricatorem eum uocat, quem nunc Apostatam appellamus.

13 Ego comitem eius atq; exercitum ex altera parte naturę, quos ante disperserã.] Intelligo classem Nauarchæ quem Maximus bello maritimo prȩfecerat, tempestate dissectam fuisse. Sunt enim qui duas naturæ partes appellent: terram & aquam, aerem & ignem non esse elementa, sed elemẽtata: nata nimirum aliunde, non autem primordia aut semina prima rerum naturæ. 14 Rex iste Iudæus est, defensorem istum disciplinæ audimus, quem mox Christus probauit.] Vitȷ nihil est in uerbis, sed in distinctione, ut sic legas. Rex iste Iudæus est: deinde colon defensorem istum disciplinæ, audimus, ubi comma ponendum est, deinde alterum cõma quod sententiam absoluat quẽ mox Christus probauit, ut populus agnoscat Theodosium esse defensorẽ disciplinę quã Christus uictorijs probauit.

In quinti lib. Epistolam 13. ad Valentinianum de non constituenda ara in Curia.

1 Quando ille tanto motu ueri uana defendit.] Hoc est tãto tumultu inania ueri propugnat. Vana ergo idem quod uacua, alioqui uanum quod raritate sui nihil solidum habet, & aeris naturam accedit, uentosumq; esse apparet. 2 Fidei tuæ, &c.] Præsulem, præsidem, tutorẽ, in cuius numine ac potestate est uindicare perfidiam, qualem ueteres Iouem Orcium uolebant. 3 Conuenio fidem tuam Christi sacerdos.] Id est, appello, contestor fidem tuam.

EX ORATIONE SYMMACHI.

1 Cui ideo diui Principis denegata est ab improbis audientia, quia non erat defutura iustitia.] Verba quæ iam sequũtur, puto ex margine ubi pro interpretatione asscripta erant, in contextum irrepsisse. 2 Domini Imperatores Valẽtiniane, Theodosi & Arcadi inclyti uictores, &c.] Primũ quia in ætatem adulescentulorum Arcadij & Valentiniani non congruunt hi tituli: deinde stilus Symmachi rotundus & astrictus tantum inanitatis uerborum & firmatum non trahit: tertio quia Ambrosius ad eosdem de eadem re scribens non nisi unum Valentinianum alloquitur, Beatissimo Principi & Clementissimo Imperatori Valentiniano Imperatori Augusto. 3 Illa ara concordiã, &c.] Solet Senatus ei numini sacrificare cui curia consecrata erat, ex institutione Augusti, ut in eius uita docet Suetonius, cuius hæc uerba sunt. Sanxit ut priusquã cõsideret quisquã, thure ac mero supplicaret apud arã eius Dei, in cuius tẽplo coiretur: nũc aũt loquitur de templo Cõcordiæ. Fidẽ aũt hic uocat εὐσεβείαν, id est, religionem sanctitatẽq; in cẽsendo decernẽdoq;. Et de reprehẽsio antecedẽtis exẽpli nascit emẽdatio, sunt

qui

qui putent legendum per antitheſim. Et de reprehenſione antecedentis, ſequentis naſci tur emendatio, ego ſic legendum exiſtimo. Et de reprehenſione antecedentis, exemplũ naſcitur emendationis, ſed ſit ſuum cuiq; iudicium liberum.

4 Nunc preces nũc certamina offerimus.] Sine ulla hęſitatione lego, nos preces, nõ certamina offerimus, uult enim precibus obtinere, non contentione diſputandi.

5 Vllum'ne lucrum compenſat inuidia.] Melius opinor ſi legas ullum'ne lucrum cõ penſat inuidiam? hoc eſt, an ullum lucrum tanti eſſe poſſit, quanti inuidia? ut in æquilibrio pendeant pariq; inter ſe pondere ſint? Idem nos mundus illuminat, in Prudentio le gitur, idem nos mundus inuoluit. 6 Quod nomen accipiet ablatio, quas nul la lex, nullus caſus caducas fecit.] Caduca hoc in loco ſunt, quæ ex mortuorum bonis ad fiſcum recidunt. Olim uiceſima omnium hæreditatum fiſco debebatur, id temperatũ eſt, ut extranei hæredes eam partem fiſco deciderent, cæteri liberi eſſent. Sed qui per La tium in ciuitatem ueniſſent, etiam ſi ſui hæredes eſſent, pro extraneis reputabantur, niſi ſimul cum ciuitate ius cognatiõis impetraſſent. Id rurſus temperauit Nerua, ut inter hos Latinos ciuitate donatos in matris bonis filij, aut mater in filiorum bonis uigeſimam ne darẽt. Idem factum in bonis paternis, ſiquidem filius in patris poteſtatem redactus fuit. Traianus hoc auxit, ut pater quoq; in bonis filij immunis eſſet, & exceptionẽ de patria poteſtate ſummouit, eandemq; indulgentiam in remittenda uiceſima ſecundo graduí impartiuit, ut ſoror in fratris aut uiciſſim frater in ſororis, auus auiaq; in bonis nepotis neptis'ue, idq; inuicem ſeruarentur immunes. Poſtremo certam ſummam in omni gentilitate præſcripſit, ex qua uiceſima deberet, hæreditates minores liberas dimiſit: ſed ex Iuſtiniano colligimus hæredes, qui defuncti necem non ulciſcerentur, hæreditario iure ſpoliari, ex Senatuſconſulto Syllaniano, lege quoq; Papia legata ad fiſcum reuolui, ſi legatarius antequam tabulæ aperirent diſcederet. Quin & deficiente conditione ſub qua legatum fuit, id quod relictum erat ad fiſcum pertinebat. Iam ergo Symmachus quærit, ſi bona ueſtalium à morte fiſco uẽdicabuntur, qua lege id futurum ſit, aut quo caſu, quũ ſolæ ueſtales inter mulieres ſine tutore ius teſtandi habeant, nec caſus aliqui interuenerint, quæ earum patrimonia ad fiſcum redigerent, quale ſi peregrinum inſtituerent, ſi ſub conditione quę poſtea non extet, ſi hæres earum necem non uindicet, quum nihil tale interueniat, quo iure aut lege bona eorum fiſco committũtur, atq; ita ſubinnuit præ datione potius eſſe & uim iniuſtam, quam quiduis aliud.

IN ORATIONEM CONTRA SYMMACHVM.

1 Quum uir clariſſimus.] Quid differant illuſtres, ſpectabiles, ſpecioſi, clariſſimi operoſiſſime docetur ab Alciato, libro Diſpũctionum tertio. Maxime autem hic titulus conuenit uiris ſenatorij ordinis, prefecto urbis, præfecto prætorij aliiſq; nonnullis magiſtratibus. Eſt ergo hic dignitatis uocabulum potius, quam famę celebrationis indiciũ.

2 Popoſci tamen exemplum mihi relationis.] Id eſt, libellũ in quo quid Symmachus peteret, & ad Principem retuliſſet, continebatur. Aliud eſt quinta relatio, quũ poſt quatuor ſententias binas condemnatorias, binas abſolutorias, quinto eadem lis ad eum iudicem refertur, à quo poſtea ulterius appellatio non cadit.

3 Sed aurum hoc ſi diligentius tractes, foris pretium, intus metallum eſt.] Preciũ id quod rei æſtimationem habet, & tantum in nummis, quanti res eſt, continet. Hic tamẽ pretium, ipſum aurũ propemodum ſignificat. Sic idem paulo poſt, Omitto abſconditã pretio humum, id eſt paſtorales caſas auro degeneri renitẽtes. Sic & Ouidius, In precio precium nũc eſt, dat cenſus honores. Metallum autem pro ære poſuit, genere ad ſpeciẽ contracto: alioqui pretium eſt quod pro re debetur, penſationemq; facit, ut merces quę redditur operæ, & premium quod uirtuti. 4 Nam de Senonibus quid loquar? Quos Capitolij ſecreta penetrantes Romanę reliquiæ non tuliſſent.] Id eſt, ſuffere ualuiſſent, nimirum impotentes ad hoſtes depellendos. Virgilius.

Inſtat ui patria Pyrrhus, nec clauſtra, nec ipſi Cuſtodes ſufferre ualent.

Senones autem Celtarum gens, quæ duce Brenno Romam cepit, Capitoliumq; obſedit, quos noctu furtim aſcendentes Mãlius ſtrepitu anſerum excitatus de rupe Tarpeia deiecit. 5 Quid me caſſo quotidie gregis innoxij ſanguine cruentas?] Apud antiquos cruentare idem erat quod uulnerare, Ennius apud Ciceronem in primo

de

de Diuinationibus, quem se intorquentem lanians rostroq; cruentans. hic autem cruentans idem quod cruore implens. 6 Quid dicam bimestres Imperatores?] Galbam, Othonem, Vitellium intelligit, quorum Galba septimo imperij mẽse occisus est, Otho nonagesimo quinto die. Vitellius octauo mense, tres certe annos trini Principes in imperio non expleuerunt, quod eleganti carmine cõprehensum est ab Ausonio.

Galba senex, Otho lasciue, famose Vitelli
Tertia uos Latio regnantes nescijt æstas.

Nisi hoc potius referri uelimus ad Aelium Pertinacem, qui duobus mensibus & diebus 25. & ad Didium qui duobus mensibus & quinq; diebus in Imperio fuere, quod certius conuenit cum spatio Ambrosiano. 7 Nunquid etiam illi Christiani fuerũt, quorũ miserabili nouoq; exemplo alter captiuus Imperator, sub altero captiuus orbis.] Id haud dubie de Licino Valeriano, & filio eius Galliano intelligendum: quorum pater captus à rege Persarum Sapore, cui ascensuro ceruicem pro scabello subijciebat, in miserabili seruitute consenuit: Alter orbem terrarum luxu & nequitia perdidit, adeo ut triginta tyranni prouincias occupauerint, & fœminæ quoq; contra eum diadema sumpserint. 8 Dum cœpimus, etiam sequimur.] Alij libri sic, Dudum cœpimus, et iam sequamur exclusos. Neutra lectio integra uidetur. Quid si sic legas? Dudum ipsi cœpere, & iam sequantur excluſi: hoc nimirum sensu, ipsi primi exemplum dedere, non admittere aras Christiani numinis, nunc ipsi uicissim excluſi suum exemplum sequant, ut non sperent suis dijs à Christianis altaria datum iri. 9 Vix septem Vestales capiuntur.] Capi propriè dicũtur uirgines quum ad uestale sacerdotium eliguntur: hac enim formula in eligendo Põtifex uti solet, Capio te amata: capere etiã Virgilius simpliciter pro eligere posuit, Aeneidos 1. Nunc terras ordine longo
Aut capere aut captas iam despectare uidentur.

10 En totus numerus quẽ infulæ uittati capitis.] Infula redimiri solent & sacerdotes & uictimæ. Sic enim de immolanda Iphigenia, inquit Lucretius lib. 1.

Cui simul infula uirgineos circundata comptus
Ex utraq; parí malarum parte profusa est.

Est autem infula fascia in modum diadematis, aliquando lata, aliquãdo tortilis, albo & cocco. Vittæ ab utraq; parte dependent. Virg. in 11. Aeneid. Vittasq; deum quas hostia gessi. Est autem id quoq; insigne sacerdotũ, ut diadema Regum. Idem Aen. 10.

Nec procul Aemonides Phœbi, triuiæq; sacerdos
Infula cui sacra redimebat tempora uitta.

Cic. contra Rullum, his insignibus atq; imperij infulis uenditis: atq; ita metaphoricõs infula pro insigni summarum dignitatum capitur, Codice Iustiniani lib. 12. de Cõsulibus antiquitus statutum est, consularibus uiris cæteros quidem honoratos ipsius Trabeæ summitate, pares uero infulis, consideratione tantum temporis anteire. 11 Nõ uit tę capiti decus, sed ignobile uelamen usui nobile castitatis.] Vel (ut alij) castitati, lego autem usũ nobile castitati: nimirum quod eximium sit ad usum pudicitię, dum ora prætegit, & à lubricis conspectibus defendit. 12 Si priuilegiũ quærat sacerdos, &c.] Quęnã ista lex fuerit nõ facilis diuinatio, nisi sit ea quę sub nomine Valentiniani quũ sit Valẽtis, lib. 10. Cod. Iustiniani ascripta est de decurionibus, cuius hæc uerba sunt: Quidã ignauiæ sectatores, desertis ciuitatũ muneribus captãt solitudines, & secreta, & sub specie religionis cũ cœtibus μοναχόνλων cõgregant, hos igit atq; huiusmodi deprehẽsos, eruí latebris cõsulta præceptiõe mãdamus, atq; ad municipia patriarũ subeũda reuocari, et pro tenore nostrę sanctitatis familiariũ rerũ carere illecebris, quas per eas cẽsuimus uẽdicãdas, qui publicarũ essent subituri munera functionũ. Id aũt legẽ Attica περὶ ἀνιδόσεως uidet referre, qua cautũ erat, ut si quis facultates suas impares esse diceret, ad ferẽda publica onera, eas illis cederẽt, qui ea onera in se transferre uellent: meminit huius legis Demosthenes in oratiõe sua aduersus Leptinẽ. Est & altera ibidẽ lex, quæ ppius adhuc ad uerba Ambrosii accedere uidet, curiales (inquiẽs) oẽs iubemus interminatiõe monerí, ne ciuitates fugiãt, aut deserãt, rus habitãdi causa, fundũ quẽ ciuitati prætulerint, sciẽtes fisco esse sociãdum, eoq; iure esse carituros, cuius causa impios se patriã uitãdo demõstrauerũt. Onus aũt curiale, pręter cętera maxime in eo situ est, teste Alciato, qđ ditiores

senato-

ſenatores curiæ municipalis, qui & decuriones appellantur, onera publica tenuiorum in ſe recipere cogantur ſed tamen ex uerbis Ambroſianis duriores fuiſſe conditiones ſacerdotum, quàm decurionum fuiſſe intelligimus: quum poſtea dicat, uos excuſare uultis decurionem, quum eccleſię excuſare non liceat ſacerdotem. & paulò ſuperius, At cõtra nobis eius priuatę ſucceſſionis emolumenta negantur. Iam quod ſequitur.

13 Nulla legata uel grauium uiduarum.] Id eſt, magnarum quo genere locutionis ſępe utitur & Cæſar in Commẽtarijs: Grauitatem oppidi dixit pro firmitudine & magnitudine. 14 En quod factum, quod triſte piare nefas.] Et hoc quoq; uel mutilum uel deprauatum: quid ſi legas: En quod factum quàm triſte, quàm expiare nefas. Videtur alluſum nonnihil ad uerba Iuuenalis, Et triſte & morte piandum.

15 Propterea Chaoniam frugem glande mutantes, rurſum in pecudum paſtus, & ad infelicis uictus alimenta reuocati, concuſſa quercu famem in ſyluis miſeram ſolabant.] Multiplex alluſio ad dicta Virgiliana.

Chaoniam pingui glandem mutauit ariſta
Victum infœlicem, baccas lapidoſaq; corna. &,
Victum Dodôna negaret
Concuſſaq; famem in ſyluis ſolabere quercu.

16 Reuera quãdo ante uacuis auenis ſeges fallax auari uota luſit agricolæ.] Et hoc quoq; concinnatum ex uerbis Virgilij.

Infœlix lolium & ſteriles dominantur auenæ
Illa ſeges demum uotis reſpondet auari
Agricolæ, bis quæ ſolem bis frigora paſſa.

hic tamen Ambroſius, Auenis, poſuiſſe uidetur pro ſpicis, ut à Virgilio pro omni genere culmi.

Sylueſtrem tenui Muſam meditaris auena.

17 Et unde Græcis oracula habita ſuæ quercus.] Et hoc more Virgiliano:

Aeſculus atq; habitæ Graijs oracula quercus.

18 Propterea nec aſſueto curſu Nilus intumuit.] Plinius minor in Panegyrico Traiani, Aegyptus alendis augẽdiſq; ſeminibus ita gloriata eſt, ut nihil imbribus cœloq; deberet, ſiquidem proprio ſemper amne perfuſa, nec alio genere aquarum ſolita pinguescere, quàm quas ipſe deuexerat, tantis ſegetibus induebatur, ut cum feraciſſimis terris, quaſi numquam ceſſura certaret: hæc inopina ſiccitate uſq; ad iniuriam ſterilitatis exaruit, quia piger Nilus cunctanter alueo ſeſe ac languide extulerat: Plin. maior lib. 18. capite 18. Nilus ibi coloni uice fungens euagari incipit, ut diximus, à ſolſtitio, aut noua luna, ac primo lente, deinde uehementius quamdiu in leone eſt ſol, mox pigreſcit in uirginem tranſgreſſo, atq; in libra reſidet. Si duodecim cubitos nõ exceſſerit, fames certa eſt, nihil minus ſi 16. exuperauerit. fons ille in paradiſo qui aſcendebat & irrigabat omnem ſuperficiem terræ naturam iſtius fluminis uidetur referre.

19 Sed operum læta fœlicium, dum meſſes & ipſa miratur.] Et hoc quoq; imbutum eſt ex imitatione Virgiliana.

Et ipſa ſuas mirantur Gargara meſſes.

20 Quis ergo tam nouus humanis uſibus.] Id eſt, quis tam imperitus & recens in caſibus humanis. 21 Mundus ipſe qui uel primum coactis elementorũ per inane ſeminibus tenero orbe concreuerat.] Id quoq; ex Virgilio promptum ex aſſe referri acceptum debet.

Namq; canebat uti magnum per inane coacta
Semina terrarum animæq;, maris q; fuiſſent
Et liquidi ſimul ignis, ut his exordia primis
Omnia, & ipſe tener mundi concreuerit orbis.

22 Exutæ humentibus tenebris nouum terræ ſtupuere ſolem.] Et hoc quoq; alluſionibus conſtat,

Iamq; nouum terræ ſtupeant lucеſcere ſolem.

23 Poſt ubi imperare aruis ſollicitus cœpit agricola, & informe ſolũ ueſtire uinetis, ſyluеſtres animos domeſticis mollitæ cultibus exuerunt.] Virgilius.

Fructuſq;

Fructusq; feros mollite colendo Tu hoc quoq; si quis
Inserat, aut scrobibus mandet mutata subactis,
Exuerint syluestrem animum.

24 Vnde igitur exemplum quod currus suos simulato Almonis in flumine lauat Cybele.] Almon fluuius est Romæ in prima regione, apud quem Romani olim sacra Cybelis faciebant, eodem ritu quo Galli sacerdotes in Phrygia. Iuuenalis. Et lotum paruo reuocant Almone Cybelen. Ouid. Fast. 4

Est locus in Tyberim quo lubricus influit Almo
Et nomen magno perdit in amne minor
Illic purpurea canus cum uestè sacerdos
Almonis dominam sacraq; lauit aquis.

Ad cuius similitudinem quum alibi sacra fiunt proximum fluuium Almonem esse fingunt, si quidem mos est ut quæ in sacris haberi nequeant, simulentur, quod perinde accipitur ac si uera essent. Virgilius in 3. Aeneidos.

Sparserat & latices simulatos fontis Auerni.

25 Quam cœlestem Aphri, Mitram Persæ, plericq; Venerem colũt.] Sumptum est ex illo Herodoti ἐπιμεμαθήκασι δὲ καὶ τῇ Ἀφρηνίῃ θύειν, παρὰ μὲν Ἀσσυρίων μαθόντες καὶ Ἀραβίων, καλέουσι δὲ Ἀσσύριοι τὴν Ἀφροδίτην Μύλιττα, Ἀράβιοι δὲ Ἀλίττα, Πέρσαι δὲ Μίτρην.

26 Sed fortasse aliquem moueat ita fidelissimum principem destitutũ.] Gratianus is fuit, qui defectione suorum militum Maximo tyranno proditus fuit.

27 Canopei manu Spadonis occubuit.] Achillus Eunuchus Ptolomæi exceptum in nauem Pompeium Magnum nefarie occidit, meminit Lucanus libro 8. Suetonius in uita Cæsaris. Habebant quidam libri Conopei, quidam Canopei, primum à Canopo ciuitate Aegypti, alterum dictum est à Conopeo reticulo quibus muscæ capiuntur, quod Aegyptij inter signa militaria in bello circunferebant. Horatius in Epodis.

Interq; signa (turpe) militaria
Sol aspicit Conopeum.

28 Et ille rex quis superatos etiam consessus honore donauerat, exsecto capite, & intra utrem plenũ cruoris satiari iussus, incluso, fœmineis imperijs ludibrio fuit.] Cyri regis Persarũ exitũ miserabilẽ describit, qui uictũ à se Crœsum in summo honore habuit: post modũ illato Massagetis bello, à Tomyri illius populi regina superatus est, caputq; ei auulsum & in utrem humano sanguine plenum cõiectum est, cum ea insultatione ut se tandem exsatiaret. 29 Nam quum de superioribus principibus texuisset, quia prior eorum numerus ceremonias patrum coluit, recentior non deleuit.] Voxilla Numerus delenda est.

In quinti lib. Epistolam decimamquintam, ad Valentinianum ubi recusat cum Auxentio in Consistorio certare.

1 Et sapientia melioratæ reipub. profectibus prædicatur.] Meliorare & melioratio uerba sordida uidentur, à quibus tamen non abstinent ueteres Iurisconsulti, ut in Pãdectis deprehendi licet. 2 Quicunq; obuiauerit imperatori, gladio feriatur.] Id est, quicunq; non cesserit, sed contumax fuerit, aut in diuersum tetenderit.

3 Quis est qui possit uel unus uel inter paucos dicere Imperatori.] Hoc est, quis est qui uel solus uel cum paucis dicat Imperatori. 4 Ego igitur aut preuaricationi offeram homines aut pœnæ?] Id est, ego eligendo iudices, id committam, ut uel metu à religione deficiant, dum hæreticum Episcopum eligunt, uel ad pœnam rapiantur, si secundum religionem eligant. 5 Ego in consistorio nisi pro te stare non didici.] Tacitè illi obijcit, quod pro eò ad Maximum legatus bis coactus sit contra decus episcopale in consistorio stare: semel eo destinatus pro pace, semel ut Gratiani fratris reliquias reportaret. Est autem consistoriũ tribunal Imperatoris ubi ius dicit.

In orationem de Basilicis non tradendis.

1 Sed in consistorio non reus solet esse Christus sed Iudex.] Locus supra modũ mihi suspectus, nescio an debeat legi, sed in consistorio reus esse solet Christus non Iudex, hoc sensu, ubi in consistorio agitur, ibi Christum non Iudicem esse solere sed reum: ut alusum sit ad iudicium Pilati. Non uult ergo Ambrosius in consistorium ire, ubi in causa

non iudicem Christum sit experturus,sed illum ipsum ibi reum inuenturus.

2 Explorabant hos atq; illos aditus.] Vergilianum est. 3 Nam ubi eũ Herodes quæsiuit,& cepit recepit in carcerem.] Dubium est,num idem recipere, idẽ sit,quod recondere aut retrudere.In actis est Græce,ἔθετο εἰς φυλακὴν.

4 Non regiam palatij prætexebam eundo atq; redeundo.] Id est,non pertransibam regiam Palatij in itu atq; reditu,ut intelligamus illum diuerticula non quæsiisse,aut obliquasse iter dum ad martyres tenderet,ne regiam præteriret.

5 Alios sacrilegio.] Sacrilegium hic appellat impiam religionem.

6 Gentiles quosdã quatuor aut quinq; ferme homines, eliget cognitores sibi.] Cognitor sæpe ipse iudex est, qui causam cognoscit, sæpe procurator litis, cui apud iudicẽ, præsenti à præsente litigatore causa committitur:sæpe etiam is est,qui alios de statu suo disceptantes agnoscere se dicit,& eorum natalia,patriamq; docet.Cic.in Verrem,Ciuẽ Romanum qui cognitores homines honestos daret,sublatum esse in crucem.

7 Nec ego hãc inuidiã perhorresco,habeo ærarios:ærarij mei,pauperes Christi sunt.] Aerarius fieri dicebatur,qui plebeius à censoribus in ceritũ tabulas referebatur, ac per hoc ex albo centuriæ suæ expunctus,amplius æra merere non poterat. Quod cum per Imperatorem fieret,ære diruti nominabantur.Liuius decadis tertiæ lib.9. Inter nomina eorum quos ærarios relinquebat, dedit collegæ nomen. Sed & ærarij aliquando milites dicebantur,contrario sensu,qui æra accipiebant,qui μισοφόροι dicebantur. Cicero ad Atticum: Milites non tam ærarij,quam ut appellãtur, ærati:atq; ita hic capitur.Nã pauperes qui de stipendio Ecclesiæ uiuebant,ærarios Christi appellauit.

8 Deportationem minitantur.] Deportatio sæuissimum exilium est,ubi nimirũ quis insulæ includitur. 9 Si baptismum Ioannis non soluerunt Iudæi, Auxẽtius soluit.] Syllepsis est.Soluere enim,duplici significatu positum est. Primo loco, soluere est quæstionem explicare, secundo loco perdere,quod Græci διαλύειν uocant.

In quinti lib.Epistolam decimãquintam,ad Marcellinã,Quid actũ sit de basilicis.

1 Nec huius sanguis in causa Ecclesiæ fieret.] Egregie emendauit Costerius,ne cuius sanguis in causa Ecclesiæ fieret, quanquam etiam sic mihi quiddam suppuratum latere uidetur,fortassis pro fieret, flueret: nam sanguinẽ fieri pro sanguinem effundi nusquam me memini legisse. 2 Dum modo seruarent.] Id est,modo integrã seruarent existimationem,quæ nexis statim perit. 3 Palatina omnia officia hoc est memoriales agentes in rebus apparitores diuersorum comitum.] De agẽtibus in rebus titulus est in codice Iustiniani lib.XII.Multa item mẽtio in codice Theodosii,præsertim sexto libro.Sunt qui generale nomẽ putent in eos relatum qui res principis agunt,ut aut procuratores sint principis,aut Commissarij per diuersas Prouincias ad legatos,auctoq; Imperio per dispersos, unde in libris posterioribus, ducenarij quidam,alij centenarij leguntur.Alienam sententiam nimirum Alciati cum alienis uerbis retuli.Ego ex uerbis Theodosii in rebus agentes esse eos diuino,qui ordinem ducunt, hoc est militares magistratus gesserunt, quales sunt Centuriones,& ducenarij,quod ex uerbis Iustiniani in locis supra citatis colligi posse uidetur. Verba Theodosii sunt libro XVI.titulo sexto,in Iudaica superstitione uiuentibus,attentandæ de cætero militiæ gradus obstruatur. Quicunq; igitur uel inter agentes in rebus, uel inter Palatinos militiæ sacramenta sortiti sunt,percurrendæ eius & legitimis stipendijs terminandæ remittemus facultatem,ignoscentes facto potius quàm fauentes.ubi duo genera militiæ insinuantur:quorum alij sunt Palatini,qui principi in palatio inseruiunt, alij qui in rebus agentes sint,ut arbitror,qui in prouincijs militares magistratus gerunt.tit.& lib.XV.idẽ libro LXXII.Iudæos & Samaritanos qui sibi agentium in rebus priuilegio blandiũtur, omni militia priuandos esse censemus:eodem lib. tit. IIII.l.XIX. Sublimitatem tuam inuestigare præcipimus,an aliqui hæreticorum, uel scrinijs, uel inter agentes in rebus, uel inter Palatinos cum legum nostrarum iniuria audeant militare. Vbi rursus officia in treis partes distinxit:in eos qui ærario præsunt,in Palatinos qui munia in palatio obeũt, & in agentes in rebus qui res castrenses administrant. 4 Honoratis multa minabantur grauissima.] Hoc est denunciabant pœnam grauissimam. Alciatus libro Prætermissorum primo sic ait.Honorati etiam hi qui palatinam dignitatem habent ad

miniſtratione abſtinent,& quod Auſonius ait,nomine participes,capitur in hoc ſignificatu etiam apud Ammianum Marcellũ.Mihi uidetur honoratos aliquando eos eſſe, quos Romæ ſenatores,in municipijs decuriones dicimus:Theodoſius certè lib.XVI. tit.IIII.l.XLIIII.Huiuſmodi autem conditionibus etiam honoratos reliquos obligamus,ſcilicet ut ſenator qui nullo munitus extrinſecus priuilegio dignitatis,inuentus in grege Donatiſtarũ centum libras ſoluat argẽti. Ambroſius de obitu Valentiniani,Iam promiſeram me profecturũ,reſpondens uel honoratis petentibus,uel præfecto, ut trãquillitati Italiæ conſuleretur, me ſicut ſuperfluo ingerere non poſſem, ita neceſſitatibus non defuturum. 5 Ius huiuſmodi meum non refragaturum.] Arbitror legendum quiduis huiuſmodi meum. 6 Sed pro altaribus gratius immolabor.] Dubium pro defenſione altarium,an ante altaria,fortaſſe per dilogiam utroque reſpexit. 7 Prodire de Arrianis nemo audebat,quia nec quiſquam de ciuibus erat,pauci de familia regia,nõnulli etiam Gotthi.] Locus mutilus eſt, nec ſupplementum uideo,fortaſſe ita legẽdum fuerit.Prodire de Arrianis nemo audebat, quia nec quiſquam de ciuibus Arianus erat,pauci de familia,&c. 8 Quibus ut olim plauſtra ſedes erant,ita nunc plauſtrum eſt Eccleſia.] Eo alluſum,Gotthi,Scythica gens creditur,qui quia in curribus degũt ἀμαξόβιοι & ἀμαξάβιται appellantur.Gotthorum ſedes tum Orientalium,hoc eſt Ooſtgoeten,uulgo Oſtrogoten, tum Occidentalium,hoc eſt Vueſtgoetẽ, uulgo Viſogothen, in mari Baltheo ad Suuediam demonſtrantur, arbitror illis nomẽ inditum à bonitate hoc eſt goet, ut altera gens ſe à malitia, hoc eſt quaet appellauerunt Quados,ut Frãci dicti ſunt urĳ ancken,hoc eſt iuuenes celibes,nondum mariti. 9 Quã omnes,&c.] Aut addendum, aut ſubintelligendũ ϑ' metu. 10 Clamauit aliqua populus.] Exiſtimo uocẽ Aliquandiu in Aliqua uitiatã eſſe.Eſt alioqui aliqua pro aliqua in re Virgil. Et ſi nõ aliqua nocuiſſes,mortuus eſſes.Sed huiuſmodi ſignificationẽ præſens locus nõ recipit,quũ ſubiungat,quam moderate,quam conſtanter, quàm fideliter poſcebat,quæ intentionem potius habent quàm diminutionẽ et ὑπεκθεσιμὸν qui eſt in ϑ aliqua,Alluſum ad caput lonę quartũ:ſed et Græcis & Latinis uermis antelucanus percuſſit hederam (ut Latini) uel ut Græci colocynthis,non uermis percutitur.puto Ambroſiũ pro his uerbis Græcis καὶ προσέταξε κύριος ὁ θεὸς σκόλικι legiſſe non προσέταξε,ſed προσεπάταξε,quanquam ſequẽtium ſenſus hoc uix permittat.ut ut eſt per uermem percuſſum intelligit mortem luſtinæ imperatricis.
11 Ego enim patiar quod epiſcopi:tu facies,quod ſpadonis.] Hoc eſt iugulabis me, alluſum ad Achillum Eunuchum Ptolomæi regis,qui Pompeium Magnum occidit.

IN DIVI AMBROSII SEXTVM EPISTOLARVM LIBRVM, IN primam Epiſtolam ad Sabinum Epiſcopum.

1 In hos ſe induiſſe cultus.] Virgiliana loquutio. Contemplator item quum ſe nux plurima ſyluis Induet in florem. 2 Aeuum exigat.] Vitam tranſmittat,& hoc quoq; Virgilianum.

Omnes ut tecum meritis pro talibus annos Exigat.

3 Ceſpite.] ὑπεκθεσικῶς pro paruo agello. 4 Et quum ipſi capita & ſupercilia ſua radant.] In ſacris Iſidis toto corpore erant deglabrati, in ſignum luctus quo dea illa ſuum Oſyrim deflet.hinc ne Chriſtiani hunc ritum imitarentur,uetitũ olim Imperatorum Chriſtianorum legibus,ne qua femina tondeatur.
5 Equidem doleo tantam eſſe in mendacio obſeruantiam.] Mendacium hic uocat idolum,uel cultum idoli, phraſi Eccleſiaſtica, quod alio nomine uanitatem appellant, tertio Regum,decimoſexto:Prouocantes deũ in uanitatibus ſuis.Pſal.quarto, Vt quid dilĳgitis uanitatem & quæritis mendacium? Hieremiæ octauo, Quare ad iracundiã me concitauerunt,in ſculptilibus ſuis & in uanitatibus? 6 Potuit quidem hoc ſermone exprimere,ſed exemplo exacerbare maluit,ut ſpecies ipſa plus incuteret horroris.] Species,ipſius rei conſpectus uiſioq;,ab antiquo uerbo ſpecere, quod uidere ſignificabat. 7 Piè poſſe fieri credidit parricidium.] Id eſt,filĳ Iſaac mactationem,omnis cedes in cognatos parricidium dicitur, aut in eos qui titulum patris patriæ emeruerunt. 8 Exuitur non ueſtis laneę,id eſt morticinæ.] Eo alluſum, quod ad corpus ſacerdotis ueſtiendum, nulla morticina admittebantur.

In lib. sexti, Epistolam secundam ad Chromatium.

1 Hoc igitur impossibile, eius plenitudinis est, quę minuere se & augere non potest.] Sana sententia, & cutis ipsa sana esse apparet, mihi tamen quomodocunq; suspecta. Fortasse pro augere, legendum est exaugere, id est, exhaurire, & diminuere, quem intellectum sequentia quoq; uidentur exigere, quum ait. 2 Hoc igitur impossibile eius, plenitudinis est, qua minuere se & augere non potest, nō infirmitatis quæ in eo quo se auget, imbecilla est.] Vbi pro augere, exaugere, & pro auget exauget lego. Eadem forma dicimus explere pro plenitudinem rerumq; copiam diminuere. Virg. Aen. 6.

Discedam, explebo numerum reddorq; tenebris. 2 Ideo Balaam ille Chaldæus accitur ad fidem, ut Chaldæorum superstitio conticesceret.] Allusio ad id quod à gentis uitio Mathematici & Genethliaci Chaldæi appellentur. 3 Si spem potiundi hauriant affectum deferat.] Alia lectio habet effectum differat, quod rectius puto, nam ostentare spem & non satiare amantem sed procrastinationibus eludere mira incendia libidinis excitat. 4 Sed & uisu faciles & dictu affabiles circūerrent.] Versus Maronis cū paruula immutatione, Nec uisu facilis nec dictu affabilis ulli. 5 Et ideo tentauit eum quasi diuinum non elegit quasi prophetā.] Diuinum, id est, hariolum, augurem.

In sexti lib. Epistolam tertiam ad Horontianum.

1 Videt coronas luminum, lunæ & stellarum globos cōsiderat.] Vel alludit ad coronam Ariadnes, uel in genere sidera hic illic quasi flores sparsa coronas appellat: nimirum unde coronæ stellantes fieri possent, materia pro ipso opere posita, per Metonymiam. 2 Calcem leuat.] Omnia munia pugilis describit, qui non armis sed pugnis & calcibus aduersarium oppugnat. 3 Terra ergo exercitium est hominis, cœlum corona.] Exercitium idem quod palestra, locus nimirum ubi pugiles sese exercēt. 4 Quam iucunda insitiua arborum, quam fructus uotiui.] Vtitur hic insitiua pro insitione. Horatius in Epodis, Vel quum decorū mitibus pomis caput, autumnus aruis extulit, ut gaudet insitiua decerpens pira. 5 Nullis assentantium pumicetur sermonibus.] Id est titilletur, fricetur adulatorum blandiloquentijs. 6 In quo ad similitudinem æterni dei νοῦς esset inuisibilis.] Miror cur D. Ambrosius Græcā uocem retinuerit, an quia Latini uarie hanc efferunt, quum eam nunc mentem nunc animum interpretantur, quod uel & disticho illo Catonis apparet,

Si deus est animus, nobis ut carmina dicunt Hic tibi præcipue sit pura mente colendus. Nec Virgilius hinc longe abludit. Dij ne hunc ardorem mentibus addūt Euryale? An cuiq; deus sua dira Cupido. An quod etymō Græcum illi magis placuerit, quòd νοῦς ἀπὸ τοῦ νοεῖν hoc est ab intelligendo sit dictus, quum Mens à meminisse, Animus quasi ἄνεμος appellatus sit, quorum arborum uim naturamq; νοῦς probe explet. An quia Anaxagoras omnia dixerit materia & νῷ cōseruari, ad dogma gratiosum alluserit, & uocabulum huic dogmati familiare retinuit. 7 ἀπλανεῖς πλανήτας.] Id est, minime errantes errones. 8 Tauri depresso sulcis per totum diem aratro gemunt.] Virgiliānū est, Depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro, Ingemere. 9 Glomerat gressus superbos.] Et hoc Virgilianum, Insultare solo & gressus glomerare superbos, ubi Seruius glomerare gressus, id est, ut cum disciplina incedat. 10 Tum equis singularibus.] Cum scilicet uno equo ad cursum utuntur, quales Græci uocāt celites: non binos trahunt, ut desultores: non iugis innectunt, ut in bigis & quadrigis fit.

In sexti lib. Epistolam quartam ad Horotianum.

1 Et abij & conduxi mihi quindecim argēteis & coro hordei & semicoro hordei & neuel uini.] Hieronymus hoc tertium caput Oseæ sic trāsfert, Et fodi eam mihi quindecim argenteis & coro hordei & dimidio coro hordei. Et septuaginta translationē in hunc modum adfert. Et conduxi eam mihi quindecim argenteis, & gomor hordei & nebel uini. Sic Ambrosiana interpretatio ab utroq; nōnihil uariat. Vbi in glossa ait, Gomor & corum eiusdem esse mensuræ, nimirum triginta modiorum, & nebel esse dimidium cori. 2 Quid igitur opus est ut explorem ortus signorum atq; obitum.] Ex Virgilianis uerbis hoc deformatum est. Daphni quid antiquos signorum suspicis ortus. Id alibi, nec frustra signorum obitus speculamur & ortus.

Vna

3 Vna mihi ſtella abundat pro omnibus.] Id eſt, una mihi ſtella abũde pro omnibus ſufficit. 4 Cuius ſtellæ obitus non cremiorum ſenſibilium, ſed ſpirantium defunctorum triumphales manipulos de tumulis reſuſcitauit.] Cremium à cremando dictum: uolunt nonnulli Grammatici Cremium id eſſe, quod dum in ſartagine cibus frigitur, circa margines combuſtum adhæret. allegantq; illum locum Pſalmi cẽteſimi primi, Et oſſa mea ſicut cremium aruerunt, ubi Septuaginta habent, καὶ τὰ ὀστά μου ὡσεὶ φρύγιον ἐξηράνθησαν, Heſychius autem φρύγιον ξύλον ξηρὸν hoc eſt torrem interpretatur. hic autem ſine omni dubitatione cremia buſta ſignificant, hoc eſt oſſa quæ ex uſtrina ſepulchrali reſidua ſuperſunt, quæ aliquando reliquias appellamus.

In ſexti lib. Epiſtolam quintam ad Sabinum.

1 Non erit longi ſubſellij iſta iudicatio & mora.] Ciceronis uerba ſunt. ſine omni cõmutatione, prouerbium eſt de graui cauſa, quæ non niſi à maximo conſeſſu iudicũ cognoſci debeat. 2 Ipſe igitur pro ſe loquatur, qui procedit ſine interprete.] Interpres hic eſt quem uulgo mediatorem dicimus, hoc eſt, conciliatorem, Cicero in Verrẽ, Aut qui ſequeſtres aut interpretes corrũpendi iudicij eſſe ſolẽt. idem in Epiſtolis, Quo ego interprete nouiſſime ad Lepidum uſus ſum. 3 Si uerba alicubi mouent non præiudicant fidei.] Senſus, ſi uerba aliud fortaſſe ſonent, quàm nos uolumus, non tamen præiudicium faciunt noſtræ ſententiæ de religione.

In ſexti lib. Epiſtolam ſextam, ad Sabinum.

1 Nunquam enim minus ſum ſolus, quàm quum ſolus eſſe uideor, nec minus ocioſus, quàm quum ocioſus.] Verba Ciceronis ſunt ex prooemio tertij Officiorũ. P. Scipionẽ Marce fili, eum qui primus Africanus appellatus eſt, dicere ſolitum ſcripſit Cato, qui fuit eius ferè æqualis, nunquam ſe minus otioſum eſſe, quàm quum otioſus, nec minus ſolum, quàm quum ſolus eſſet, magnifica uero uox & magno uiro, & ſapiẽte digna, quæ declarat illum & in otio de negotijs cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum, ut neq; ceſſaret unquam, & interdum colloquio alterius non egeret. ego ut obiter Ciceronis locum caſtigem, nõ lego interdum, ſed interea dum hoc eſt, dum interim ſecũ loquitur. 2 Interpellat, interpolat.] Iucunda, in uocum affinitate per Paronomaſiam alluſio, nouè autem dixit interpolat pro interturbat. Eſt alioqui Interpolare, rẽ ueterem poliendo in nouam ſpeciem refingere. 3 Et concepit redemptionem uniuerſorum.] Magnificè & per Metonymiã redemptionẽ pro redemptore poſuit.

In lib. ſexti Epiſtolam ſeptimam, ad Sabinum.

1 Lecto Hexaemero.] Titulus eſt multorum ueterum Theologorum, qui de operibus ſex dierum quibus mundus conditus eſt Commentaria ſcripſerunt. 2 Ex quibus colligitur paradiſum ipſum non terrenum uideri, non in ſolo aliquo, &c.] Principale hic idem eſt, quod Græci ἡγεμονικὸν, mens ſcilicet: id nimirum quod in anima humana præcipuum eſt, in quo phantaſiæ & impetus motuſq; animi naſcuntur, & unde ratio emergit. Hieronymus damnat eos qui paradiſum tantũmodo allegoricè exponunt, & recte. quanquam ueteres Theologi id plericq; faciant: neq; Ambroſius hic longe abſit, ab ea ratione interpretandi. 3 Conſtituit etiam, &c.] Alluſum eſt haud dubiè ad arborẽ ſcientiæ boni & mali. Heſiodus qui diligenter uidetur euoluiſſe libros Geneſeos, hanc Allegoriã ex iſto loco collegiſſe uidet. Arborem ſcientiæ boni & mali non eſſe eã unde artes uſui uitæ neceſſariæ rerũq; ſcientiæ perceptæ ſint, ſed eam, unde artes luxuriæ, delitiarum, fucorum, curioſarumq; rerum promanarunt. qualia in aulica uita reperiuntur, & maxime in cultu fœminarum, quæ prorſus etiam ad huius uitæ uſum non ſolum ſuperflua, ſed etiam peſtifera ſunt. At ſtulti eas pompas ita admirantur, ut qui eas poſſideant ſimiles dijs exiſtimẽt, & paulatim relicta nuditate, hoc eſt, ſimplicitate uitæ, ad maiores cultus procedũt, ut primũ frondibus, poſtea melotis ſe ueſtiant, tandẽ ad indumẽta ex textili auro progreſſura. Certe Adamũ ſciẽtia boni & mali etiã ante guſtatũ pomũ, non inexpertũ fuiſſe argumento eſt, quod tanquã ſapientiſſimus ille Salomõ diſputãs à cedro Libani, uſq; ad hyſopũ qui creſcit in pariete, omnibus animalibus pro natura ſua nomina impoſuerit, quod ſine ſumma rerũ ſcientia, boni maliq; cognitione fieri nõ potuit, Deinde plauſibilior eſt opinio, deũ noxia prohibuiſſe quã ea quæ ſecundũ naturã humanã ſunt: nihil aũt magis ſecundũ humanam naturã quã appetẽtiam ſciendi

boni & mali, in quo etiam imago illa, qua deo similes sumus, consistit, quur enim mentem, rationem, iudicium dedisset, si ocium earum rerum uoluisset? quæ certe omnia torpent, & ignauia sepeliuntur nisi addiscentia, disciplinisq; exerceantur. Fortasse etiam ist huc adijcere licuerit, arborem scientiæ boni & mali, allegorica ratione interpretari posse, curam industriamq; magicarum artium, qua magi & sagæ prorsus diuinitatem affectant, dum naturæ imperare uidentur, miracula edere, angelis ad imperium pro ad ministris suis uti. hæc ideo à me allata sunt, ut sentiant illi bardi & barbari suam stoliditatẽ, qui ex hoc loco imaginantur omnes artes scientiasq; esse inuenta diaboli, idq; etiã scriptis mundo tradiderunt, atq; interim se spiritum dei habere gloriantur. Ex eodem quoque loco orti sunt Adamitæ, genus hominum prorsus phanaticum, qui non simplicitatem sed stultitiam amplexandam & æmulandam putant. 4 Tortuosis angulatur anfractibus.] Allusum in hoc uerbo angulatur, ad etymon anguis, quod se circumagat & uoluminibus implicet, qui à Prudentio, Ciceroneq; meandri appellantur.

5 Bona est enim sapientia cum hæreditate, id est, cum fide, quoniam est hæreditas credentibus in dominum.] Hæreditas idem est quod Græcis κλῆρος, prædium, possessio, ea pars quæ cuiq; in diuidendo cessit. κοσμοπολίτης, id est, mundi ciuis ita nonnulli philosophi de sua patria responderũt, interrogati cuiates essent, unde & illud Poetæ natũ est, Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor.

In lib. sexti, Epistolam octauam ad Sisynnium.

1 Quia postulati contemplatio temporalis esse solet, uirtutis autem diuturnus est habitus, & iugis animarum inductio.] Arbitror legendum non postulati, sed postulãtis, ut temporaria sit petentis consideratio, sed uirtus animi qua ad bene agendum prouocamur, diuturna ei & firmi habitus nec recentis affectionis, quali quis ex aliena precatione afficitur: deinde illud & iugis animarum inductio φιλοσοφίαν significat, nimirum eam propensionẽ, qua parentes aduersus liberos suos uergunt, alluſum nonnihil, quod ex sequentibus magis patebit, ad illud Terentij, Pro peccato magno paulum supplicij satis est patri. 2 Si quid fortasse offensum sit quod habet usus.] Hoc est sicubi impingitur, & offensio aliqua nascitur, ut in uita fieri solet. 3 Maiore pietatis studio festinauit ouem subrogare sacrificio.] Subrogare, substituere, sufficere, subijcere ouem in locum filij ad uictimationem.

IN SEPTIMVM LIBRVM AMBROSII, IN EPISTOLAM XLIIII.

QVia ipse super Maria fundauit eam, & super flumina præp.] Hebræi uidentur sentire terram a quis innitj, ijsq; quasi pro fulcris ac fundamentis uti. Habent enim illi in quibusdam rebus peculiarem physiologiam, inter quæ etiam illud est, quod aquas supra cœlum constituunt & firmamẽtum aiunt diuidere inter aquas & aquas, sed theologi eam controuersiam interpretatione quasi conciliant, cum Græcorum philosophorum dogmatibus, eo quod aquas supra cœlum constitutas cœlum crystallinũ uelint esse. Basilius autem in libris Hexamerõn simpliciter & φυσικῶς hoc ipsum interpretatur. 2 Sunt ergo & fluuij dulces atq; perspicui, sunt & fontes niuei.] Fortassis legendum uiui iuxta illud Ioannis, Fiet in eo fons aquæ uiuæ saliẽs in uitam æternam. 3 Quæ uagum exulem.] quod Cain perpetrato homicidio solum uertit, id postea abijt in omnium gentium mores, adeo ut omnes homicidę, etiamsi per errorem, & casu hominem necassent, quasi ne farij patriam, quam sanguine humano contaminauerãt, ultro reliquerint. Exempla plurima apud Poetas & nonnulla apud Historicos. 4 Circũscribit pupillum.] Scriptura & cautionibus fallat, transfertur ad omne genus imposturæ, Cicero in Academicis, Alterũ est quod fallacibus & captiosis interrogationibus circumscripti & decepti, quidam quum eas dissoluere non possunt desciscunt à ueritate. 5 Grande innocentiæ præcipitium.] Innocens hic capitur pro simplici & ἀκακῶ, sic paulo post, Innocens dum credit facile, cito labitur. Sunt libri qui sic distinguunt, fouea alta est, os male uoli

leuoli grande, præcipitium innocentiæ. Sed rectiorem puto priorem distinctionem.
6 Subdola iniquitate defeneratũ.] Defeneratũ, ualde usuris obligatũ & depressum.
7 Propendũt bona.] Propendũt inclinanť, humi uergũt, onere suo, Plautus in Asinaria, Nec dependes, nec propendes, quin malus nequaquã sis. Cic. in Tusculanis, Tantũ propendere illam bonorum animi lancem, ut & terram & maria deprimat.
8 Grauis est enim ut pote talento plumbeo suffulta iniquitas.] Talentum hic simpliciter immensum pondus significat. Virg. Memoras quàm multa talanta
Gnati parce tuis. Apud Homerum etiam bilancem significat.
χρύσια πατὴρ ἐπίτανε τάλαντα. 9 Vadatur hunc sermonem scilicet Ioseph.] Vadatur hoc est, hunc sermonem certum eum esse docet, & qui subter fugere nequeat, à consuetudine eorum sumpta metaphora, qui reum uadãtur, hoc est, fideiussores accipiunt, de eo in iudicium ad certum diem sistendo. Cic. pro Quintio, Hic hominem in presentia non uadatur, ita sine uadimonio disceditur. 10 Geminatur autem seruitus, ubi seruitur uernaculis.] Olim habebant serui peculiosi, eos qui ipsis seruiebant, quos uicarios appellabant, qualis Sauria apud Plautum in Asinaria, istorũ conditio pessima, eo quod in eius manu sunt, qui nec ipse libertatẽ habet nec alijs dare potest. 11 Postremo faciem & ora mutatus.] Ex Virgiliano uersu desumptum hoc est, Vt faciem mutatus & ora Cupido Pro dulci Ascanio ueniat. ac statim ibidem. 12 Conciliato hærede nobiliorq; decoloratior.] Primo Dauidi successor iure natalium destinatus fuit Ammon, sed Thamaris sororis stupro decoloratus ante patris obitum occidi meruit. Hæreditas deinde ad Absolonẽ pertinebat, sed is tam impius in patrem, quàm ille in sororem. Ille enim sorori pudicitiã eripuit & probro oppletam cum summa ignominia statim eiecit: iste patri & regnum & uitam eripere molitus est. Nefarij ambo: alter incesto, alter parricidio. Tertius deinde ordine natalium successor destinatus Adonias, qui senis decrepiti extremum halitum non expectans, eo uiuo adhuc regium nomen occupauit, & post mortem eius coniugem Dauidis in uxorẽ affectauit. Salomon autem legitimo gradu nascendi ad regnum nullum accessum habebat, utpote minor Adonia, sed tamen hunc Dauid præterito maiore filio ad successionẽ accersiuit. Clarior igitur Dauid accersititio hærede, & cõparatitio, quàm legitimo, siue illum uoles Amonem siue Absolonem, siue Adoniam. 13 Commendo tibi Ecclesiam quæ ad Forũ Cornelij est.] Multæ ciuitates à foro nomen habent, ut Forũ Appij, Forum Fuluij, Forũ Flaminij, Forum Sempronij, Forum Clodij, Forum Liuij, Forũ Iulij, ab ijs qui eò colonias deduxerunt appellatę, Forum autem Cornelij siue Forum Cornelium in Italia non longe à Cliterna. 14 Nerui enim sunt, & quidã artus sapientiæ non temere credere.] Verba Ciceronis in Epistolis ad Quintũ fratrẽ.
15 Tu si quis est suspectæ infirmitatis & annunciantis affectus.] Habẽt alij codices nunciantis affectus, sed ne sic quidem mihi integrum uidetur. 16 Nam etiã medendi periti quum uident notas ægritudines, ut ipsi quidem appellãt.] Ego existimo legendum motas ægritudines, non notas. Intellígit autem morbos in ipsa sui cruditate & paroxysmo non esse pharmacis tentandos, quod sequẽtia indicãt quum inquit, Aut crudior ægritudo medicinam respuat.

Ad Sabinum Epistola quadragesimaquinta.

1 Nam exemplaris liber.] Exemplaris liber archetypus est, nimirum ad cuius exemplum cætera describuntur. 2 Vt non tam deflare aliquid uideamur quã abscondere.] Deflare pro ebuccinare. 3 Iam si, ut hortaris, aliquid & de ueteribus scriptis redoleat.] Puto legendum iam si ita hortaris ut aliquid & de ueteribus scriptis redoleat in Epistolis. 4 Quia absens erat corpore, sed patris spiritu, non solum quum scriberet, sed etiam quum iudicaretur.] Verba sunt Pauli ad Corynthios prima capite quinto. Congregatis uobis & spiritu meo. Hinc puto est, quod ubi sacerdos in missa, in salutãdo populo optat eis domini præsentiam, Dominus, inquiens, uobiscum, uicissim à populo respondetur, Et cum spiritu tuo. optans cum domini præsentia ut etiã spiritus sacerdotis ipsis præsto sit. Ea enim olim fuit sanctitas sacerdotum, ut istiusmodi optatio friuola non haberetur.

Ad Eusebium, Epistola quadragesima sexta.

1 Faustinus uterq; tibi redditus est, nobis utrumq; Ambrosium pignus resedit.] Facile colligitur ex sequentibus duos esse Ambrosios, & ipsum authorem huius libri, & alium de quo postea ait, salutant te Ambrosii. Nescio quid hic aut integritatē aut sententiam impedit. 2 Ipse habes quod primum in patre & quod iucundissimum in filio minore.] Et hic uerbum deest quod sententiam absoluat. Hic filius minor Parthenius appellatus est. Videtur autem Ambrosius ita scribere ad Eusebium quasi ad patrē seu potius ad auum, pater autem Ambrosii & ipse Ambrosius dictus est, de se ut maiore filio non meminit, in minore filio dicit esse quod amplexetur Eusebius. 3 Et perpetuati uocabuli iugis successio.] Id est, æterna propagatio sobolis sub eodem nomine (ut gentiles solent) nuncupatæ, quales sunt familiæ Lentulorum, Pisonum, Fabiorum. 4 Quia ipse tanquam bonus retrorsus rediens.] Alia exēplaria habent, quia ipse tanquam Bononiam rediēs. Quo alluserit Ambrosius incertum, an quod hic filius remenso itinere Bononiam ad patrem redierit, ut eius nuditati & egentiæ subueniret, non possum pro certo affirmare. Ista enim epistola omnium inquinatissima etiam post Costerij castigationem, qui tamen plurima loca persanauit. 5 Sed maledictus nemo.] Alluſit ad Elogia Noe qui Cham maledixit, in hac autem stirpe uult Ambrosius nullum esse Cham aut maledictum. 6 Comacinas rupes gestare secum & faciem tauro propior uultu uideatur exprimere.] Comacinas rupes fortasse intelligit alpes eas quæ Como imminent, quo Coloniam Pompeius Strabo deduxit pater Pōpeij Magni, sed hæc diuinatio est. faciem, regionis scilicet imaginem ut asperitatem loci natalis uultu & moribus præ se ferre uideatur.

Ad Iræneum Epistola XLVII. aliàs ad Sabinum.

1 Quod eū Apollinare uirus infecerit, qui nō potest audire, quod Dominus noster Iesus pro nobis seruitutem susceperit.] Cur Christus secūdum carnem ab Apostolo seruus sit inter plurimas causas & hæc quoq; referri potest, quod tanquam furcifer crucem suam tulerit, & quod seruili supplicio necatus sit. 2 In manus tuas commendo spiritum meum.] Ex Græcis uerbis etiam ita interpretari potest, in manus tuas depono spiritum meum, quasi à patre resumpturus in resurrectione. Sed enim commēdo etiam aliquando hunc significatum habet. 3 Ille dehonestatus est & depreciatus.] Depreciatus cuius precium decreuit. 4 Perdix qui clamauit ut congregaret quę nō peperit.] Desumptum ex 17. cap. Hieremiæ, Perdix fouit quæ non peperit.

Ad Ireneum Epistola XLVIII.

1 Quæ decipiendi uenatoris uias calleat.] Plinius lib. X. cap. XXXIII. Si ad nidum auceps cœperit accedere, procurrit ad pedes eius fœta, prægraue aut delūbē sese simulans, subitoq; in procursu, aut breui aliquo uolatu cadit fracta quasi aut ala aut pedibus, aut procurrit iterum, iam iam prehensurum effugiens spemq; frustrans donec in diuersum abducat à nidis. 2 Vt fœminas cum summo certamine mares irruāt.] Plinius ibidem, Illæ quidem & maritos fallunt, quoniam libidinis intemperantia frangunt earum oua, ne cubando detineantur, tunc inter se dimicant Mares desyderio fœminarum, uictum aiunt uenerem pati.

Ad Felicem Epistola LI.

1 Itaq; partem direxi amicis.] Noua & apud ueteres insolenti significatione, quæ tamen posterioribus temporibus increbuit direxi, dixit, pro misi. 2 Intorquenda est amentata illa non manipularis sententia.] Amentum uinculū est & genus habenæ quo tela alligata ipso rotatu fortius euibrantur. Est autem mens istorum uerborum, nō gregariam esse sententiam, simplicis quasi militis, sed eximiam, quasi ordinum ductoris intorquendā. 3 Vectigalis.] Quasi lucrosa, & quæ uectigal dependat, eo quod munusculis comitata ueniat.

Ad Romulum, Epistola LIII.

1 Vt alienis dispendijs famem suam ableuent.] Alij codices habent alleuent, quod quidem consuetius, sed illud alterum familiare Ambrosio est. 2 Vere terra est ferrea telorum segetibus inhorrens.] Allusionibus Virgilij hæc uerba constant.

Sed ferro ancipiti decernunt, atraq; late, Horrescit strictis seges ensibus, æraq; fulgent Sole lacessita.

Ad

Ad Titianum, Epistola LIII.

1 Vt si de negotio definiueris.] Pro transegeris & finem negotio imposueris, composita lite. 2 Ideoq; promptior est decisioni.] Rursus decisioni pro transactione siue compositione, quum hinc inde controuersiæ à causa detrahuntur, & id solum remanet quod apud utrunq; in cõfesso est. 3 Vel cum illo, quod tum gerebat officio deposuit.] Id est, postquam magister officiorum esse desiit, cum ea functione deposuit litis istius iudicãdæ curam. 4 Iste negotij sui meritum.] Videtur per istũ intelligi neptis maritum, qui iam æquitati causæ, non patrocinijs magnorum uirorũ innitebatur.

Ad Syricium, Epistola LIIII.

1 At quum de conseruitio nostro aliquos dirigis.] Collegas ex ordine Ecclesiastico conseruos, eorumq; cum alijs functionem conseruitium uocat, & fortasse ex eadem cõsuetudine humilitatis est, quod Pontifex se seruum seruorum dei appellat.

2 Plurimum minuit.] Nimirum letitiam, Nam hoc subauditur, nisi uelis, minuit pro minuitur per ἀμόγωσιν capere. 3 Dicebatur hoc prophetæ quum mitteretur in carcerem.] De Hieremia hoc intelligendum, consule huius Prophetæ caput trigesimum octauum.

Ad Fœgadium, Epistola LV.

1 In quibus consularem iurisdictionem egregie reputauit.] Id est, proconsulatum administrauit. 2 Nec mihi immutarem quod in usum uenerat.] Bis igitur scribit ad eosdem, ut & morem semel receptum tueretur, & Polybio gratificaretur, qui ad singulos deferret literas communes.

Ad Romulum, Epistola LVI.

1 Crebra iucunda alloquia cedantur.] Alij cudantur. ut hic duplex lectio est, ita quo que in illo Terentiano uersu, unde illud desumptum uidetur esse, Verum interea dũ sermones cedimus, ubi in alijs libris inuenitur Cudimus. 2 Conflatum est uituli caput.] Iudæi qui Aegyptijs ritibus quadringentorum annorum incolatu assueuerant, facile pertrahebantur ad superstitionem Apis siue Serapidis, quem in specie tauri Aegyptij colebant. uitulum uerò aliquãdo capi pro iuuenco siue tauro notũ est uel ex Virgiliano. Si ad uitulam spectes nihil est quod pecula laudes.

Est alioqui uitulus inter boues gradus ætatis qualis est puer inter homines, & quod iuuencus siue iuuenca inter hoc genus armenti, id uicissim iuuenes inter homines.

3 Denicq; & Patriarcha Iacob abscondit in aures cum simulachris gentium.] Sæpius me male habuit, cur inaures ab idololatriæ cultu diuersissimas, sepelierit Iacob unà cum idolis. Sed hunc scrupulum mihi eripuit Hebræus noster Andreas Balensis, qui respõdit inaures ibi uocari, quo sacerdotes in cultu numinis aures tegunt, quales fuere apud Romanos infulæ. 4 Sic Moses typum illum dissipauit Aegyptium.] Ex castigatione Costerij legendum est typhum, fastum scilicet & elationem. Id enim significat Græcum uocabulum hoc. 5 Ipse si quid melius habes nobis comparticipato.] Allusum ad illud Horatij.

Si quid nouisti rectius istis,
Candidus imparti, si non, his utere mecum.

Ad Seuerum, Epistola LVII.

1 In medio uersamur omnium molestiarum freto.] Suprà dixerat fœuis curarum æstibus, quod fere idem est, freta enim à feruore undarũ dicta sunt, quod in ijs angustijs maris undæ maiori æstu ferantur. 2 In quo tam graues iamdudum sustinemus gemitus.] Allusum ad illud Pauli ex secundo ad Corynthios, cap. 5. Nam qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati, uel ad illud ad Rom. 8. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, & parturit usq; adhuc: non solum illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum dei expectantes redemptionem corporis nostri.

Ad Studium, Epistola LVIII.

1 Sed si non potueris facere, nec tamen innocentes atterere squalore careres & absoluere, plus quasi sacerdos probabo.] Locus prorsus inquinatus nec remedium uideo. Sensum si coniectare licebit fortasse is fuerit. Quum superius docuisset, non esse abscindendum communione Ecclesiæ iudicem, qui pro legibus capitalem in aliquem sententiam protulerit, eumq; excusari posse, laudandum tamen si à capitalibus sententijs absti-

nuerit,

nuerit,alium adhuc gradum adiecit,sed eum quasi sacerdos,non quasi iudex commendat,si ne carcere quidem reos atterat,sed à carceribus liberet,postea nacti sumus librũ, qui sic habet,Nec tamen innocẽtes atterere, sed absoluere,quod nostrę coniecturę nõ nihil astipulatur. 2 Quod incruentam de administratione imperiali securim reuexerint.] Isti dicuntur Græcè ἀναιματί imperium administrare,quale Titi Vespasiani fuisse traditur,cuius uox est,se malle perire quam perdere. 3 Aduersum finem uenisse sui propositi.] Finem id est,scopum siue institutum sui propositi. 4 Nõ damnat quasi redemptio, corrigit quasi uita, quasi fons abluit.] Et in istis uerbis nihil sani,quid enim congruit redemptio cum dãnatione? Tertia certa ἀπόδοσις recta est lauandi enim ratio cum fontis natura bene conuenit, sed facillimum est uitium indicare, quod saltem eò proficiet,ut alios ad sanandum & diligẽtiores & acutiores reddat.quid si legas,Non damnat,quam sic redimit,sed uitam eius corrigit,& quasi fons abluit.Nolim mihi credi, satis est si modo ex mea coniectura quantumcunq; futili, sentiatur, ubi hulcus sit,quod chirurgi manum expectat, aut si sic legas,Non damnat quum sit redẽptio,corrigit quasi uita,&c. Vita enim etiã mores significat,sic Christus, qui uia,ueritas & uita,mores admonitionibus emendat.

De obitu Acholij,Epistola LIX.

1 Ætate supparem,non imparem spiritu.] Dulcissima agnominatio, est autem hic Suppar,idẽ quod aliquando inferior,& subsequens & quasi successor,& proximi deinde gradus, Cicero de Claris oratoribus: Huic ætati suppares Alcibiadis,Critias Theramenes. 2 Velut quodam melotidis.] Vestes ex pellibus:pro genere animalium,unde fiunt,nomina sua sortiuntur, Leõtis ex pellibus leonum, Diphtera ex caprarum, quam nonnulli rhenonem appellant,Melotis siue Melota ex ouium. μῆλον enim Græci ouem uocant. 3 Cuius meritum & gratiam non nunc primum audio, nec in uestris epistolis didici,sed in uestris literis recognoui.] Legendum haud dubie licet exemplaria refragentur,sed in ipsius literis recognoui.Sequitur enim, (ut omittam uitium battologismi.)Nam quasi præscius successurum sibi,& si promisisti tegebat, tamẽ indicijs declarabat. 4 Sed repręsentat dominus & seipsum in discipulo repręsentat.] Mallem,& ipsum in discipulo repræsentat,ut Acholium repręsentatum intelligamus in Anysio,non Christum in Anysio:quanquam & illa sententia non mala, sed hic agitur de Anysio nunc successore Acholij,olim autem discipulo. 5 Non aliter etiam eius discipulus imitatione, qui & ipse dixit patri suo & matri suæ, non uidi te.] Quid hoc sit in sequenti Epistola D.Ambrosii reperies sub his uerbis,Positus in monasterijs in quibus quum quæreretur à parentibus uel proximis dicebat, qui sunt fratres mei aut quæ mater mea,non noui patrem uel matrem,&c.

Ad Anysium,Epistola LX.

1 Medias inter sortes.] Idem est quod alibi dicit scriptura funiculos hæreditatis. Iudæa inter tribus sorte diuisa fuit,cuiusq; ergo tribus partes Sortes uocant.

2 Aerem peruium sanctis.] Peruium peragratum,per quem Angeli decurrebant.

DIVI AMBROSII EPISTOLARVM, LIBER VIII.

Ad Irenæum,Epistola LXII.

1 Quod abscondit mulier in farinæ mensuris tribus.] Lucæ 13. Satum Syriaca uox Hieronymo sesquimodium continet. 2 Quæ est hæc quæ ascendit à deserto sicut uitis propago fumo incẽsa odorificata myrrha & thure ab omnibus pulueribus unguentis?] Græca sic habent τίς αὕτη ἀναβαίνουσα ἐκ τῆς ἐρήμου ὡς στελέχη πθυμιαμένη σμύρναν καὶ λίβανον ἀπὸ πάντων κονιορτῶν μυρεψῶν, hoc est,quæ est ista quæ ascendit è deserto, sicuti surculus suffitu redolens myrrham & thus ex omnibus pulueribus unguentarij? Sed nihil melius interpretatiõe Ambrosiana.Latina Biblia paulo aliter habent, Quæ est ista quę ascendit per desertum,sicut uirgula fumi myrrhæ & thuris & uniuersi pulueris pigmentarij? Hic autem obseruari licet,unguentarium & pigmentarium eundem esse, quẽnũc aromatarium appellant. 3 Vmbilicus tuus crater tornatilis non deficiẽs musto, uenter tuus aceruus tritici minuti inter lilia.] Ex Septuaginta interpretatione liquet omnino legendum esse,umbilicus tuus crater tornatilis non deficiens mixto,uenter tuus,aceruus tritici munitus inter lilia ὀμφαλὸς σου κρατὴρ τορευτὸς, μὴ ὑστερούμενος, νᾶμα κοιλία σου θυμιαμάτων

βεμωνία σίτου, περφραγμένη εἰ κρίνοις. Ad Iustum Epistola LXIII.

1 Denique in arte requiruntur ut sit ἄιτιον, ὕλη, ἀπότέλεσμα.] Epistola ista & hiulca & spinosa, nihilque habet præter aliquot uerba, quod Ambrosianam œconomiam aut dulcedinem representet. ἄιτιον autem uel causa uel author alicuius rei, ὕλη materia, quam tamen hic pro subiecto uel obiecto usurpat, ἀπότέλεσμα effectus siue opus interpretari debet, sed neque in eius significatu ipse sibi constat, Nam nunc pro effectu siue cōsummatione, nunc pro efficiente, siue consummatore utitur, quod quum ita sit, non uideo quid inter ἄιτιον & ἀπότέλεσμα interfit, quin & in ipso αἰτίῳ uarius est, Nam ita aliquādo accipere uidetur, ut ἄιτιον is sit, qui aliquid conatur efficere, & ἀπότέλεσμα qui hoc efficit, & consummat quod ἄιτιον conatur. 2 Pulchre autem quod dicunt horos seruauit.] ὅρος uocabulum artis hic est, & significare uidetur obseruationem finium inter quos momēta sententiarum includi debent.

Ad Syagrium, Epistola LXIIII.

1 Neque delationis nexu se obligare.] Nexus proprie est, ubi debitor non soluēdo & adductus per ludicem creditori nectitur, hoc est in uinculis habetur. Postea significatio translata est ad omnem obligationem. Accusator autem si appareat eum calumniatorem esse ad pœnā talionis obligatur, & hoc isthic nexum uocat. 2 Denique nō minima etiam in tuis literis tentatæ expressionis uerecundia est.] Hoc est, dum in literis tuis conaris exprimere rationem inspiciundæ uirginis, pudor te retinuit quo minus hoc ipsum clare proferres. 3 Ea ergo tibi locuples uidetur ad fidem quæ & redimi & falli potest.] Hoc est ea ne idonea & sufficiens testis ad fidem faciendam? Allusum ad illud duodecim tabularum, Assiduus assiduo uindex esto. 4 Quid quod etiam ipsi archiatri.] Archiatri principes medicorum. Etiam nostro tempore Medici quidam negant, inter quos Andreas Vesalius in re Anatomica facile primus, hymen in uirginibus non inueniri. 5 Neque indocilitas.] Indocilitatem pro inscitia posuit, quum indocilitas sit impotentia discendi, sed ex uicinio Catachresis, Qui enim docere nequeunt semper imperiti sunt, sic & Virgilius

Is genus indocile & dispersum montibus altis Composuit.

6 Qui locus ut superiori utilis ad Hebræorum salutem, ita reliquo confragosus ad obstetricum fidem, quæ didicerunt mentiri pro salute & fallere pro excusatione.] Id est, qui locus imprimis sui partibus, ut utilis est ad salutem Hebræorum, nam eo modo factum est, ut pueri non sint necati, ita abruptus est & inaccessus et auius à fide obstetricū, quibus credendum non uidetur, quum mentiri pro salute didicerint. 7 Deflorationem uirginitatis.] Pro deuirginatione, uerbum apud ueteres insolens, uidetur Metaphora deducta ex illo elegantissimo Epithalamico Catulli.

Vt flos in septis secretus nascitur hortis
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optauere puellę,
Idem quum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri nullæ optauere puellæ
Sic uirgo dum casta manet, tum chara suis: Sed
Quum castum amisit polluto corpore florem
Nec pueris iucunda manet nec chara puellis.

8 Quā erubescunt & mulieres.] Mulier hic ea est, quæ uirgo non est, uel potius quę uxor est, & tamen quantum potest, præ pudore grauidum uterum celat. 9 Sine uisitatione suscipiendam crederes.] Id est, sine inspectione ne quis eam uisitationē intelligat qua amicos accedimus, ut certi simus de eorum statu aut ualetudine.

10 Ergo iudicandi formulam accepisti.] Prætores solent iudicibus formulam iudicādi præscribere, non in omnem partem liberam decernēdi potestatem permittere, quod postea abolitum fuit. Quid nobis futurum est, comica locutio, pro quid de nobis futurū est. Sic Terentianus Charinus in Andria, Quid me fiet, pro, quid de me fiet.

11 Quid igitur fiet?] Omnia quæ sequuntur Ironice dicuntur, quum qui uirginem commendare debuerint criminandi offensas pepererint. 12 Quid præstantius

præsertim

præsertim in uirgine, cuius præcipuum opus uerecundia, quæ secreta est, tutius secreto ad actus omnes expeditius.] Ego sic legendum arbitror: Quid autẽ præstantius præsertim in uirgine, cuius præcipuum opus uerecundia, quàm secretum, quid tutius secreto, & ad omnes actus expeditius, postea nacti sumus aliũ codicẽ qui sic habebat. Quid autem præstantius præsertim in uirgine, cuius præcipuum opus uerecundia quàm secretum quæ secreto est tutior & ad omnes actus expeditior, legendum uidetur, quæ secreta est, tutior est, & ad omnes actus expeditior. Et paulo post. 13 Diuisam germanitatis inter sorores societatem, aliaq́, proh dolor, & quod uirgo in agro affinitatis suæ refugisset,] Mutilum id sine dubio, sed quo supplemento resarciendum sit, non facilis diuinatio, & quod nunc subijcimus non ideo subijcimus, ut rectum putetur, sed ut defectus percipiatur. Legamus igitur ad istum modum, Muroq́, interiecto discretas ædes uxoris suæ ac uirginis, quasi diuisam germanitatis inter sorores societatem conquestus &c. non ita diu postea. 14 Et testes auditionis deduxit.] Auditionis, id est, famæ, uocabulum etiam Ciceroni in hac significatione usurpatũ, sic & in Psalmis, Ab auditione mala non timebit.

Ad Syagrium, Epistola LXV.

1 Locus in possessionem datus pro funiculo hæreditatis.] Funiculus Græcè σχοῖνος spatij certa magnitudo. Continet autem teste Herodoto in Euterpe sexaginta stadia, hoc est, duas parasangas, lexici tamen parasangam cum funiculo confundunt, sed malè. 2 Quo offensa claues remisit.] Signum hoc diuortij & renuntiantis curam familiæ, atq́ ita materfamiliâs esse desiuit. 3 Festino uiam celerabant gradu.] Virgil.

studio gressum celerabat anili. 4 Vt uino adoleret curarũ obliuio, lego pro adoleret aboleret, hoc est aboleretur, ἀλλοίωσις generis, ut uertit pro uertitur, quo mox usurus est. 5 Publicum flagitium priuato dedecore tolerabilius habere.] Lego intolerabilius. Publicum flagitium est in stupro hospitæ, priuatum dedecus in filiæ contumelia, sed illud, quàm istud, intolerabilius putat, quare filiam suam eorum libidini offert. 6 Sed prius uerbis experiundum de flagitio & decernendũ conditionib. pro delictis.] Allusum ad id Terentij, Omnia prius experiri uerbis quàm armis sapientem decet. Apollonius ἀρχιναυπηκῶν tertio. μηδ' οὕτως ἀλκῇ πεῖρ' ἔστωσαν γε σφῶϊν δῶμα. Decernitur conditionibus quum offerendis accipiendisq́ legibus de causa disceptatur. 7 Sed misere in sua populum conuersum uiscera & bello ciuili utrunq́ afflictum.] Lucanus in primo: Populumq́ potentem In sua uictrici conuersum uiscera dextra.

Ad Paternum, Epistola LXVI.

1 Paterni quidem unanimis mei salutationem legi, sed cõsultationem haudquaquam paternam, ut uelis filio neptem ex filia copulare.] Olim licebat patruum filiam ex fratre in uxorem ducere, ut patet ex fragmentis Vlpiani, cuius uerba hæc sunt: Inter cognatos autem ex transuerso gradu olim quidem usq́ ad quartum gradũ matrimonia contrahi non poterant, nunc autem ex tertio gradu licet uxorem ducere, Si tamen fratris filia non etiam sororis filia aut amita aut matertera quamuis eodem gradu sit. Hoc genere connubij primus inter Romanos usus est Claudius Cæsar Agrippina fratris filia in uxorem ducta. Nunc autem Paternus in pari gradu idem ius putauit, quæsiuitq́ quod licitum erat Patruo, num idem liceret Auunculo, Si incestæ nuptiæ non erant cum fratris filia, nõ uideri etiam incestas cum sororis filia. Quod D. Ambrosius hac epistola refellit. 2 Sed consultationem haudquaquam paternam.] Per agnominationẽ, allusum ad proprium nomen, Paternum, quod nomen ipse in affinitatem mutare uolebat. 3 Medicorum etiam pueri corporibus utile ferunt.] Alia lectio Medicorum periti, sed superior magis syncera est, sic enim à Platone sæpius appellantur υἱοὶ ἰατρῶν. Celsus autem & Paulus Aegineta tradunt Venerem melancholicos adiuuare insigniter, & in pituitosis prodesse ægritudinibus. 4 Boues qui iungit ad aratrum, equos ad currum, pares eligit.] Allusum ad illud in Heroinis, Quàm malè inæquales ueniunt ad aratra iuuenci: Tam premitur magno coniuge nupta minor. 5 Nempe Auunculus iste illius, illa huius neptis uocatur.] Quidã Grammatici carpunt Erasmum quod dixerit neptem ex fratre & sorore pro sororis & fratris filia, arbitranturq́ id non posse dici nisi ubi quis fratris uel sororis filiam adoptauerit in neptem, quasi

quasi ex suo filio filiaue nata esset, quod hic tamen falsum apparet. 6 Patrueles fratres.] Qui ex duobus fratribus nascuntur fratres patrueles, sororesq; patrueles appellantur. Cic. in 2. Philippicorum, sed enim si alter sit masculus altera sit fœmina qui ex duobus fratribus, siue altero fratre altera sorore nascuntur, æque fratres patrueles uocãtur à digniore transsumpta significatione, & sic etiam maritos uocamus quum & uxorẽ uirumq; eius intelligimus. 7 Nam Theodosius imperator etiam patrueles fratres & consobrinos uetuit inter se coniugij conuenire nomine.] Theodosii lex de Incestis nuptijs habetur lib. 3. capite 12. sed ibi nulla mentio de patrui, uel auunculi cũ fratris aut sororis filia, nuptijs, sed pleraq; in eo codice mutila. 8 Tamen tuam familiam non propagaret.] Qui ex mea filia nascitur non ad meam familiam sed ad mariti familiam pertinet aut patris eius, si ipse nondum emancipatus sit, unde quidam dicunt sororem dictam, quòd seorsum in familiam detur.

Ad Cynegium, Epistola LXVII.

1 Quia de eo consuleres quod nõ probares, sed morem gereres parenti.] Ego legẽdum existimo, quia de eo consuleres, non quod probares, &c. melius enim negatio prę posita suspendit orationem, ut contrarietas postea inferatur.

Ad Antonium, Epistola LXVIII.

1 Cum indiuiduo pectoris mei loquar.] Id est, cum eo qui à pectore diuidi non potest, talem ferè Græci Amicum uocant ὑπερκάρδιον. Est autem non ingrata ἀλλοίωσις significationis, sic inuictus pro inuincibili, sic infractus qui frangi non potest.

Ad Antonium, Epistola LXIX.

1 Quam contumeliam non cumulandam arbitror.] Rectius uidetur, si legas, quam cumulandam arbitror. Vt magis satagendum, ut munia officiorum exaggeres quã uices reddas, ut beneuolentiæ certamen uideatur, non satisfactio.

DIVI AMBROSII EPISTOLARVM LIB. IX.

Ad Vigilium, Epistola. LXX.

1 Populi sæpe conciderunt fœnore.] Romani non ferentes onera usurarum per secessionem Sacrum montem occupauerunt. 2 Quod quum alias usu probatum sit, tum maximè in ea rerum conuersione qua rursus ad Hebræos à Palæstinis uersa uice res mutatæ.] Nonnihil in hac oratione peruersum est, sic enim mihi legendum uidetur, ab Hebræis ad Palestinos uersa uice res mutatæ, Fortuna enim se ad Palæstinos reflexit, & Hebræos hactenus dominos in ipsorum potestatem redegit. 3 Eo quod prosperorum iudicium non aduersantium sit uisere Deum.] Veteres crediderunt conspectum numinis aut Herois pestiferum esse, unde apud Ethnicos solent precari, ut contra obtueri fas sit. Petrus quoq; fulmen numinis ex præsentia eius metuens, dixit, Exi à me domine, quia homo peccator sum. & Vidua in libris Regum putat ideo filium esse mortuum quod in contubernio haberet prophetam. 4 Aut mulctam ignorantibus.] Existimo adijciendum eandem, ut par hinc inde conditio esset luendi accipiendiq; uestes, nam ita habetur Iudic. XIIII. 5 Quem tamen paranymphũ.] Paranymphus apud Græcos utriusq; generis alioq; nomine νυμφόσολος dicitur, nimirũ is ea' ue qui sponso sponsa' ue ad curam nuptiarum adiũgitur, ferè idem qui in Romanis nuptijs est Auspex, cuius authoritate potissimum solennia nuptiarum peraguntur. Lucanus de nuptijs Corneliæ & Põpei: contentiq; auspice Bruto, Iunguntur taciti. Sed regrediar aliquantulum retro ad quęstionem Sampsonis De comedẽte exiuit cibus & de forti dulce. Si Hebraica uerba ita essent πλύσιμα, ut fortis is diceretur aliquando, qui acer aut acerbus esset, optimè decurreret per antitheta, & inextricabilem uideretur ex contrariorum natura habere solutionem, & prorsus incredibile quiddam, quod in omni ænigmate obseruari solet. Certe apud Latinos, Sæuus nunc pro forti, nunc pro crudeli ponitur, acremq;, nunc fortem nunc acerbum dicimus. Sed eam curam ad Hebræos reijcimus. Noster Balenus linguæ Hebraicæ peritissimus dicit mihi uocabulum Fortis istiusmodi ambiguitatem non admittere. Sed si scriptum fuisset meari, hoc est de Leone, idq; pronuntiando nonnihil deprauatũ esset in mari hoc est acerbo, Sampsonis uerba proxime ad naturam rei accessisse, & tenui quadam luce, ænigmatis obscuritatem adiuuisse. Certe Iosephus ita habet, ὅτι δ' ἀπὸ βορᾶ γεγονὸς βορᾶ δόσιν ἐξ αὐτοῦ, καὶ ἀπὸ ἀν-

ὄσς ὄντ☉, hoc est qui omniuorax est, genuit cibum suauem ex sese, quanquam ipse prorsus insuauis esset. 6 Maxillæ interfectionem.] Vetus interpres uocat maxillę eleuationem. Græcè est ἀναίρεσις σιαγόν☉, longe melius est quod ab Ambrosio est redditum. 7 Quomodo dei misericordia, quum percussit ille maxillam, aperuit fissuram.] Locus etsi uitium præse non ferat mihi tamen suspectus est, alij Codices habẽt. Quomodo dei misericordiæ quum proiecisset maxillam, sed arbitror legendum, quomodo dei misericordiæ quum proiecisset maxillam ille aperuit sciſſuram eius, eo sensu, Quum ad eum modum Maxillam dei gratiæ proiecisset, ille, hoc est, deus aperuit scissuras eius. Quod ob iactãtiam in hanc sitim deuenerit inuenies apud Iosephum lib. quinto, capite decimo, Rerum antiquarum, quem Ambrosius in plerisq; imitatur. Quod autem Ambrosius sciſſuras uocat, apud Septuaginta habetur τὸ τραῦμα τὸ ἐν τῇ σιαγόνι, nimirum eam partem mandibulæ, quæ ex incussu læsa & attrita esset. 8 Si uitalibus & adhuc non aridis.] Septuaginta loquuntur, si septem neruiceis funibus & adhuc humẽtibus ligatus fuero, sed noster Iosephum imitatur cuius hæc uerba sunt εἰ κλήμασι ἑπτὰ δεθεῖμι ἀμπελίνοις. 9 Si dissoluti essent crines septem capitis sui & quasi incubitum intexti discederet ab eo uirtus sua.] Iosephus sic habet τρίβμ σὺν φλῶσι τὰς κόμας αὐτῶ ἐμάνην, hoc est tertio iudicauit comas suas intexi debere. Septuaginta sic ἐὰν ὑφάνῃς τὰς ἑπτὰ σφῦρας τ☉ κεφαλῆς μου κ☉ τὸ ὕφασμα☉, καὶ ἐγκρούσῃς αὐ τὸ τοῖς παασάλῳ εἰς τὸμ τοῖχον hoc est, si texueris septem catenulas siue annulos capitis mei cum trama, & impegeris cum paxillo in parietem. Vbi elegantissime Septuaginta σῦραν posuerunt. Sunt enim Cincinni quos in alicuius numinis aut fluuij gratiam alere solent. Cæterum quod ait Ambrosius quasi in cubitum, sciendum est, cubitum hic certam partem machinæ textoriæ significare.

10 Simul quia debebatur inuictæ ad id tempus fortitudinis uiro, ut incideret in ærumnam.] Illud debebatur tum à scriptoribus usurpatum, quum id quod fatale siue in futurum imminebat, indicare uolunt. Iosephus de eodem Sãpsone, ἴδιόν γὰρ αὐτὸμ συμφορᾶ πεσεῖν. nonnunquam hoc ipsum χρέων dicitur, uocabulum idoneum, ijs qui à nomine fati abhorrent.

Ad Irenæum, Epistola LXXI.

1 Cuius testis conscientia nostra tacitis cogitationibus apud deum ipsa se prodit, quibus uel redarguitur, improbitas, uel defenditur innocentia.] Consonum hoc est cum uersu Iuuenalis. prima est hæc ultio, quod se iudice, nemo nocens absoluitur.

2 Insolentia quid sit.] Insolentia opponitur modestiæ: proprium hoc uitium eorum, qui recenti fortuna luxuriant. 3 Ad cauendum enim prodest præscire.] Alij libri habent, præsciscere, quod est numerosius.

Ad Irenæum, Epistola LXXII.

1 Pædagogus ergo, sicut etiam interpretatio Latina habet, Ductor pueri.] Videtur olim ea lectio fuisse, lex ductor noster fuit in Christo. 2 Litera igitur occidit exiguam corporis portionem.] Habent alij libri, quod omnino uerum est, non occidit, sed circumcidit, nisi hoc intelligi uelis, de præputio quod perit non de membro unde abscinditur. 3 Eloquia domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplo.] Nescio an & in Græcis & Latinis commata ista male distincta sint, & num sic legi oporteat, eloquia domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum, terræ purgatum septuplo, ut purgatum cum terræ cõstruatur. Certe Hieronymus sic transtulit. Eloquia domini, eloquia munda, argentum igne probatum, separatum à terra, colatum septuplum. Si apud Græcos illud terræ esset Genitiui casus, magis mihimet ipse crederem, quare ad Hebræos prouocandum puto.

Ad Clementianum, Epistola LXXIII.

1 Tanquam clausis tabulis hæreditatem cernit.] Cernere hæreditatem est adire hæreditatem, sic enim uulgo præceptum, sed ex fragmentis Vlpiani & ex Codice Theodosii quarto, titulo primo, ratio id temporis est quod datur hæredi liberum ad cernendum, hoc est consultandum, uelit ne adire hæreditatem an non. Sed hic cernere hæreditatem, idem est, aspicere, quanquam nõ statim qui aspicit cernit: ille enim cernit qui rem agnoscit, nec minus animo quàm usu perlustrat. ut ex illo prophetico, ut audientes nõ audiant, & uidentes non cernant.

Ad Horontianum, Epistola LXXIIII.

Sed

1 Sed arbitror, propositi gratia hoc dixisse Apostolum.] Propositi ut id quod in manibus erat, tractaret, eoq; presentem sermonem attemperaret, uel ut Hypothesim fingeret, quod barbari uocant Suppositionem, ita ut fingat omnẽ fidem quæ sit in charitate.

Ad Studium, Epistola LXXVI.

1 Id enim Iudæorum commenta est tergiuersatio.] Alij Codices commentata est tergiuersatio, quod quia numerosius est melius aures implet. 2 Duo æra.] Id est, duos asses. 3 Nec ociose quindecim anabathmorum Psalmos Dauidicos legimus.] Anabathmi Græcè, gradus Latinè nuncupantur. 4 Cum Ezechias iustus rex uitæ huius acciperet commeatum.] Commeatus est certum spatium temporis ad quod miles castris abesse potest. eadem ratione Ambrosius indultum spatium uitæ, per quod à morte abesset Ezechias, pulcherrima metaphora Commeatum uitę appellauit.

Ad Constantium, Epistola LXXVII.

1 Qui uiros circumcisione signatos, etiam opprobrio & illusione dignos arbitrãtur.] Eos enim contemptissimo nomine uerpos appellare consueuerunt. 2 Reperimus autem in historia ueterum non solum Aegyptios sed etiam Aethiopum & Arabũ & Phœnicum aliquos circuncisione erga suos usos.] Sumptũ hoc aliqua ex parte ex Euterpe Herodoti est.

DIVI AMBROSII EPISTOLARVM, LIBER X.

Ad Theophilum, Epistola LXXVIII.

1 Vexari intentione.] Intentionem hic uocat contentionem & peruicaciam, opponitur remissioni. 2 Protenderet.] Propenderet legendũ non protenderet, sumpta metaphora à lancibus quarum quæ leuior, eleuatur: quæ grauior, propendet, Plautus in Asinaria, Nec dependes nec propendes. 3 Aut certe uictum inopum itineris usurpare.] Rectum ne sit ualde mecum ambigo, ut hic sit sensus, collatione pauperum uiaticum conquirunt, nihil enim hic uictus itineris nisi uiaticũ. quid si legas pro inopum inopem, ut aut cogantur inopiam gemere, aut si non gemant, ferre? Eo descenderem, nisi usurpare proprie diceretur, quum quæ nostra non sunt, occupamus: quod tum fit, quum sacerdotes pauperibus uictum, in sui usum detrahunt. Bene autem emendauit Costerius pro gerere gemere. 4 Posse typum reperiri.] Typum, id est, formam, rationem, modum.

Ad Theophilum & Anysium, Epistola LXXIX.

1 Vel cognosceret.] Id est, maxime uel potissimum cognoscerent qua loquutione et Cicero & Horatius utitur. 2 Temerandum.] Id est, temere agendũ, Lucanus

Acer & indomitus qua spes quaq; ira uocaret Ferre manum & nunquam temerando parcere ferro:

Suscepit eam in suam.] Sed alij scripti codices habẽt. Accepit eam in sua, quam lectionem ob interpretationem Ambrosii cogimur sequi, & cũ Græcis consentit ἔλαβεν αὐτὸν εἰς τὰ ἴδια. D. Ambrosius uidetur ita sentire quasi tum quoque adhuc uixisset Ioseph, & quasi Ioannes matrem Christi ad se domum transtulerit, quam sententiam bis alibi quoq; apud eundem reperies, semel in Orationem ad uirginem, Necq; enim mater domini Iesu nisi ad possessorem gratiæ demigraret, alludens ita ad etymon Ioannis. Rursus in Institutione uirginis, ipse est discipulus, cui mater cõmen dabatur. Quomodo marito tolleret uxorem, si fuerat Maria mixta coniugio, aut usum thori coniugalis cognouerat? Potest quidem hæc sententia Ambrosii ex uerbis Græcis colligi, ἔλαβεν αὐτὸν εἰς τὰ ἴδια hoc est transtulit ad proprias suas possessiones, sed & illa quam Ecclesia sequitur ex ijsdẽ uerbis Græcis elicias, hoc est, accepit eam inter sua, hoc est, inter ea quæ ipsius erant, hanc quoq; pro sua habuit. Sed Latina interpretatio proba mihi uidetur, accepit eam in suam, qua oratione, necessitudinem & quasi adoptionem matris Ioannem apparet agnouisse. Et quid miri si una aut altera litera in Græcis mutata sit, ut olim fuerit, ἔλαβεν αὐτὸν εἰς τὸν ἰδίαν? Nõ mihi ueresimile uidetur si Iosephi in uiuis fuisset, eum uxoris & filij eius curam in extremis calamitatibus, quæ etiam alienissimos excitare solent, relicturum fuisse, Necq; tamen sic cadit argumentum integritatis Mariæ: si enim Mariæ alij filij fuissent, non cura matris à filijs translata in patruelem fuisset. Sed orba iam & marito & unica prole in proximi tutelam committitur.

Syricij papæ ad Mediolan. Ecclesiam, Epistola LXXX.

1 Hi uidelicet, qui quasi utilitate Christi nosse se iactant ut uelamento nominis.] Alia lectio est, ij uidelicet qui subtiliter Christianos se iactant, ut sub uelamẽto, quæ lectio aliquanto melior apparet. Valde mecum ambigo num ex his uerbis, quadam subtilitate, factum sit, quasi utilitate, quod si recipimus legendum esset, qui quadam subtilitate Christianos se iactant, ut eadem deformatio facta sit ex, Christianos se, in Christi nosse, mala dictione uocum. 2 Nos sane nuptias non aspernanter accipimus, quibus uelamine interfumus, sed uirginum nuptias deo deuotas, maiore honorificentia uenemur.] Rectum nec ne sit, non ausim affirmare, si fauerent exemplaria libenter legerem, quorum uelationi interfumus, nisi hoc ipsum illis uerbis significari uelis, nimirum sacerdotes interesse dum nouæ nuptæ flammeo tegũtur, ita enim appellatur uelũ, quo noua nupta faciem abscondit, quod postea dum ἀνακαλυπτήρια celebrantur deponere solet. 3 Facto igitur presbytero constat doctrinæ, id est, Christianæ legi esse contraria.] Consentiunt exemplaria, quo maior desperatio sanitatis. Nos quia præter diuinationem nihil est quod agamus, non insulse ita legi posse conijcimus. facto igitur presbyterio, quasi dicas, habito senatu, est enim πρεσβυτήριον seniorũ cõgregatio, ut γερουσία Senatorũ apud Lacedęmonios. Erant enim presbyteri in Ecclesia, quod Senat. in rep. utricq; nomen inditum est à grauiori ætate. Dicit autem Ambrosius de sententia presbyterorum, uisam esse eam doctrinam aduersariam Christianæ legi. 4 Vna scitata sententia.] Scisscita sententia est quæ interrogata est, scitata quæ iussa est, utruncq; ex moribus Rom. reip. deductum, Magistratus enim interrogat uelit' ne iubeat' ne, populus scisuit unde & plebiscitum, quod à plebe iussum est.

Ad Syricium, Epistola LXXXI.

Hęc epistola in hactenus impressis mutila plerisq; in locis & inquinatissima, sed castigatio Costerij ita omnia restituit, ut nihil superfit, quod nodum habeat, nisi hoc fortasse. 1 Ne supereresset locus in quo non dominarentur.] Vbi dominarentur non positum est pro regnarent, sed pro sæuiant, Virg. in 2. Aeneid.

Incensa Danai dominantur in Vrbe.

Ad Vercellensem Ecclesiam, Epistola LXXXII.

1 Mihi ascribitur uestra intentio.] Alij codices, inscribitur, habent, quod eiusdẽ momenti est, est autem hic intentio idem quod contentio. futurorum temporum uidit negotia, id est, acta, res gerendas. 2 Ad caput suum collyridam.] Est autem subcineritius panis teste Hesychio. Sunt autẽ quatuor genera panum furnaceus, cratitius subcineritius, & sartagineus. 3 Qui sylueſtribus ramis.] Alij Codices habent pro ramis grumis, rectius fortasse glumis, quam uocem in eadem sententia usurpat libro de Viduitate. Grumæ enim Nonio Marcello loca media sunt, in quæ directæ quatuor congregantur & conueniunt uiæ. 4 Promissum non remordeat.] Fortasse legendum, prosciſſus non remordeat. 5 Assuesce unus esse.] Id est idem & uniformis non uarius & multiplex. 6 Sed ut coniugali castimonia seruiet ablutionis suæ gratiam.] Ablutionem hic posuit pro baptismate. 7 Et tanquã pastus ad uirtutis adipalem agresti alimẽto processit.] Locus aut mutilus aut corruptus, nam si retineas adipalem deest substantiuum, succum, aut aliud simile, corruptus si mutes adipalem, in ad uirtutis palen, id est, uirtutis palestram, siue palum ad quem milites se exercere solent, prodituri ex illa meditatione ad iustum prelium.

8 Non utiq; ut elementum quod plerunq; repletur sanguine in quo est officina scelerum, aut uastis plerunq; horret cautibus, aut præruptis rupibus, aut sterili & ieiuno solo est, sed ut carnem præsidio nobis futuram.] Sermo iste incompletus est, deest enim aliquid tale non utiq; ut elementum quod sanguine plerunq; repletur, in quo est officina scelerum, aut uastis plerunq; horret cautibus, aut præruptis rupibusa, ut sterili & ieiuno solo est, sed ut in terra carnem Christi nobis præsidio futuram adorarent.

Ad Episcopos per Aemiliam constitutos, Epistola LXXXIIII.

1 Sed aliud est obseruare gentilitio more, ut qua luna quid adoriendum sit iudices, ut puta, quintam esse fugiendam nihilq; ea inchoandum.] Ex obseruatione Virgilij Hesiodiq; dictum, qui quintum diem lunæ inauspicatum uolunt. Virgil. Georgicon 1.

Ipsa dies alios alio dedit ordine soles

Felices

Felices operum, quintam fuge, pallidus orcus
Eumenidesq; satæ, tum partu terra nephando,
Coeumq; Iapetumq; creat sæuumq; Typhœa.

Hesiodus autem sic.

πέμπτας δ' ἐξαλέασθαι ἐπὶ χαλεπαί τε καὶ αἰναί·
ἐν πέμπτῃ γάρ φασιν ἐειννύας ἀμφιπερῶσαι

Sic Virgilius eam diem infaustam esse uoluit, quia sit natalitius hostibus Iouis, Hesiodus quia tum furiæ obambulent ad pœnas sumendas de nocentibus. Seruius quod eo die nata sit Pallas dea sterilis. Democritus etiam philosophus in hac opinione fuit. Mirum est Virgilium quintam dixisse quum dixerat Hesiodus quintas, nisi exemplar Virgilianum sit corruptum. Sunt autem sex quintæ in singulis mensibus lunaribus secundum Atticam obseruationem, qui lunare spatium in tres decades describunt. Cæterùm etiam quartam lunam uulgare prouerbium infamat, qua infœlices quarta luna nati esse dicuntur. 2 Octogesimo autem anno & nonagesimo tertio ex die imperij Diocletiani.] Mira loquutio, sed qua ter in hac eadem epistola usus est. Paulo enim post sic dicit, rursum nonagesimo & tertio anno à die imperij Diocletiani: ac deinde in fine huius epistolæ, sicut & septuagesimo sexto anno die imperij Diocletiani. Est autē sensus anno octagesimo, & nonagesimo tertio, ex quo primum ad imperium Diocletianus peruenerat, non quod tot annos imperauerit Diocletianus qui septuagesimo octauo anno suæ ætatis extinctus est, sed quod post acceptum à Diocletiano imperium is annus fuerit octogesimus, quo lunaris ratio Paschatis festum in alium diem transtulit. Cæterùm in tertia ista formula, sicut & septuagesimo sexto anno die imperij Diocletiani, ego arbitror propositionem ex uel à necessario requiri, & addendum esse. Locutio ista non tam insolens esset si sic legeretur, à primo die imperij Diocletiani. An ea quoq; debeat reponi alij iudicent. Nos in hanc epistolam, & in reliquas sequentes nullos scriptos codices habere potuimus. 3 Indictio enim septem libri mense incipit.] In dictio quindecim annos continet, hoc est tres Olympiades. Indictiones Beda incipere dicit VIII. Calend. Octobres, quæ sententia non pugnat cum Ambrosiana, quum octauo Calend. Octobris octo adhuc dies mensis Septembris residui sint.

Ad Demetriadem, Epistola LXXXIIII.

Elegans epistola & erudita, sed dilutiori stilo conscripta, credo quod se attemperauerit ad puellare ingenium. Valde enim mirabile erat & inter præcipua diuinæ gratię exē pla numerandum quod uirgo Anitia super omnes fastigium trahens beatæ nobilitatis euecta, de cuius fœcunditate auis atq; atauis responsura posteritas, & familiæ uotis expectabuntur & patriæ conuerso repente animo desiderio cęlestium nuptiarum declinasti mortale coniugium, ad hunc locum non sine causa suspectum destituti omni præsidio scriptorum Codicum, necessario diuinationem afferimus. Fortasse igitur ad istum modum legendum fuerit. quod uirgo Anitiæ (non Anitia) super omnes ad fastigium beatæ nobilitatis euecta. Primum hæc puella Demetrias est dicta, mater Iuliana, auia autem patris nomine Anitia est dicta, nisi gentis uocabulo Demetriadem Anitiam uelis dici, Anitiorum autem Romę fere ordinarij consulatus, & quasi de manu in manum traditi, ut ex uerbis Hieronymi ad eandem uirginem colligere licet. Est uirgo Anitiæ neptis Anitiæ Græcanica loquutione sed quæ etiam apud Latinos increbuit. Quid autem hic uocabulum, trahens, faciat non uideo, nisi aliquid omissum est cum quo copulari potuit. ob hoc enim de illo seruuli metu. Sic Codex Parisiis impressus, sed legendū, seruili metu, ut habent exemplaria Basileæ ædita. Sed ad ipsum omnium uisibilium & inuisibilium ambiunt creatorem, sic impressa, sed legendum est abeunt, non ambiunt, ut & præcedentia & sequentia requirunt. Sed hæc uirtus quæ temporalis copiæ & patientiæ negligens ad uitam æternam angusta & ardua mittitur, tolerabilis lectio & quæ sensu utcunque constat, mihi tamen aliquo modo suspecta, quid si legas: Sed hæc uirtus quæ temporalis copiæ & patientiæ negligens ad uitam æternam peranguſta & ardua mittit' ac paulo post. Quasi tunc istius gratiæ particeps factus est, quando omnibus facultatibus perditis uniuersa quoq; familia filijsq; priuatus, & percussus uulnere pessimo à planta pedis usq; ad uerticem capitis, pesta saniem radebat, sedens in stercore ad

imaginem elatio nem reuocatus est,necessario hic duæ uoces interserendę sunt,ut sic legas,sedens in stercore,aut tunc ad imaginem elationis, &c. Duo enim absurda adfert quibus docet in diuitijs humilitatem animi posse consistere. Non enim Iob amissis diuitijs humilis factus est,aut restitutis ad superbiam rediit. Qui ut expeditiores dominũ sequerentur,simul se omnibus suis opibus.] Mallem,semel,quanquã & illud tolerabile est.Sed quid illud est,qua corporeorum sensuum exteriora pulsantur in agro cordis cui impenditur ista cultura,nec radicem potest figere?] Ego sic legendũ existimo, inserta particula si,ἐν quo,in quod mutato.Sed quid illud est quod corporeorum sensuum exteriora pulsantur,si in agro cordis,cui impenditur ista cultura,nec radicem, &c. hoc nimirum intellectu,quantulum illud est, quod sensus corporis, cœli naturæq; conspectu,ad notitiam Dei excitantur,si perceptio istius quasi in superficie corporis & sensuum hæreat,non pertingat ad ima cordis cui ista cultura impenditur,nisi,&c. Sed ex mala uoluntate concepta & propria diliguntur. Quid si sic legas, sed ex mala uoluntate concepta & genita, ut propria diliguntur. Est enim hic sensus,nos peccata in nostra natura non habere nobis insita, sed ea nos concipere aliunde & gignere,deinde ea ut nostros fœtus à nobis diligi, ut sit eò alluſum,Parturit iniustitiam,concepit dolorem & peperit iniquitatem.Et istius proprietatem subtilissimis discretionibus eliquabat, eliquabat,liquidum & clarum reddebat,hinc in forensibus rebus ea dicuntur liquidata quæ clare & euidenter probata sunt.In quarum definitionum formula multo laboraremus obscuro.Sic omnia exemplaria.obscurum hic igitur quod obscuritas. formulas istas loquendi plurimas inuenies apud Cornelium Tacitũ quale est:Sed ueteris Romani populi prospera uel aduersa claris scriptoribus memorata sunt,pro prosperitates & aduersitates,elegans enim in primis est abstracta in concreta mutare, ut Dialectice loquar.obscurum autem à Græca origine deflexum est ἐπισκιερὸν. Si cui ab humana gloria continentiam suasissem.Continentiam pro abstinentia posuit.

Ad sororem de inuentione sanctorum Gerualii & Prothasii,Epist. LXXXV.

1 Nam quũ.&c.] Basilicæ olim regiæ domus erãt, quod & etymõ indicat,apud Romanos in basilicis principes ius reddebant. nunc autem basilicas templa nominamus. 2 Sic in Rom.basilica dedices?respondi, si martyrum reliquias inuenero.] Requirit populus ut basilicam dedicet conditis sub altari reliquijs martyrum. Nam id etiam olim in more fuisse ex Decretis de Cõsecratione distinctione prima,nõ uno in loco deprehendere licet,nũc respondet Ambrosius se id facturũ,si ullæ martyrũ reliquiæ apparent. 3 Ardor pręsagij.] Enthusiasmũ hoc est prophetici spiritus diuinũ afflatum intelligit,sed modestiore uocabulo uti uoluit. 4 Vt adhuc nobis, &c.] Indicat ut arbitror,tantam fiduciã fuisse inueniendorũ sanctorum,ut non deesset qui urnam,sepulchrale uas,ad colligendas martyrũ reliquias inclinaret, & ad crepidinẽ fossæ subijceret. 5 Inuenimus,&c.] Sic & Lucanus. Grandiaq; effossis mirabitur ossa sepulchris. 6 Ad ordinẽ,&c.] Sceleta sanctorũ ita disposuit ut singula mẽbra suis locis & iuncturis redderẽtur. 7 Quos nulla,&c.] Legerẽ non interpolat,sed interpellat,hoc est,continuationẽ eius impedit, nisi obseruassem hoc ipsum sæpius obuiũ in scriptis Ambrosianis,ut interpolari pro interpellari capi uideat. Est alioqui interpolari quũ uetustis rebus poliendo noua quasi species additur. 8 Videro tamen,&c.] Arbitror legendũ nõ certi,sed certe,ut certũ sit martyres resurrexisse, sed utrum sibi,an nobis id in dubio uersari.Certe miracula quæ patrauerunt, eos mortuos esse,intelligi non sinunt. 9 Quanta oraria,&c.] Hoc est, quot oraria iactitãtur supra martyrum ossa,fascias aũt strophia & institas intelligit, plura de ea re superius diximus. 10 Talibus me,&c.] Videntur hæc scripta quũ Ambrosius Cęsari basilicã in gratiã Arianorũ noluit cedere, eiq; obiectũ fuit quod populi cateruis se stiparet & tumultũ faceret. 11 Erant clausi isti oculi.] ἀφικτικῶς,ostendit enim eius oculos qui ęcus fuerat. 12 Auulsum humeris caput.] Virgilianũ est: Auulsumq; humeris caput & sine nomine corpus. 13 Succedant uictimæ, &c.] Indicat eos sepeliendos sub altari ueterum Christianorum more, quod etiam in Apocalypsi clamor ille Martyrũ sub altari confirmari uidetur, Vsquequo non uindicas sanguinem sanctorum tuorum?

FINIS.

BASILEAE PER HIERONYMVM FROBENIVM, ET
NICOLAVM EPISCOPIVM M D LV.
MENSE MARTIO.

123537



hramoby 61

2723

